AMMONII HERMEI

COMMENTARIA IN LIBRVM

Porphyrii de quinque uocibus, & in

Ariſtotelis Prædicamenta, ac Perihermenias:

CVM INDICE, TAM RERVM, QVAM

uerborum locupletiſſimo.

IN HIS CONFERENDIS CVM GRÆCIS

Exemplaribus, atque emendandis, quantum ſtudii Petrus Roſetinus Medicus Phyſicus adhibuerit, qui hæc legerit, perfacile intelliget.

Jacobi Columnæ.

Bibliothecæ Coll. Rom.

Soc. Jesu

VIRTVTE DVCE,



COMITE FORTVNA.

VENETIIS.

IOAN. GRYPHIVS Excudebat.

M D L I I I.

AMMONIVS IN PORPHYRII INSTITVTIONES IAM DENVO IN LATINAM LINGVAM TRANSLATVS.

PRÆFATIO.

QVANDOQVIDEM Philoſophię tractationem auſpicari decreuimus: neceſſariū eſt noſſe, quid tandem philoſophia ſit. debet enim is qui rem aliquā aggreditur, prius, quid ea ſit, intelligere: ſic enim ſtudioſius, pfectiusq; illam perſequetur. Porrò autem res ipſas definitionibus cognoſcimus. At qui fieri poteſt, ut rē definitione teneas, ſi quid ſit definitio ignores? Definitio igitur, breuis eſt & circumſcripta oratio, quæ alicuius rei naturā explicat. Dicitur autem definitio, metaphora ab agrorum finibus ſumpta. Nam ut illi locū à loco diſtinguunt ac ſeparant: ſic unius cuiuſque rei uim atq; naturam definitiones complectuntur, & ab aliis omnibus ſeiungunt. Cōſtituenda igitur nobis eſt philoſophię definitio. Quemadmodum & cum primum Grammaticæ operam dedimus. eius quoq; didicimus definitionem: nempè Grammaticem peritiam eſſe eorum, quæ magnam in partem à poetis ac rerū ſcriptoribus dicerentur. Eodemq; modo cū ad Rhetoricen acceſſimus, eius definitionem intelleximus: eam ſcilicet eſſe facultatem quandam arte perfectam, quæ in oratione ea uerſetur, quæ ualeat & pertineat ad fidem in cauſa ciuili faciendam: cui finis propoſitus ſit Benè dicere. Æquum eſt igitur philoſophiæ definitionem reddere, cum hæc reliquis quoq; artibus atq; ſcientiis definiendi rationem ſuppeditet. Principiò ars omnis rem ſibi ſubiectam quampiam atq; extremū habet. Subiectum id eſt, in quo ipſa uerſatur atq; elaborat. Extremū uerò atq; ultimum id uocamus, quod ipſa efficere nititur, quoq; ſua refert omnia: ut, uerbi cauſa, ſibi Medicina ſubiecta corpora humana habet, quia in his ſuū ipſa ſtudium conſumit: extremū uerò, ualetudinem, quandoquidem ſummam curam & diligentiam eò confert, ut ea ſecūdę ualetudini reſtituat. Itemq; Architectus ſubiecto ſibi ligna habet, finemq; abacū ædificare. Definitiones itaq; aut à re ſubiecta, aut à fine atq; ultimo, aut ab utroq; etiā ducūtur. A ſubiecta re, ut cum dicimus, Medicina ars eſt, quæ in corporū humanorum cognitione cernitur. ab extremo, ut cum dicimus, medicina effici ſecundam ualetudinē ab utroq;, ut ſi dicamus eam artem eſſe, quæ operæ multum in corporum humanorum cognitione ponat, quæq; ipſis proſperam afferat ualetudinem. Atq; ita etiam Aſtronomia ars eſt, ac ſubiecta ſibi cęleſtia habet corpora, finemq; eorum motus, atq; conuerſiones intelligere. Quodnam igitur ſit Philoſophiæ ſubiectū, quiq; eius finis uideamus, atq; ita demum eius reddere definitionem poterimus. Operæ igitur eſt precium intelligere reliquas ſcientias atq; artes in rebus quibuſdam ſingulis uerſari: ut fabrilem, in lignis, Aſtronomiam in corporibus cæleſtibus: ſolam autem Philoſophiā in naturis omnibus elaborare. Eius porrò extremum non actio eſt, ſed cognitio. Itaq; philoſophiæ multæ ſunt definitiones: eam enim uariis modis ueteres definierunt. Verū ne contentioſis ac culpandi cupidis hominibus importunæ reprehenſionis hoc tempore anſam exhibeamus: id in alium ſermonem eſt differendum: cumulateq; omnium uoluntati ſatisfactum, opinor, fuerit, ſi ad noſtrum uſum quinq;, aut paulo plures, ex uniuerſo earū numero adhibuerimus. Duæ ergo à ſubiecto, totidemq; à fine, una ab excellentia præſtantiaq; eius dicitur, atq; ex uerbi notatione altera. Eſt ergo hæc prima eius definitio. Philoſophia eſt rerum, quia res ſunt, cognitio. Illud uerò, quia, quatenus res ſunt in hoc quidē genere, ualet atq; efficit. Neq; enim id philoſopho eſt propoſitū, ut omnes homines quotquot in ipſo degunt uniuerſo ſingulatim cognoſcat, cōtentuſq; eſſe debet, ſi uniuerſam illam ac generalem hominis naturam cognitam perſpectamq; habuerit: ſiquidem rei unius cuiuſq; naturā philoſophus ſtatumq; intuetur. Iam uerò Plato hāc philoſophiæ definitionem tradit. Philoſophia eſt rerū diuinarum atq; humanarum, cauſarumq;, quibus hęc continetur, cognitio. quam eandem cum ſuperiore eſſe perſpicuum eſt, atq; ab illa facilitate ſola obſcuritateq; diſſentire. Naturam enim bipartitò in diuinam atq; humanam diſtribuit: eamq; quæ perpetua atq; immortalis eſt, diuinam appellauit: quæ uerò in ortu atq; interitu poſita eſt, humanam. Ac prima quidem hæc definitio ducta à ſubiecto eſt, ſolaq;, ut dixi, obſcuritate atq; facilitate à ſuperiore diſcrepat. Eſt etiam philoſophiæ à fine deſumpta definitio, quæ ait, philoſophiam dei eſſe ſimilitudinem, quoad natura humana patitur. Nam deus duplici eſt actiōe inſtructus atq; ornatus, cognitiōis una, qua res omnes intelligit, ueluti poetę declarant cū inquiunt, θεοὶ δέ τε πάντα ἴσασιν, hoc eſt, at cæleſtes omnia norunt: atq; prouiſionis altera, qua huius uniuerſitatis ſaluti conſulit, & eius quadam procuratione tenetur, ob eamq; cauſam poetæ aiūt θεοὶ δωτῆρες ἐάων, id eſt, diſpenſat commoda diui. At Philoſophus utroq; modo ſe Deo quàm ſimillimū ſtudet efficere. Nam & in uniuerſi contemplatione uerſatur: res enim omnes intuetur atq; conſiderat: & rerum procuratione quadā ducitur, ac labentibus rebus conſulit. Philoſophus enim, qui uitæ degendæ rationem ciuilem atq; popularem ſequitur, iudicat, legeſq; dictat: ut iure, philoſophiam Dei eſſe ſimilitudinem, dictum fuiſſe uideatur. Porrò id, quoad natura humana patitur, haudquaquam inſcitè eſt adiectum: ſiquidem

Simili nunquam ſub ſtirpe tenentur
Mortaleſq; homines, ac diui, morte carentes.

Nam quæ ea natura conſtat diuerſa, diuerſas quoq; perfectiones ſortiuntur: idq; in reliquis quoq; animantibus perſpici licet. Quia enim homo atq; equus diuerſam habent naturam idcirco diuerſam etiam perfectionem obtinent. Hominis enim perfectio eſt, uitam ex prudentia ac ratione agere: equi uerò, ut uelocitate ad curſum, atq; uiribus ad præliorū contentiones ualeat. Quinetiam in animantibus iis quæ rationis expertia ſunt, magnæ, ut naturæ, ſic perfectionum, diſſimilitudines inſunt: alia enim eſt canis, atq; alia equi perfectio. Atqui ſi in his à naturæ diuerſitate perfectionum quoq; oriuntur diſſimilitudines, multò id in deo atq; homine facilius elucebit. Quoniam igitur magna in his ineſt naturæ differētia, meritò diuerſis ea quoq; perfectionibus prædita ſunt. Sciitè ergo, quoad natura humana patitur, additum eſt definitioni. Quamobrem Philoſophia Dei eſt ſimilitudo, quoad natura humana patitur. Cæterum qua ratione adductus, ſic Philoſophiam definierit Philoſophus, uideamus. Quoniam duplex, ut dixi, deo facultas adeſt: cognitionis una, atq; altera actionis: duplex quoq; ea noſtris in animis hæret: altera ſcilicet quæ in rerum cognitione atq; contemplatione uerſatur: altera cuius opus omne eſt in agendo. Philoſophus uerò utranque animi partem ad numinis conatur ſimilitudinem exornare: alteram, cū quæ ſit uniuerſi natura intuetur atq; cōſyderat, alteram, dum perturbationes animi uirtuti non conſentaneas moderatur atq; temperat: cæteriſq; ſuis ipſe rationibus proſpicit: meritò Plato Philoſophiam dei ſimilitudinem, quantum hominis natura ferat, eſſe definiuit. Atq; ab extremo etiam ipſo ac ultimo alia duci definitio ſolet, hoc modo: Philoſophia mortis eſt commentatio. Sed quoniam definitio hæc Philoſophiam mortis commentatione circunſeribit atq; terminat, quo modo ea mortis commentatio ſit intelligenda, dicendum eſt. Quidam enim Cleombrotus nomine, cum perlecto Platonis Phædone, Philoſophum mortem meditari debere didiciſſet, quaq; id fieri ratione deberet, eſſet neſcius: murum aſcendit, & ex eo præcipitē ſe proiecit. Quod indicat Epigramma, quo in Ambraciotican puerulū

luſit poeta, ad hunc modum,

Mœnibus ex altis ad regna Cleombrotus orci
  Ambraciota miſer corpore deſilut.
Nulla foret quamuis ſceleratæ occaſio mortis:
  Scripta Platonis ei ſed peperere necem.

Quoniam igitur imprudenti adoleſcenti contigit, ut, cũ nullam moriendi cauſam nactus eſſet, è uita tamen abierit, quid ea efficiat mortis cõmentatio, ponderãdum eſt. Vetat enim Plato dominantis illius in nobis Dei iniuſſu hinc nos demigrare, uerba autẽ eius hec ſunt, Quid de hiſce arcanis ſermo habetur, in quodam incluſos præſidio & quaſi cuſtodia eſſe homines, nec debere quẽquã iniuſſu imperatoris, ideſt Dei, de præſidio & ſtatione uitæ decedere: pręclarus mihi uidetur, nec ſat cognitu facilis. Non ergo ruptis uelut corporis uinculis, nobis è uita eſt abeundũ. Vt enim qui in carceribus ob perpetratũ facinus coniecti uinculis coercẽtur, ſi inde cupiant euadere, leges quoad eius fieri poteſt, ſubuertunt: ſic qui operã in eo atq; ſtudium ponunt, ut corporis uinculum prouiſione quadã colligatũ diſſoluant: artificis ac molitoris omnium Dei decreta reſcindũt atq; peruertunt. Quãobrem nemini ſibi ipſi mortem fas eſt lonciſcere. Q uę cum ita ſint, quid eſt, quãobrem philoſophiam mortis eſſe cõmentationem dicimus? Animum igitur aduerte, quæſtioq; hæc facilè diſſoluetur. Cum homo ex animo atq; corpore cõſtet, ſitq; duplex eius uinculum: duplex quoq; exiſtet ſolutio. Nã alterum eſt naturæ cõgruens atq; conſentaneum uinculũ quod naturale dicimus: quo corpus cum animo coniungitur, atq; animationis ab eo uim ſumit: uoluntatis alterum atq; iudicii, quo corpori animus alligatur, eiuſq; paret imperio. Itaque duo etiam diſſolutionis erũt genera: Vnum, quo corpus ab animo auellitur ac ſeparatur: alterũ, quo à corpore animus abduci conſueuit: ob eamq; cauſam mors duplex etiam erit. Vna naturæ congruens atq; conſentenea, quã obire unumquenq; neceſſe eſt, ideſt, qua ab animo corpus ſeiungitur: ac conſilit atq; delectus altera, qua philoſophi ſeuocare animũ à ſocietate & contagione corporis enituntur, eoq; modo mortem dicuntur cõmentari, ideſt, id unũ agere, ut maximè animum à corpore abducant. Non planè enim ſi ab animo corpus ſeceenatur, proinde animus à corpore ſeuocabitur. Animi enim qui quadam corporũ cupiditate ducũtur, poſt corpori interitum, in corporũ amore perſiſtũt. quippe qui, ut ferunt, in monumẽtis atq; ſepulchris uerſentur, in quibus umbratiles quædam animorũ ſpecies uiſæ ſunt. Quinetiam nec ſi animus ipſe à corporis domicilio exceſſerit, continuò corpus ab animo ſeparabitur. Nã qui uitam è ſapientiæ ſtudio agunt. quãquam huius uſura lucis perfruuntur, ſeipſos tamen à corporis colluuione abducunt. Itaq; rectè philoſophiam mortis eſſe cõmentationẽ præceptũ eſt, ideſt, diſceſſionis ab animo corporis meditationẽ. Sed exiſtit deinceps quæſtio, cum philoſophiæ propoſitus finis ſit rerum cognitio, quid ſit cur definitionem eam, quæ philoſophiam rerũ, quia res ſunt cognitionem eſſe aſtruit, quæq; eam diuinarũ atq; humanarũ rerum cognitionem eſſe declarat: à ſubiecto nõ à fine hauſtas eſſe dixerimus? Quemadmodũ enim cum medicinam ſcientiam eſſe dicimus, quæ in corporum humanorum contemplatione cernatur, à ſubiecta re eam duci definitionem putamus: at cum ualetudinis efficientem, à fine, quod in eo ſuum ipſa ſtudium conſumat: ſic in philoſophia, ſi eius finis ſit rerum cognitio, definitionẽ quæ id explanet à fine ſumptam eſſe exiſtimare par eſt. in quo in primis uidendum eſt, cum philoſophiæ aliud eiuſmodi genus ſit, ut tantũmodo animo rem cernat, aliud ut moliatur aliquid & faciat: duos quoq; futuros fines. Nam cum mortis cõmentationem philoſophiam eſſe dicimus, definitione eam explicamus, quæ ducta ab illa parte philoſophiæ eſt, cuius oẽ opus eſt in agendo: cum aũt rerum quia res ſunt cognitionẽ, tum eam à parte cuius omne ſtudium in rerum cognitione uerſatur, definimus. Cumq; Dei ſimilitudinẽ quantũ natura humana ferat, ab utroq;. Sic medicina, utpotè quæ cõcreta cõpoſitaq; ſit, cum iuata eam modò finitur ſui partem, quæ in rerum cognitione contẽplationeq; cernitur, ſcientia eſſe dicitur, quæ in humanorum corporũ cognitione elaborat. ac meritò quidem definitionẽ eam à ſubiecto trahi opinamur. At uero cum iuata id cuius gratia ſuam ipſa ad uſum contẽplationẽ adhibet, ualetudinis efficiẽtem eſſe dicemus: hãcq; à fine ſumi definitionem fatebimur. Cęterum quoniam philoſophia in ſola rerum contẽplatione uerſatur (nõ ob aliud enim quã ut res intelligamus inſtituitur) fieri non poterit, ut altera eius definitio ab re ſubiecta, atq; altera ab extremo ducta fuiſſe uideatur. Omnem enim cognitionem, alicuius rei eſſe cognitionẽ oportet: quocirca idem genus cognitionẽ, & rem quæ ſub ea ſubiecta eſt cõtinebit. Præterea ſiue à ſubiecto, ſiue à fine eam ſumptã eſſe dixerimus, nihil errabimus, quanquã ab utroq; potius ducta eſſe uideri poteſt. Verum ad definitionum diſcrimen, eius ſcilicet quæ Dei eſſe ſimilitudinem dicit, nec quibus in rebus ea ſimilitudo hæreat oſtẽdit, atq; eius quæ mortis eſſe cõmentationem contendit, eo profectò modo à nobis appellatæ ſunt. Atque etiam alia eſt philoſophiæ definitio apud Ariſto. quæ ab excellentia pręſtantiaq; eius elicitur, qua cæteris omnibus & diſciplinis & artibus antecellit: hoc modo, philoſophia eſt ars artium, ac ſcientiarum ſcientia, cuius certè uis tale quippiam ualet atq; efficit. Cognitio omnis, aut artibus, aut ſcientiis eſt conſentanea: porrò artes ac ſcientiæ rationibus nihil illæ quidẽ inter ſe diſcrepant, utriuſq; enim conſtantes ſtabileſq; ſunt rationes atq; eiuſmodi ut fallere nequeant, ſed materia diſſentiunt. Nã ſcientiæ in his, quæ ſine ulla mutatione uarietateq; cohęrẽt, ſemper uerſantur, quo in genere ſunt, Aſtronomia, Geometria, atq; Arithmetica. Artes uerò in iis quæ plerunq; cõmutantur elaborant. Quocirca Geometriæ rationes nunquam illæ quidem euariant, uelut quæ ait, in omni circulo à medio ad circuitum omnia interualla æquè diſtant: id enim ita ſemper ſe habet. At Medicinę præcepta mutãtur: ut cum dicimus, contraria cõtrariorũ ſunt remedia: quia Medicina non ſemper in eodem exiſtit. Nã non omnibus morbis adhiberi remedia poſſunt: quid enim ſi lethalis morbus ſit? Pręterea incidunt ſæpe tempora cũ non modò non contrariis, uerum etiam ſimilibus morbi curantur, ut in his qui temerè ac fortuitu contingunt. Frequẽter enim affuſa frigida remiſſum calorem ac penè amiſſum reuocauit. Initia ergo cęteris ſcientiis atq; artibus philoſophia ſuppeditat. Ac Geometrię quidem ea quę de toto genere ſuſcipiuntur: quia quæ generalia ſunt philophia exquirit. Ad hæc Geometria punctum indiuiduum ſumit, atq; ita magnitudinem in infinitum ſecat. atq; hæc ille quidem citra demonſtrationẽ initia uſurpat. At uerò philoſophus ea ipſa demonſtrabit. Q uia enim, inquit, quod terminat atq; aliud cõplectitur, eo quod terminatur uno eſt interuallo minus. Nam corpus cum triplex interuallum habeat, extremitate & quaſi libramento cõtinetur, quæ longitudinis eſt, & latitudinis particeps, craſſitudine autem caret, qua à corpore etiam ſuperatur. Corporis uerò extremitas, in qua longitudo atq; latitudo eſt, linea clauditur, quę unico eſt interuallo prædita. ac linea demum puncto, quod nullam magnitudinem habet, nec in partes diduci poteſt, ſi modò rectè præceptum eſt quidquid aliud continet, eo eſſe quod ab eo cõtinetur uno ſemper interuallo inferius. Omnemq; in infinitum magnitudinem ſecari ita docet, ut fieri in puncta diuiſionem oſtendat quæ ſimplicia ſunt, & nulla admixtione concreta, nec corpus conſtituunt. Itaq; tria in corpore ſunt interualla, cum id in pũcta diſcerpitur. Nihil enim corpori diuiſio illa detrahit, niſi quantũ à quantitate aufert magnitudo. Tres uerò habere magnitudines, haud quaquã. In corporis ergo definitionẽ infinita cadit diuiſio, & in qua exitus nullus reperitur. Atqui ſi ob iuſtam nobis atq; ingenitam imbecillitatem perfici ea atq; abſolui non poteſt, nõ idcirco tamen tollenda funditus eſt. Præterea Medici, cum ſit à Philoſophis demonſtratum, quatuor, ex quibus quæ in ortu poſita ſunt corpora naſcerentur, eſſe elementa, ea uulgaria quæ omnium ſermonibus percrebeſcunt, nec iis aut plura aut pauciora, id de quo inter omnes cõſtitit, ſumentes, ex iis ipſis quatuor oriri humores cõtendunt, qui ſuperioribus illis elemẽtis certa proportione atq; comparatione reſpondeãt. Iam uerò Rhetoricæ etiã ipſi, Philoſophia initia quędam exhibet. Comparatione enim & proportione quadam

exemplum atq; enthymema, cum inductione & argumento ratione concluſo collata, orator accipit. Nã ut hoc uerũ eſt, quòd ſua ui neceſsitatẽ afferat, ſic enthymema ueritatis ſpeciem quandã ſimulachrũq; præbet: ſed propõne tamen una à ratiocinatione ſuperatur, obeãq; cauſam imperfecta appellatur ratiocinatio. Ratiocinatio uerò eſt oratio, in qua nonnulla ita ponuntur, ut diuerſum quippiam ab iis neceſſariò efficiatur: quia ea ita ſint. Eodemq; modo cum inductione exemplũ cõparatur. ut enim illa uеriſimile, quòdq; plerũq; ſolet euenire continet, non omnino tamen quod uerum ſit, ita & exemplum. Sed hoc tamen intereſt, quòd inductio oratio eſt quæ ex rebus ſingulis, fidẽ generis uniuerſi facit. exẽpli gratia, Rhetoricæ ac iuris peritia, hæc item atq; illa ars, ad uitam degendã ualẽt, omnis igitur ars atq; adeo ipſa Medicina, ad uitam agẽdam conducit. Exemplum autem ea iis quæ ad res ſingulas pertinent, quæ generi ſunt ſubiecta conſtruit, atq; inde ſua ducit argumenta. De Topicis enim Ariſtoteles in differendi ratione diſputauit, atq; artes omnino tractauit Rhetoricas. Itaq; principia à Philoſophia Rhetoricę mutuatur. Præterea orator æquitatem, honeſtatem, atq; utilitatem ad ſuũ ipſe uſum adhibet: quãuis ſit neſcius quomodo, quoq; loco ac tempore æquitatis habẽda ſit ratio, & eadem ne cum utilitate ſit. Incidũt enim ſæpè tempora cum eandem eſſe cum utilitate æquitatem putant: aliàs uerò hãc ab illa ſeiungunt, ac uelut aduerſam conſtituunt: hæc enim reciprocari nonnunquã atq; retrò agi ac cõmeare oſtenſum eſt. Eademq; eſt Grãmaticæ ratio. In ſonorũ enim concentu ea, atq; temporibus elaborat: quæ ſunt Muſicæ propria, quę ipſa pars eſt Philoſophiæ. Præterea non de differendi ſolũ ratione inſtitutæ artes atq; ſcientiæ Philoſophiæ adiumẽtis utuntur, ſed etiam quæ ſordidæ uulgo appellantur, quæq; ſunt in faciendo poſitæ. Nam ſtructor perpendiculo utitur, quò rectus ne paries ſit, diiudicet. Sed tamen quid perpendiculum ſit ignorat. Philoſophus autem huius etiam cauſam reddet. Dicet enim grauia omnia ſuapte nutu ad centrum prouolui, atq; inde exiſtere, ut ad medium ea iuxta rectos angulos omni ex parte delabãtur: quod recti anguli aliò flecti torqueriq; non poſsint. ac Architectus quidem amuſsi ad lignum utitur dirigẽdum, quænam autem rectæ ſit lineę natura neſcit, atq; ita Geometria, quippe quę ſubiecta pars Philoſophiæ ſit, id eadẽ ratione oſtendet. Nam recta linea eſt, quę ex æquo inter ſua puncta iacet, eodẽq; modo reliquas omnes ſcientias ac artes ſua à Philoſophiæ mutuatas eſſe principia licet intueri. Eſt igitur Philoſophia, ars artium ac ſcientiarum ſcientia. Quum tamẽ ait Pythagoras, Philoſophiam ſtudium eſſe ſapientiæ, is primus ueterum errorẽ cõſectatus eſt. Nam quia ueteres σοφὸν, ideſt ſapientem eum uocabant, qui quapiam eſſet arte eruditus, ut Archilochus ſcribens,

Tridentem ualidam, ac ſapiens nauta: & Homerus,
Poſtquam ſapiens faber ordine fecit: Et,
Palladis afflatus occultaq; numina noſcens,
Artes qui norit cunctas, monitrice Minerua.

appellationem eam in Deum tranſtulit, quaſi ſapiens ſolum ille Deus dicatur, in quo & ſapientia, & ſempiterna ſit naturæ cognitio. Cum autem is uideret alios Rhetoricæ, alios Grammaticæ duci ſtudio, alios in contẽplatione rerum cogitationeq; uerſari, ſolos eos qui cęteris omnibus pro nihilo habitis rerum naturã ſtudioſe intuentur, ſapientię ſtudioſos appellauit, ideſt, Philoſophos. eodemq; modo rerũ earum cognitionẽ Philoſophiam Græcè uocauit, nos ſapientiæ ſtudium dicere conſueuimus. Atq; hæc quidem Pythagoras. Sunt autem aliæ Philoſophiæ definitiones, ſed de iis hactenus ſatis multa diximus. Quoniam autẽ res omnes, aut in partes tribui ac diuidi poſſunt, aut non poſſunt, an in partes Philoſophia poſsit ſecari neceſſe eſt explicare. Quod ita faciam ſi antè paucis quid diuiſio ſit, ac addiuiſio atq; ſubdiuiſio dixero. Aequum eſt enim ut qui de diuiſione diſſerat, horũ omnium uim naturamq; exprimat. Diuiſio igitur eſt, prima rei partitio: ut cum animal in rationis particeps expersq; diduco. Addiuiſio uerò eſt ſecundaria rei diductio, ut cum animal in terrenum partior atq; cœleſte, aut in mortale & immortale, ſolaq; collocatione hæc inter ſe diſcrepant.

Subdiuiſio autem eſt, diuiſæ iam rei atq; ſua in membra diſtributę, partium atq; ſpeciei ſectio, ac ſpeciem quidem ſubalternam hoc præſertim tempore intellectã uolumus, ueluti cœleſte fixum eſt alterum, alterũ errans: nam cœleſte ſpecies animali ſubiecta fuit, idq; in fixum ac errans ſubdiuiſimus. Cum uerò quid diuiſio ſit atq; addiuiſio & ſubdiuiſio hactenus expoſuerimus, reliquũ deinceps eſt, ut de Philoſophiæ diuiſione dicamus. Nam ea duas in partes quorundã, ac tres aliorum ratione (quàm fieri poteſt longiſsimè diuiſione repetita) omnis diſtributa eſt. Eius enim aliud eiuſmodi genus eſt, ut totum in rerum cognitione cernatur, alterũ ut moliatur aliquid & faciat, ac tertiũ ut uerũ rationibus inhæreſcat. Quod uerum nec ne ſit, poſteà uiderimus. Re ergo uera diuiſionis initium duci ab ea parte oportet, quæ tota in diuinitatis contẽplatione uerſatur. Nam rerũ omnium origo eſt diuinitas, ut non incõmodè hoc membrũ à priſcis ſcriptoribus ſit adiectũ. At uerò noſtro ordine pars ea quæ in rerum indagatione poſita eſt, primas illa quidem tenet (non enim natura quæ animo ſolũ cernitur, quàm quæ percipitur ſenſibus, intelligi prius poteſt) ſed re uera tamen extremũ ſortitur locum. Naturarũ enim omnium poſtrema eſt, quę terrenis concretiſq; corporibus eſt interſepta quodammodo: ac proinde extremũ ea ſedem ſortitur. Media uerò & uelut interiecta pars ea eſt, quæ in diſciplinis atque artibus ingenuis ſuum ipſa ſtudium conſumit, quia ipſius naturæ ordine medium locũ obtinet, quã ueteres nõnulli parti ei quæ in naturæ explicatione ſita eſt præpoſuerunt, ideo, ut traditum eſt à Platone, ut hærentes rerum in noſtris animis ſpecies intelligamus, in eorũq; reuocemur memoriam quæ in rebus ſpectantur ſingulis, uia & ratione quadã tanquam ſcalis artibus iis quæ in diſciplinarũ cognitione uerſantur inſtructi. Ariſtoteles uerò, quiq; eius ſunt opinionẽ ſecuti mediam ei ſedem tribuerunt, id aſſequi frequenti uolentes conſuetudine, ut à naturæ quæ materia prædita eſt intelligentia, ad eius quę intelligitur cognitionẽ ſurrigamur, quæ quanquã ſub aſpectũ non cadit, potiorẽ tamen habet nobilioremq;, quã quæ materia eſt circũfuſa conſtantiã. Hic enim lineam quæ materiæ immerſa eſt intuemur, non quò materiam, ut ceram, atq; æs cognoſcamus, ſed ut eã inde ſeparatã in animũ iniiciamus: ubi firmiorem habitura eſt, & conſtãtiorem ſtabilitatem. Ac differre à cera quidem figurã, ut lineam ac triangulum, hinc perſpici poteſt, quod quãlibet figura trianguli cõmutetur, uno detracto latere, mutari tamen cera non ſolet, quod neceſſe erat conſequi, ſi ea inter ſe natura conſpiraſſent. Igitur Philoſophia duas in partes omnis diſtributa eſt, in eam quæ tantũmodo animo rem cernit ac contẽplatur, atq; eã cuius omne opus eſt in agendo. Sed exiſtit quæſtio, quamobrem duas in partes ſolum, nec plures, aut pauciores, diſtributa ea ſit? Sed ut in partes pauciores ſecaretur fieri non potuit. Qđ enim ſimplex atq; unum eſt, diuelli unam in partem non poteſt. Quamobrem ergo in membra plura ea fuſa nõ eſt, ſed duobus cõtenta partibus acquieuit? Huius uero duplex eſt ratio. Quia enim Philoſophiã Dei eſſe ſimilitudinẽ, quoad natura humana patiatur, dicimus: atq; Deus actiones duas habet, cognitionis alteras, quibus uniuerſa intelligit: atque alteras prouiſionis, quibus fluxæ rerum ſaluti proſpicit, meritò Philoſophia in agẽtem atq; contẽplantẽ eſt diuiſa, hæc enim rerũ naturam percipimus, atq; illa rebus rationibuſq; cõſulimus deterioribus, eoq; modo nos ipſos Deo ſimiles efficimus. Præterea duæ ſunt mentis noſtræ actiones, cognitionis quædã, ut intelligentia, opinio, ſenſus, Phantaſia, mẽſt aliæ quæ uitæ atq; appetitionis uim habent, ut uoluntas, cõſilium, ira, cupiditas. Quocirca qui ſunt ſapiẽtiæ ſtudioſi, oẽs animi partes ornare perficereq; enituntur. Itaq; ab ea parte quæ in rerum contemplatione cernitur, cognitionis nobis inſita uis perficitur: ut ab ea quæ eſt in rerum actione poſita, cui uitæ atque animationis adeſt facultas. Ad hæc pars ea quæ in rerum cognitione uerſatur, in tres etiam partes diuiſa eſt, in diuinarũ rerum cognitionem, quæ θεολογικὴ à Græcis appellatur: in diſciplinarum cõmentationem atque peritiã, quę μαθηματικὴ & naturæ explicationem, quę φυσιολογικὴ dicitur. Nec id temerè tamen, ſed iure factum optimo exiſtimari

debet. Quandoquidē enim philoſophus uniuerſi naturā ſtudioſe intuetur, eius uero triplex ordo exiſtit: (quoddā enim genus eſt rerum, quod auulſum à materia per ſeipſum conſtare, uimq; ſuam atque æternitatē poſſit, ut diuinū: alterum quod à materia ſeparatum cohærere ſi nulla ui contineatur, non poteſt: uelut naturales formæ quæ materiæ participes ſunt, ut ligni, & oſſis, & carnis: & uniuerſa omnino corpora quæ naturalia proinde uocamus, quòd à natura proficiſcantur ac manent. Tertium autem mediū quod aliqua ex parte, ſeparari poteſt, aliàs nō poteſt, cuius generis ſunt, Mathematica. Orbis enim & triangulus cæteraq; eiuſmodi per ſeipſa ſine materia conſtare non poſſunt, eoq; modo auelli à materia nō poſſe ea dicimus. Quia uero ligneum orbē ſpectātes, & æreum, ac lapideum, eius formā in animo infixam impreſſamq; habemus: ac ſi cera annuli formam ſine materiæ eius ulla parte recipiat, idcirco ſeparari poſſunt, quia ratione à re ſubiecta ſeiunguntur. Quoniā ergo, res quędā ſeparari planè poſſunt, quædā omnino non poſſunt: atq; aliæ aliàs abiunctionem admittunt, aliàs reſpuūt: non abs re quidem pars ea Philoſophiæ, quæ in rerum contemplatione uerſatur, in eſſentiæ diuinæ cognitionem ac ſcientiarum peritiā, naturæq; obſcuritatem diſtributa eſt. Nam quæ auulſa omnino ſunt, ad eam partem referuntur, quæ in rerum diuinarū explicatione elaborat. quæ uero ſe uocari à ſubiecto nullo modo poſſunt, ſub naturæ ſunt expoſitione ſubiecta. Quæ autem quandoque ſeparantur, ac quandoq; ſunt eiuſmodi, ut abduci à re ſubiecta non poſſint, in ſcientiarū cadunt peritiam. Porrò autem rerū materia concretarum formas, nulla poſſe ratione ſecerni, at mathematicas poſſe: ex his, quas hactenus expoſuimus, definitionibus perſpici poteſt. In orbis enim definitiōe, nullam materiā uſurpamus. Siquidē orbis, figura eſt plana, linea una comprehenſa, in qua à medio in ea puncto omnes lineæ rectæ ad ambitū eius eiectæ inter ſe ſunt ęquales. At uerò domū materia prætermiſſa, definitione explanare nō poſſumus. Dicimus enim domum eſſe operculū, quod uentorū, imbriū, calorisq; iniurias atq; incōmoda propulſet, quodq; è lignis lapidibusq; ſtruatur. Atqui ſi ita domum definias, ut nulla materiæ habeatur ratio, nobis in mentem nunquam id tabernaculū operculumue uenire poterit. Mathematica aūt meritò collocatione media extiterunt. Nam cum à naturalibus ad diuina tranſmitti continuo nequeamus, & ab iis quæ penitus cum materia cōiuncta ſunt, ad ea prouehi non poſſimus, quæ à materia oīno ſecluduntur: iter p Mathematica facimus, utpotè quæ partim auulſa à materia, partim cū ea ſint coniuncta. Ob eā enim cauſam Mathematica uocātur, quòd par ſit nos cum ea cognouerimus, iisq; fuerimus aſſueti, ad diuina mente percipienda attolli. Siquidem ut eſt apud Plotinum, tradendæ idcirco ſunt adoleſcentibus diſciplinæ, quæ à Græcis μαθήματα appellantur: ut ad quandam naturæ corpore carentis conſuetudinem informentur. Nā ſi à rebus naturalibus ad diuinas ſubuehi continuò, ac citra medium enitamur, haud ſecus aberrabimus, ac ſi quis à domo obſcuriſſima ad ſplendidiſſimam proficiſcatur. Atq; ut in ædibus quæ mediocri lumine illuſtrentur, paulum conuenit immorari, atq; ita demū ad maximè illuſtres commigrare: ſic poſt rerū naturalium cognitionem, ætatis aliquantū in Mathematicis conterendum eſt, ut ad diuina deinceps promoueamur. Diſciplinæ enim hæ pontis cuiuſdam ſcalarumq; uice funguntur. Quæ ipſa cum naturalibus etiam conſentiunt, qua ratione à ſubiecto nō ſeuocātur: ac cū diuinis cōgruunt, quatenus poſſunt ſeparari. Pars aūt ea quæ in naturæ obſcuritate cernitur, φυσιολογικὸν appellata & quę diuinitatis ē cōtēplatrix, ſubdiuidi illa quidē poteſt. has tū ſubdiuiſiones, ut quæ longiores ſint q̄ primæ inſtitutioni cōueniat, prętermittemus. Iam uerò Mathematicarum in quatuor partes diſtribuitur, in Geometriam, Aſtronomiā, Muſicam, & Arithmeticā. Ac Arithmetica quidem circa numeros uerſatur, ſuntq; diuinæ planè eius artis quæſtiones. Neq; enim illa operam in eorum cognitiōe numerorum ponit, qui in uſu apud rudes & imperitos frequenti poſiti ſunt, quisq; uulgus rerū init multitudinē: ſed numerorū formas intuetur, eorūq; inter ſe affectiones exponit. Veluti ad ternionē ſenarius duplam obtinet rationē, atq; ad ſenionē nouenarius ſeſquiplam. Præterea numerorum etiā certus, paris & imparis, atque impariter paris, ac alia eiuſmodi permulta exquirit. Geometria autē corporū figuras atq; magnitudines diſpicit. Muſica porrò in fidium uerſatur cōcentibus: quinetiam & incantibus quibuſdā ſtudiū atq; operam ponit, qui affectiones & perturbationes animi ſopiunt, eūq; ad uirtutem excitant. Quod declarant quæ adhuc ſuperſunt muſicæ propemodū extinctæ atq; intermortuæ ueſtigia. Audito enim tubæ clangore, animatiores feruentioresq; efficimur, ob eāq; cauſam prælijs tuba conuenit. Audientes uerò ſpectaculorū cōcentus, toti quaſi emollimur, atq; animo diſſoluto euadimus. Nā proditū memoriæ eſt, Pythagorā cū forte animaduertiſſet adoleſcentē tibicinam quæ cantilenā mollē modularetur comitantē, iusſiſſe eā inuerſa tibia canere, quo facto uniuerſa pueri cupiditas concidit atq; extincta eſt. Quamobrē fides eſt iis adhibēda, quę de diuina arte muſica circumferuntur. Idcirco ergo diuinus ille Plato iuuenes cohortatur, ut muſicæ atq; gymnaſticæ ſtudeāt, ut muſica mētē, & gymnaſtica corpus excolant atq; exornēt. Aſtronomia aūt circa ſyderū motus conuerſionesq; uerſatur. Cęterū quā obrem quatuor ſolū in partes mathematice diuiſa ſint, nunc dicamus. Scire igitur oportet mathematicen quantitatē tractare. Quantitas aūt alia diſiuncta, atq; alia coniuncta eſt. Ac coniuncta quidē alia eſt mobilis & alia immobilis. Mobilis item alia ſemper moueri, alia nō ſemper pōt. Diſiuncta porrò in eā quæ p ſe eſt, & q̄ in iis q̄ cū alio cōparantur, diducta eſt. Igitur q̄titas cohærens atq; cōiuncta, & q̄ agitari impulſu nō pōſt, eſt terra: in qua Geometria elaborat. Quāobrē Geometria eſt cōiunctę q̄titatis, imobilis, ſitūq; habētis cognitio. Quantitas cohærens, & quæ ſemper mouetur eſt, cælum: in cuius cognitione Aſtronomia uerſatur, eſtq; Aſtronomia cohęrentis & continuatæ quantitatis, quęq; ſemper moueatur cognitio. Verſantur uerò Aſtronomia ac Geometria circa continuā quantitatē. Continuū autē eſt id, cuius partes certo quodā termino coaptantur. Verumenimuero deiunctam ſeparatamq; quantitatē quandā per ſe eſſe: diximus, & quandā quæ in iis ſit quæ cum alio conferuntur. Quantitas perſe ſeparata eſt numerus, cum eum per ſe ſe intuemur, ut, pariter parem & impariter parē: nec eius ſortuitā cum alio affectionē ſpectamus, nam id ad Muſicā pertinet, in eoq; ipſa cernitur. Quantitas deiuncta per ſe eſt numerus per ſeipſum cōſyderatus. Arithmetica ergo eſt, deiunctæ perſe quantitatis cognitio. Quantitas aūt ad aliud ſeparata eſt, affectio ſonorū inter ſe quædā mutua, in qua harmonia cernitur: cuius è numeris petenda cognitio eſt, & in qua uerſatur Muſica. Eſtq; Muſica cognitio quantitatis ſeparatæ affectionem habentis alterius ad alterum. Oſtenſum igitur eſt Muſicam atq; Arithmeticam in deiuncta quantitate elaborare. Deiuncta uerò quātitas eſt, cuius partes nulla extremitate cōtinentur & copulātur. Atq; hęc quidē in pte ea quę rerū cognitiōe ducitur cōſyderātur. Sed quoniam id cuius oē opus eſt in agendo Philoſophiæ partē eſſe diximus, id etiam nobis hoc tēpore diuidendum eſt. Id ergo in ἠθικὸν οἰκονομικὸν & πολιτικὸν dicitur. Nā qui uiſile quippiā agit, aut ſibi id facit, & ſuos ipſe mores exornat ἠθικὸς, id eſt moralis dicitur: uel ſuæ domus cōmodis utilitatiq; ſeruit, & οἰκονομικὸς uocatur: uel Reip. uniuerſorūq; ſaluti conſulit atque πολιτικὸς, id eſt, ciuilis appellatur. Nonnulli autem qui ciuilis ſit eundem moralē & œconomicum dici contēdunt: quòd qui omniū utilitati conſulat, multo magis rebus rationibusq; ſuis poſſit ſtudere: illiq; ipſi eodem ciuile & quod in agendo eſt poſitū reuoluunt. Quibus reſpondemus, permultos nimia laudis cupiditate adductos Reip. utilitati illos quidē conſulere, ſed nullam tamen ſui rationē habere. Quocirca tria illa partis quę in rerū actione uerſatur genera à ſe inuicem diducta ſunt: quorum unūquodq; in legū dictandarum peritiam, atque iudicandi rationem diducitur. Philoſophus enim cuius ſtudia uitaq; omnis in Reipub. adminiſtratione uerſatur, leges fert, ad quarū præſcriptū ciues uiuere conueniat: & iudicat: aliosq; premiis, aliosq; qui à cōſtitutis legibus deflexerint pœnis, ſuppliciisq; afficit. Scire tamen debemus, hæc ipſa in re etiam familiari ſpectari. Nam & domi leges ferimus, ac ſeruos liberosq; ſi quid offenderint,

rint, pieſtimus, quęſtionemq; tãquã diſcernimus. Quinetiam non in re ſolum familiari, ſed & in moribus eadem conſyderantur. Nam & moralis leges ſibi conſtituit cum ait,

Aſſueſcas moderarier hæcce,
In primis uentrem, ac ſomnum, Veneremq; ſalacem.

Itemq; Iſocrates cum inquit,

Deos time, parentes honora, amicos reuerere, adhæc ſeipſum diiudicat, hoc modo.

Ne prios in dulcem declines lumina ſomnum,
Omnia quàm longi repulaueris acta diei.
Quæ prætergreſſus? quid geſtum in tempore? quid non?
Cur iſti facto decus abfuit, aut ratio illi?
Quid mihi præteritum? cur hæc ſententia ſedit
Quam melius mutare fuit? miſeratus egentem
Cur aliquem, fracta perſenſi mente dolorem?
Quid uolui, quod nolle bonum foret: utile honeſto
Cur malus antetuliſſe? dicta & facta per omnia
Ingrediens, ortoq; à ueſpere cuncta reuoluens
Offenſus prauis, des palmam, & præmia rectis.

Cęterum de ciuili atq; œconomico ſuo loco diſputabimus. nunc de moralis diuiſione, quidq; ipſum ſit, differẽdum eſt. Itaq; mos, quẽ ἦθος Græci appellãt, hominis eſt ornatus, atq; dignitas. Ornatus autem unius cuiuſq; rei eſt perfectio, quæ extremorũ priuatione declinationeq; emendatur, exuperantiæ. ſ. & defectionis: quibus conſtat turpitudo. Nã ſiquis turpem deformemq; eum dixerit, cui membrũ aliquod, ut manus, aut aliud defuerit: dicet profectò & eum turpẽ qui extra modũ membrorum multitudine indecorè prodierit: ut qui digito ſex, manuſue totidem habuerit: quales ſunt apud Apolloniũ gigantes. Turpe ergo eſt id oẽ quod à mediocritate, quæ eſt inter nimium & parũ, recedit. Omnis aũt turpitudo imperfecta eſt: nam ei ornatus eſt contrarius. Itaque perfectio ex exuperantiæ atq; defectionis, quæ imperfectiones ſunt, declinatione conſtat. Nam perfectioni contraria eſt imperfectio. Contraria aũt contrariorũ obſeruatione emendantur. Hactenus ergo quid eſſet Philoſophia, quaſque in partes diuidatur ſummatim quidẽ perſtrinximus. Diuina igitur res eſt. & de qua hoc etiã pręclarè dictũ ferunt, quod bono eo nullũ optabilius, nullũ præſtantius, neq; datũ eſt mortalium generi Deorũ conceſſu atq; munere, neq; dabitur. Ac de Philoſophia quidẽ diximus, De reliquis autẽ oĩbus, quę ſunt magis ad hunc librũ apta, deinceps diſputabimus. Philoſophiã rerũ quia res ſunt cognitionẽ eſſe diximus, quod cum intellexiſſent philoſophi, diſquirere cœperunt quonã tandẽ modo ad eorũ quę ſunt poſſent cognitionẽ euadere. Cumq; res ſingulas naſci, & occidere uiderẽt, atq; adeo eſſe infinitas, & ſciẽtiam ſempiternorũ atque definitorũ eſſe cognitionem (nã quod ſcientia percipi atque cõprehendi poteſt, cogitatione debet menteq; contineri, cuius modi infinitum eſſe non ſolet) ſe ipſi à ſingulis rebus ad uniuerſas ſubuexerũt, quæ & ſempiternæ ſunt, & certo quodam numero circunſcriptæ. Scientia enim, ut traditũ eſt à Platone, ἐπιστήμη idcirco à Græcis appellatur, quòd nos in certisſimũ quendã rerum ſtatũ exitumq; prouehat: quod facilè, ſi à ſingulis rebus ad uniuerſas animũ conuerterimus, aſſequemur. Itaque ab hominibus ſingulis, ad uniuerſum hominis genus profugerunt. Nã ſingulatim noſſe quot ſint in mundo hoĩes philoſophus non inſtituit: contentusq; eſſe debet, ſi, quę uniuerſa ſit hominis natura, ſcientię peruestigatione cõprehendat: ea uerò eſt, ut homo animal ſit mortale, rationis particeps. Qui enim hoc nouerit, facile oẽs qui in mũdo ſunt futuri ue ſunt hoĩes cognoſcet. eo ergo modo ſeſe ad quoddã hominis genus retulerũt. Itemq; ab equis ſingulis, ad uniuerſum equorũ genus, quod ſingulos ſuo ambitu equos complectitur & continet, peruenerunt, dixeruntq; equum animal eſſe quadrupes, aptũ ad hinnitũ. Nõ enim ſingulos equos noſſe cupit Philoſophus, ut, qui ſit Xanthus, ac Balias: ſed totum equi genus indagat. Res enim uniuerſæ aſſiduè, ſiue ulla mutatione, aut uarietate, cohærẽt: non aũt hoc, & aliàs illo modo, ut ſingulæ, cõmutantur. Alia enim eſt Xanthi, & alia Baliæ, quẽadmodum alia Platonis atque Alcibiadis natura. At uerò uniuerſus hõ ac equus ſemper eadẽ ſunt. Nã oĩs equus animal eſt quadrupes hinniens: itemq; oĩs hõ animal mortale, rationis cõpos. Atq; etiam eadẽ eſt canis ratio, & cæterarũ animalis formarũ. Igitur cũ haſce ſpecies philoſophi inuenerẽtur, quę quanq̃ ſunt definitę, eas tamen percipere cõprehendereq; humanus animus non poteſt (nihil enim mirũ eſt nobis multa eſſe incognita aiantia) ad cõmune quoddã uniuerſorũ animãtium genus, quod ſingula oĩa eſſet cõplexum, ſui ingenii aciẽ cõtulerunt. Nã & hõ aĩal eſt, & equus, & canis. Præterea reliqua oĩa quia aĩalia ſunt, nihil inter ſe diſcrepãt. Cum præſertim ea oĩa eſſentia ſint aĩata, ac ſenſus particeps. Qui ergo nouerit quid animal ſit, aiantia etiã uniuerſa cognoſcet. Rurſum ab hac ficu, platano, uite, ad uniuerſam ficũ, platanũ, uitẽ aſcenderunt, atque eodẽ in plantis reliquis modo. Rurſumq; in cõmune his oĩbus genus plantam, ea coegerũt: quod plantas ſingulas cõplecteretur. Itaq; cõmunitates duas ſunt adepti, plantæ & animantis. Adhæc animãs ac plantã, ad animatũ retulerunt. Nam & plantę animatæ ſunt: cibum enim capiunt & nutriuntur, ac ſimile ſibi procreãt. Quoniã aũt animato contrariũ eſt inanimũ: inanimumq; eſt quod eſt aĩatione deſtitutũ, cuius generis multæ ſunt res ſingulæ, ac propemodũ infinitæ, Idcirco à ſingulis demũ lapidibus & lignis ad generalẽ lapidis lignĩq. naturã euaſerunt: rurſumq; à ſingulis lapidibus & lignis, cæteriſq; generis eiuſdẽ, ad inanimũ ſubuolarunt, quo hæc oĩa continentur. Atque ita duas ſunt cõmunitates cõſecuti, animatum atque inanimatũ: quas itidẽ ad cõmune genus, corpus, contorſerunt, quod eſt triplici undiq; interuallo præditũ. Nã lapis, ligna, hõ tres dimenſiones obtinẽt, ita & oĩa ſimpliciter quotquot ſunt corpora. Præterea ab animis, angelis, mentibus, & eiuſmodi aliis rebus ab omni cõcretione mortali ſegregans, ſcanſim ad quandã eius cõmunitatem quod caret corpore ſeipſos transfuderunt, quæ repugnare corpori uidetur. Nãq; ut triplicẽ hoc dimenſionẽ habet, poteſtq; omni ex parte diuidi: ita natura quæ expers eſt corporis, partibus omnino, omniq; interuallo caret. Quãobrẽ quid utriq; eſſet cõmune indagarunt, ac ſubſtantiã eſſe utrunque cõpererunt: quippe quæ utrunque ſuo uelut cinctu cõplecteretur atque obuolueret. Peræq; enim ſubſtãtia eſt quod corpore ſeptũ munitũq; eſt, ac quod corporis eſt expers, ut animus, angelus, Deus. Meritò igitur ad cõmune genus eſſentiã ſeſe extulerunt, cuius eſſentiæ nomen rem quæ per ſe conſtet ac cohęreat explicet: quod è cõtrario perſpici poteſt. Sũt enim quædã quæ cohærere per ſe non poſſunt, ſi nulla ui contineantur, in aliiſq; infixa ſint: quæ conſecutiones appellãtur, ut candor, atror, dulcor, & reliqua eiuſmodi: hæc enim ſua ipſa ui cõſtare nõ poſſunt, neceſſeq; eſt ut aut in ceruſſa candor, aut lacte, quæ ſunt corpora, hæreat. Quæ igitur cohærere per ſe poſſunt, & nihil ut ſint requirũt, uelut homines, animi, lapides: quæq; adiumento nullo ad ſuã cõfirmationem indigent, ſubſtantiæ uocãtur. Itaque ad cõmunitatẽ quandã quæ eſſentia eſt, deuenerũt. Oẽs ne igitur res (nam hoc dicet aliquis) in ſubſtantia continentur quandoquidẽ rerũ omniũ cognitionẽ philoſophus profitetur? minimè. Rurſus enim occurrunt duo, & decẽ, & uiginti, quæ in cõmune quoddã genus cõpulerunt, nempè numerũ. Pręterea magna quędã, ac parua eſſe animaduerterunt: quę coniuncta atque cohærentia uocauerunt. Quoniã igitur numerus atque cohærẽs hoc conueniunt, quòd quantũ utrũque ſit: ea ad uniuerſam quantitatem retulerunt. Suntq; ea ratione duas cõmunitates adepti, quarũ cõplexu multę res cõtinentur, eſſentiã & quãtitatem. Poſthæc res quædã eſt alba, uariſq; ſingulatim candores: candor enim aut in ceruſſa, aut in niue, aut in olore ineſt: hæc igitur ad candorẽ totũ conuerterunt: eodẽq; modo atrũ ac fuſcũ, ad colorẽ deriuarunt. Inſuper, eſt dulcor, amaror, caliditas, frigiditas: quæ omnia ad quantitatẽ reuocarunt. Qualitas autẽ eſt, ea qua quales aliqui nominantur: ut ex candore cãdidus, & è Grãmatica Grãmaticus. Deinde ſunt dextrũ & ſiniſtrũ, duplũ & ſimplũ, quæ quidẽ omnia in iis quæ cũ aliquo cõferuntur collocarunt, quorũ uis ratioq; omnis in rerũ eſt affectione poſita, uel quæ quoquo modo ad alterũ referũtur. Eſt etiam in lyceo aut foro eſſe, cæteraq; omnia quæ de his dicuntur: quæ ad Vbi, contulerunt, quod

quidē locum denotat. Eſt itē, heri, pridie, hodie, cras, & reliqua id genus, quæ ad Quando conuerterunt, quod tempus ſignificat. Sub hæc eſt accumbere, ſtare, ſedere, quæ ad Situm eſſe trāſmiſerūt: ſitū eſſe autē huiuſmodi eſt corporis collocatio. Tum ueſtitū eſſe, armatū eſſe, anulumq; geſtare occurrunt: quæ ad Habere trāſtulerunt: habere enim eſt naturæ circa naturā collocatio. Deinceps uerberare, calefacere, refrigerare obtingunt: quę ad Agere promouerunt. Poſtremo cum dealbari quædā ac cædi uiderēt, ad Pati ea redegerunt, quod quidē nihil aliud eſt quàm ab altero cōmutari: quemadmodum efficere in re quapiā uerſari, ſtudiumq; atq; operā in ea ponere. Quocirca decem haſce demū in uniuerſum cōmunitates collegerunt, Eſſentiam, Quantitatem, Qualitatē, ea quæ Cum aliquo conferuntur, Vbi, Quando, Situm eſſe, Habere, Agere, ac Pati. itaq; res omnes in harum cōmunitatum aliquā cadunt. Categorias aūt eas Græci ideo nuncuparunt, quod in eorum quæ ſub ipſas ſubiecta ſunt aliquo dicātur. Has ergo Categorias Ariſtoteles tradidit, in quarū explicatione quarundā etiā uocū nobis non uſitatarū quæq; ab uſu quotidiano, & populari dicendi conſuetudine procul abhorrent mentionē iniecit, Generis, Speciei, Differentiæ, Proprii, & Accidentis. Humanitus ergo atq; ut philoſophum decet agens Porphyrius, hunc libellū cōfecit, quo quid quęq; uox deſignet exponit: ut his autē perceptis, quę ab Ariſtotele de Categoriis tradita ſunt, facilius pſpiciamus. Atq; hoc quidē eſt Porphyrii inſtitutū. Hunc aūt librū introductionis nomine inſcripſit, quia uia quædā eſt ad Philoſophiā uniuerſam. Nam reliquis commentariis omnibus qui ſunt de differendi ratione inſtituti Categoriæ præponūtur, atq; has ipſas introductio antecedit. Quod uerò philoſophi in rebus omnibus effecerunt (reduxerunt enim omnia ad primas cōmunitates decem, ut nihil planè ſit quod non ſub unam earum aliquam cadat) id ipſum Grāmatici in uocibus præſtiterunt. Cū enim uellent infinitā uocū multitudinē una ui, atq; una cōſenſione naturæ cōſtringere, quaſdā ad nominis, alias ad uerbi claſſes redegerunt: atq; ita ſuas illas octo orationis partes expleuerunt. Sic Porphyrius uoces omnes ſignificatione præditas, præter indiuidua quis ipſa quoq; ſignificant, quinario numero circumcluſit: ſub quo omnes quæ ſignificant, reducuntur. Ac de Philoſophia quidē & eius partibus, quamq; habeat perfectionē, ſatis multa dicta ſunt. Sequitur ut de his quę Philoſophis προλεγόμενα προτεχνολογούμενα τὰ πρὸ τοῦ βιβλίου appellantur, quaſq; noſtri: ſi qui hęc forte tractant, pręfactiones uocare ſunt ſoliti, dicēdū eſſe uideatur. Ea aūt ſunt huiuſmodi, inſtitutū, utilitas, opus legitimū, ordo, inſcriptionis cauſa, partitio in capita, præceptionis docendiq; modus & ad aliq partē relatio. Hæc aūt ſibi præfanda conſtituerunt, nō quod redundans quicquā, & à reliquis artibus alienū ſint cōmenti: ſed ut acrius auditores animarent, ardentioreq; diſcendi ſtudio incenderent. Siquis enim quidpiam legat operiſq; ignoret propoſitū, remiſſa ac uelut ſopita alacritate medio in curſu concidet: eodemq; modo hallucinabitur, ut uiatores qui longā uiā, eāq; ſibi incognitā ingreſſi, nonnunquā uehementer aberrare ſolent: eam igitur ob cauſam libri tradunt inſtitutum ac docent. Verūenimuero nō cōtinuo qui inſtituti rationē nouerit, propenſo animo in aliqđ opus incūbet, ni prius quē inde ſit percepturus fructū intelligat, atq; idcirco utilitatem iure exponunt. Iā uero quanquā hæc perſpeximus, hæremus tamen ac de ipſa utilitate diffidimus, niſi ueteris iuſtū eſſe opus perſuaſum habuerimus, eius quē eruditione præſtātē fuiſſe nouimus, ut Ariſtotelis, aut Platonis. Oīa.n. quę ab illis literarū tradita ſunt monumētis utilia eſſe credimus, idcirco ſit'ne genuinum opus quærimus. Quibus ſanè intellectis quædā de ordine & diſpoſitione operis exiſtit quæſtio ſubdifficilis, num primū id, an ſecundū debeamus cōſtituere: ob eāq; cauſam operis collocationē explicant. Porrò autem libri inſcriptionē explanāt, quòd ea breuiter operis inſtituti cōtineatur. Præterea ad quā potiſſimū etiam partē referatur exponunt, ut ad quid ualeat intelligatur. Explicatū igitur cū ſit à nobis, atq; reddita cauſa, quamobrē hæc præfari Philoſophi ſoleāt, iam tēpus eſt ad huius operis προλεγόμενα accedere. Inſtituit ergo hoc loco Porphyrius quinq; quaſdā uoces tradere, quibus res omnes cōprehenduntur, quæq; in naturis omnibus cernuntur. Hæ uerò ſunt, Genus, Species, Differētia, Proprium, & Accidēs. Et porrò utilis hic liber ad Philoſophiā. Ea n. tradit quę in formis ſua ui inſunt, & in quibus ſatis magna uis ad formas conſtituendas inſita eſt. Ab iis uerò quæ ut conſtet, ac cohæreant formæ efficiunt, demonſtrationes ducimus. Quāobrē de demonſtratione diſceptat, quæ ipſa plurimū ad percipiendā Philoſophiā uniuerſam poteſt. Demonſtratione enim illius extrema cognoſcimus. Eſſe aūt genuinū hunc libellū, aperta ac dilucida declarat elocutio, quodq; in aliis libris quæſtionem quæ hoc opere explicantur facta mentio ſit, ac quod Chryſaorium alloquatur: cui cum alios quoſdā Cōmentarios deſpondiſſet, hunc etiā hoc quidē tēpore huiuſmodi quampiā ob cauſam alloquitur. Pręceptor Chryſaorii erat, Porphyrius. Isq; cū ingenuas diſciplinas profiteretur, eum rogauit Chryſaorius, ut Aetnæ ignes atque incendia perſcriberet, tumq; peregere abiit. Eo tēpore Chryſaorius incidit in Ariſtotelis Categorias quaſdā quarum ille ſententiā cū aſſequi non poſſet, p literas id Porphyrio, qui tū fortè eo in loco diuerſabatur, indicauit: rogitans ſi quod pollicitus erat de Aetnę ignibus cōfeciſſet, ad ſe ueniret: ſin ſecus, introductionē quampiā conſcriberet, qua adiutus Ariſtotelis Categoriā rationē aſſequeretur. Quod et cū denegare nō poſſet Porphyrius, hunc libellū cōſcripſit, eumq; ex Platonis libris iiſdē penè uerbis hauſit. Quibus ex rebus, genuinum hunc eſſe Porphyrii librū, perſpici poteſt. Collocatione aūt hic liber cæteros omnes antecedit. Nā ſi ad Categorias Ariſtotelis percipiēdas uiā aperit, quæ in ſimplicibus uerbis uerſantur: illæq; differendi rationis ſunt initia: perſpicuū eſt librum, hunc diſpoſitione eſſe differēdi ratione priorē. Quocirca meritò illi præponitur. Ac de ordine quidem libri ſatis dictum eſt. Introductionis aūt nomine inſcribitur. atque exiſtit quæſtio quamobrē indeterminatè ita inſcripſerit. Obſcurū quippe eſt Grāmaticæ'ne, an Rhetoricæ, an differendi rationis ſit introductio. Dicimus ergo, nos præſtantes res atque egregias indeterminatè ſignificare ſolere, ueluti cum Homerū deſignamus poetā per excellentiam præſtantiamq; dicimus. Quid obſtitit ergo quo minus qui Philoſophiam eſſet deſignaturus, infinito eam nomine per excellentiā nuncuparet? Præterea, quod omnes fatentur, introductio artis aut ſcientiæ alicuius, procul dubio introductio eſt: at Philoſophia ars eſt artium, & ſcientiarū ſcientia. Qui ergo ſatis benè poterat qui nos ad illam introducturus erat, & per eā ad cæteras omnes artes ac ſcientias (ſi modo uera eſt eius definitio) unius duntaxat artis introductione librum inſcripſiſſet? Atque hæc quidē hactenus. Tres aūt in partes uniuerſum hoc opus diſtributū eſt. in quarum prima uoces quinque exponit. In ſecunda duobus eas modis inter ſe cōmittit. docetq; quid peculiare, quidq; proprium illæ inter ſe habeant: ueluti, qđ ſit generi cōmune, quid formę, quid proprio, quid differētiæ, & quid accidēti. In tertia quid omnibus inter ſe cōmune ſit. Quod autè quā aggrediatur, principiò libri inſtitutum attingit, eiuſq; utilitatem aperit, ac modū præceptionis explanat. Nempe futurum ſimplicem eū atque enucleatum, priuzq; accomodatum introductioni. Refertur autem hic liber ad Philoſophiæ de differendi ratione inſtrumentū: ea enim exponit quæ ad neceſſariæ cōcluſionis cōducunt initia, cuius genus argumentū eſt ratione cōcluſum, quod copulatę eſt orationis ſpecies, quodq; rurſum genus orationem habet. Præterea ad Ariſtotelis Categorias introducit, quæ ad differendi rationē pertinet. Differēdi autem ratio inſtrumentum eſt, nō pars Philoſophię, ut aliàs dicemus.

AMMONIVS IN PORPHYRII INSTITVTIONES.

Iacobi Columna

CVM ſit neceſſe ô Chryſaori,} Omnia ſuapte natura appetunt ſummum bonum: nam rerum omnium unum initiū exiſtit ſummum bonum. Itaq; omnia ad id quaſi ad utilitatē perfectionemq; propriam referuntur: tumq; demum certe unaqueq; ſuis expletur numeris, cum eius particeps euaſerit. Nemo igitur malum appetit. Quin etiam ſi quis hoc concupiuerit, illud tamen boni adductus ſpecie ſequetur. Cum igitur quempiam ad rem aliquam cohortari uolumus, principio quam ex eo utilitatem ſit percepturus explicamus, quò facilius eum alliciamus. Id uero hoc loco Porphyrius philoſophus effecit. Nam cum eos qui introducuntur primum, legendi operis huius cupiditate uellet incendere, qui ex eo fructus hauriatur initio exponit. Sed quoniam bonorum duo ſunt genera, unum, quia ultimū ut cum ualetudinem bonam eſſe dicimus: alterum, quia ad extremum refertur, ut cum bonam uenæ inciſionem perhibemus: non per ſe ac ſua ui illam quidem, ſed propter ualetudinē ex ea futurā. Neceſſariū non ꝓprie hoc loco, dicitur, ſed quia ad maiorem refertur utilitatem dicitur. Dicimus enim, ut conualeſcat, uenam eſt neceſſe ſecari, idcirco ita neceſſarium dixit hunc librum, quia ad Ariſtotelis Categorias quaſi extremum quippiam refertur. Nec is ut plumum utilis eſt, ſed quatenus ad ipſum conducit. Atque, ut paucis abſoluam, neceſſarium hunc hoc loco librū eſſe affirmat, cum ad maius emolumentum commodúq; quoddam educens: & aut quod utilis perſe ſit, aut etiam neceſſarius: quia abſq; eo reliqua Philoſophorum opera intelligi non poſſunt. Itaque neceſſarium duobus modis à Philoſophis uſurpatur. Nam uel utile neceſſarium uocant, uel quod ei quod ut ſit accidit, è regione opponitur. Atque id utile quidem appellant, quod ad rem aliquam efficiendam ualet, ut ueſtitum eſſe ac calceatum: hæc enim ut minus labefactetur corpus, minusq; labis contrahat, efficiunt, quò ſit etiam ut longiore duret tempore. Præterea neceſſarium, ut dixi, uocatur: quod contingenti repugnat, ſine quo conſtare ſubiectum non poteſt: ueluti, neceſſe eſt animantia omnia in quibus pulmo inſit ſpirare, ut uiuant. Res igitur quædam neceſſaria eſt reſpiratio, ꝙ ſine ea animantia quæ pulmonem habent, uitam degere non poſſint. Quocirca aut hac aut ſuperiori ſignificatione neceſſarius hic liber dicitur. Nos uerò nō hac, ſed priore dictum fuiſſe aſſerimus. Etenim prius quàm eſſet Porphyrius, quid ſibi Philoſophorum uellent diſputationes, non ignorabatur. Perſpicuum ergo eſt, neceſſarium eum proinde eſſe appellatum, ꝙ illorum nobis facilem expeditamq; cognitionem pariat. Fieri autem non poteſt ut poſteriore ſignificato neceſſarius dicatur: quaſi ſine eo intelligi illa non poſſint. Neceſſitatem itaque nō in opere, ſed in ipſa quinq; uocum tractatione: qua ignorata percipi cetera liqua accurate cognoſciq; non poſſunt, ponimus. Quamobrem Porphyrius quoq; non dixit cum ſit neceſſarium hoc opus: ſed, cum ſit neceſſe hæc noſſe. Quippe multo antè tempore quàm de hac re quicquam Porphyrius ſcripſiſſet, neceſſaria eius fuit explicatio, ut quæ de Philoſophorum quæſtionibus literarum fuerant tradita monumētis intelligerētur: quod ſine his perſpici ea non potuerint. Fructus igitur is ex hoc percipitur opere, ut quæ ab antiquis ſparſim confuſeq; tradita fuerunt, in unum à Porphyrio coacta, breui atque enucleata diſputatione clandātur. Quamobrem non ſibi harum inuentionem rerum uēdicauit: ſed inſtitui, inquit, quæ de quinque his uocibus à maioribus didici, explicare. Principiò autem de tribus hiſce diſceptat: de propoſito ac inſtituto, cum ſe quinq; uoces tractaturum pollicetur: de utilitate, cum librum hunc non modò ut Ariſtotelis Categoriarum rationem aſſequamur, uerumetiam (ut in uniuerſum dicam) ut uiam ac Philoſophiæ rationem omnem quæ quidem in inuentione cernatur intelligere fanè queamus, neceſſarium eſſe ait.

Præceptionis porrò modum exponit, cum apertum eū atque euolutum fore dicit, & qui ad eorum qui hiſce rebus primum inſtituuntur ſenſum, accommodetur. Nā obſcuris prætermiſſis quæſtionibus, ad eas, quæ paulo explicatu ſunt faciliores orationem conuertit, nec ſcribendo longius effunditur: nec perplexa oratione utitur, quò facilius iuuenes ad huius operis lectionem pelliciat. Coniunctio autem, Et, non ſolum ad Categoriarum doctrinā quæ ab Ariſtotele tradita eſt, ſed ad uniuerſam etiam Philoſophiam proficere hunc librum oſtendit: aut etiam ſi placet, non modò ad Ariſtot. Categoriarum rationem, uerumetiam ad reliquas omnes Categorias, eorum qui in iſdem argumentum aliquando incubuerunt, hoc opus docet conducere. Multi enim ex Ariſtotelis neceſſariis ad eius imitationem Categoriarum, & de interpretatione, deq; iudicandi arte libros confecerunt. Itaq; non prodeſt ſolum hic liber ad Categorias Ariſtotelis, ſed etiam ad Archytæ, atque ad omnes denique Philoſophorum diſputationes Exiſtit autem in ipſo ſtatim initio quæſtio, abſurda illa quidem & quæ nihil ad id quod agitur momenti afferat: ſed pręclare tamen ſe res habeat, ſi eam quod, propter ſolutionum conſyderationem iucunda ac fructuoſa futura ſit, explicauerimus. Ea igitur ſic habet. Entis unum neceſſarium eſt, alterum quod ut ſit accidit, tertium exiſtens. Neceſſarium eſt, quod aſſiduè ſine ulla mutatione cohæret, quodq; neceſſe eſt eſſe: ut, ſi ſol ſuper terram uoluatur, eſſe diem. Quod autem accidit ut ſit, id eſt, in quod contraria duo cadere poſſunt, ueluti, ut legat, & non legat: quorum cum neutrum reuera ſit, ratione tamen utrunque initur. Exiſtens autem eiuſmodi eſt, ut ad actionem prouectū promotumq; ſit, ac contingens in rem ipſam inflexum. Quàm hæc igitur ens iam latè non patet: ab eo enim nō commeat retro uiciſſim ſtatus conſequētia, ut in proprio ac definitione contingit, quæ mutuò in ſeipſis dicuntur, ſibiq; inuicē ſubiecta ſunt. Hæc enim inter ſe duo adæquāt. Nam aut ſubiectis rebus prædicata, aut prædicatis res ſubiectæ ſunt æquales, proprium & definitio. Quid autem eſt ſubiectum, quid prædicatum? Subiectum eſt, cui eſt adiectus articulus. Prædicatum, cui, eſt, aut re ipſa, aut ratione additur. Nam cum prædicata uocabula ſint aut uerba, uocabulis re uera uox adiungitur, in uerbis ratione ſola hæret, ueluti ſi homo dixerim, ſubiectum protuli, ſin animal eſt, adiecerim, prædicatum dixi. Ens ergo non æquè, ſiue de alio dicatur, ſiue ei quod neceſſarium eſt eſſe, aut quod ut ſit accidit, aut quod eſt ſubiiciatur, ſed latius patet. Non enim uiciſſim conſequens eſt, cum rei ſtatus exquiritur. Nā ſi ea ſint continuò, ſequitur ens eſſe. Ens autem ſi ſit, non neceſſe eſt illa eſſe, ſed ſi quod ex his conſtiterit, cohærere alterum non poteſt, ueluti ſi quod eſſe accidit ſit, neceſſarium non erit, neque ὑπάρχον.

Atqui ſi ens in rei ſtatus conſequentia non reciprocatur, latius ergo illis manat omnibus. Quamobrem igitur Porphyrius, cum prædicationes omnes æquè late ac ſubiectum patere uelit, & id quod inferius eſt reiiciat, hoc loco neceſſarium, quod arctius conſtringitur, de eo qđ plures in res transferri poteſt, nempè ente, extulit. Inferiora igitur nunquam de iis quæ ſupra ſe ſunt poſita enunciari illa quidem poſſunt, ſed ens latius non patet quàm neceſſa

rium. Nam latius ea propriè manare dicuntur uocabula, quæ cum de multis dicantur, ſintq; in multis poſita, res tamen una quædam, ſi quis ea per ſe intueatur, ſunt, atq; ſua ipſa ui cohærent, ut animal. Nam de cane id, & homine, & equo dicitur, in iiſq; ipſum hæret, & inſuper ſtatum proprium habet atque conſtantiam. Quocirca animal etiam definimus eſſentiam eſſe, ſenſus atque animationis participem: quia quæ per ſe non conſtant, uoceſq; ſunt ambiguę, ut canis, Aiax, cæteraq; eius modi, dici non poſſunt manare latius. Nam ea ſimplices ſunt uoces, non res. Verum antequam alio quippiam patere dicatur latius, id principio ſua ui cohærere eſt neceſſe, tumq; demum latius effundi. At uerò ens (quia ſtatum non habet proprium, ſed ſolo conſpirant nomine, neceſſarium, contingens, & exiſtens) nullo eorum manat latius: ſiquidem uox ſolum eſt. Præterea ſi ens patere latius arbitrantur, ipſum omnino ut genus ita affici putant. Genus autem, eadem ſectum temporis ſerie, ut formæ cohæreant efficit, quanquam prius nihil poſteriusve ſit. Fatendum igitur illis eſt, eodem tempore exiſtere, neceſſarium, contingens, atque exiſtens: quod fieri non poteſt. Siquidem neceſſarium, ſemper habet: contingens & exiſtens, aliquando horum ergo ens genus nõ eſt: nec proinde neceſſario latius patet. Nam ens uox eſt ambigua, ac non genus. nec eſt natura quæpiam auulſa ac ſeparata, qua res omnes ſingulæ contineantur, quale genus eſſe ſolet. Inſuper res omnes aut indiſtinctè, aut cum diſtinctione eloquimur. Sũt autem diſtinctiones quatuor, Omnis, quidam: non omnis, nullus. Quas idcirco τοὺς διορισμοὺς, id eſt diſtinctiones definitioneſq; uocatas ſecunt, quòd ea his, qui diſſerit rem unamquanque finiat, ſiue rem uniuerſam definiendo explicare uolumus, ſiue ſingulam. Nam qui, omne, dixerit, rem totam & omnino enunciabit: qui, Quidam, quod in ſingulis erit rebus poſitum effabitur. Quæ cum ita ſint, cumq; Philoſophi omnes doceant, rem indiſtinctè eloqui idem ac quadam ex parte, nõ in totum enunciare ualere (Nam quidam homo uenit, idem atq; homo uenit, efficit.) Porphyrius quoniam indiſtinctè ὄντος ἀναγκαίου dixit, nec πάντως adiecit, ens quod ſingulis in rebus cernitur intellexit: ac ſi dixiſſet, quoddã ens eſt neceſſarium. At uerò natura quæ in rebus uerſatur ſingulis æquè patet atque neceſſariũ, quemadmodum inter eos etiam conſtat. Quamobrem & ſi ſimplex uox ens nõ eſſet, ſed per ſe ipſum cohæreret, ut animal: non malè tamen in ente neceſſarium dixiſſet, cum id præſertim enunciaſſet indiſtinctè. Iam uerò cum res ſignificamus, nominandi eas caſu efferimus, ac dicimus, homo, equus, bos: cum uerò partem earum aliquam conſecutioneſve notamus generandi utimur caſu. Cum enim dicimus, Socratis, aut partem eius aliquam, ut manum, uel caput: aut eorum deniq; quippiam quæ ad ipſum attinent, ueluti domum, aut librum intelligimus. Quòd ſi Porphyrius ὂν ἀναγκαῖον εἶναι nominandi caſu dixiſſet, rem profectò ipſam erat ſignificaturus, potuitq; eo modo uideri in toto partẽ dicere, nũc uerò cum, ὄντος, caſu generandi protulerit, neceſſe eſt eum non rem, ſed eius aliquam partem, aut eorum quæ rẽ conſequũtur quippiam expliraſſe. Neceſſarium autem æquè latè ac pars naturæ quæpiam manat, quemadmodum homo æquè ac quoddam animal patere perſpicitur, & manus, æquè ac quoddam eorum quæ in homine inſunt, manat. Hac igitur ratione quanquam per ſe conſtare ens diximus, non improbè tamen in ente neceſſarium Porphyrius enunciauit: quandoquidem id iam ſumus largiti. Nã in æquali æquale dixit. Ad hæc alia quoque ratione, naturæ, atque accidentium, & reliquarum Categoriarum ens non eſſe genus oſtenditur. Nam in iis quæ prius aliquid poſteriuſq; habent quod communi ratione dicitur, genus non eſt. Siquidem genus formarum genus eſt. Porro formæ eadem ratione ſimul temporis conſtant, atque in ſe ipſis non in aliis hærent. Quòd ſi accidens eſt natura poſterius, in eaq; planè nititur: poſterius eſt contingẽti, eiuſq; ui continetur. Igitur ens communi de iis nomine, non eadem ratione & definitione dicitur, cum ipſum genus nõ ſit, quoniam prius in his poſteriuſq; uerſatur. Verum uidenam intelligitur accidens in ipſa hærere eſſentia, & cõtingenti: minimeq; in ipſis nitĩ exiſtens: Quare eſſentia & contingenti ſublatis, tolli, & funditus interire accidens, atque exiſtens neceſſe eſt. Atqui ſi ex ente ſpecies diuiſæ atque inter ſe oppoſitæ eſſent, nec per ea conſtaret, nõ his ſce formis ſublatis, ut eſſentia & contingenti, alterum tolleretur. Non enim ſi qua animantis ſpecies interierit, ut canis & equus, reliquæ etiam omnes extinguentur, ueluti homo, uel bos, uel camelus, & multæ aliç ſpecies eiuſdem generis. Ac de quæſtionis quidẽ hactenus hiſce modis uitiis, ſolutionumq; concinnitate diximus. Porrò autem initium etiam nõnulli quaſi uitioſum reprehendunt, aiuntq;. Si ens eſt ambiguum, ambiguum uero eſt infinitum, ens igitur eſt infinitum. Ab infinito autem initium ſummi non debet. Dicimus ergo ens ambiguum non eſſe, ſed ab alio capite declinatum, ut a medicina, liber medicus, ac medicum ſtuait inſtrumentum. Eodem autem uergunt liber medicus, & inſtrumentum medicum, nempè ad ualetudinem.

Cæterum quid ſit id quod ab uno deriuatum dicimus, cũ ad Categorias erit peruentum intelligemus. Nunc quamobrem ens neceſſario præpoſuerit uideamus. Eius igitur triplex eſt ratio. Primum, ens, quòd generalius eſſet, præpoſuit. Deinde propter orationis ornatum. Nam ſi ἀναγκαίου ὄντος dixiſſet, non uſqueadeo ſplendida atque illuſtris futura erat oratio, ſed hiulca, demum ut ab iis quæ patent latiſſimè initium ducamus. Cum igitur ab iis aliquando auſpicari inſtituiſſet Porphyrius, ens primo poſuit loco, quã obrem non dixit, cum æquũ ſit, aut utile, aut bonum, ſed cum ſit neceſſarium: Dicendum ergo eſt factum id ob alteram duarum diuiſionum eſſe. Nam bonum & utile mutuo quodam inter ſe nexu uinciuntur, atque utile quidẽ duas habet partes, eam quæ eodem cum genere nomine continetur commoditatem, & neceſſarium. Bonum uerò eſt, quod propter ſe expetendum eſt, ut beatitudo, pietas. utile autẽ quod à neceſſario ſeiũctum ei opponitur, quod nec ſi adſit rem tuetur atque conſeruat, nec ſi abſit perimit, ut, huius aut illius modi ueſtis. Neceſſarium autem ſi adſit conſeruat, atque ſi abſit extinguit, ut reſpiratio. Præterea duo ſunt neceſſarii genera, alterum, quod propter ſe exoptamus, quodq; nullo diſcrimine à bono ſecernitur, ut, felicitas, ualetudo. Alterum, quod propter aliud ſequimur, ut medicamentum, ac uenæ inciſio. Priore igitur ſignificato quinq; uocum cognitio neceſſaria eſt, quia ad Categorias, & uniuerſam diſſerendi rationem conducit. Sex ergo modis huiuſmodi neceſſarium habetur. Dicitur enim neceſſaria materia, & homini rationis particeps, neceſſarium eſſe perhibetur, & quod propter ſe quidem fugiendum declinandumq; eſt, id tamen propter aliud expetimus, & quod propter ſe optabile eſt, & quod propter ſe neque exoptãdum neque fugiendum, illud quidem eſt, propter aliud tamen appetitur, qualia ſunt medicamenta quædam, & quod propter ſe & propter aliud ſequitur. Qua quidem extrema ſignificatione neceſſarius hic liber appellatus eſt, quòd propter ſe ac propter aliud neceſſarius ſit.

CVM ſit neceſſe, ò Chryſaôri, & ad percipiẽdum eam, quæ eſt apud Ariſtotelem, prædicamentorum doctrinam; noſſe quid ſit genus, & quid differentia, quidq; ſpecies, & quid proprium & quid accidens: cumq; ad definitionum explicationem, & omnino ad ea quæ de diuiſione & demonſtratione traduntur utilis ſit horum rerum conſyderatio, compendioſam tibi traditionem faciens, tentabo breuiter, (uelut introductionis modo) ea quæ ab antiquis dicta ſunt explicare, me ab altioribus quidem quæſtionibus continens, ſimpliciores uerò mediocriter coniectans. Nunc de generibus & ſpeciebus, ſubſiſtant ne, an in ſolis nudis intellectibus poſita ſint: & ſubſiſtẽtia ne corpora ſint, an incorporea: & utrũ ſeparata, an in ſenſilibus poſita ſint, & cir

ea ea conſiſtentis: prætermittam dicere. Altiſsimum enim eſt huiuſmodi negotium, & alterius maioris egens inquiſitionis. Illud uerò, quemadmodum de his, ac de propoſitis rationabiliter antiqui tractauerunt, et horum maximè Peripatetici, tibi nunc tentabo monſtrare.

ET ad eam quæ eſt apud Ariſtotelem prædicamentorum &c.} Nam Ariſtoteles in Categoriis de ſummis decem uocibus diſſerit, & differentiis ipſas ac proprio inter ſe diſtinguit. Cum igitur eo in loco Ariſtoteles de generibus & differentiis atque propriis diſputet, utile eſt noſſe quid ſit Genus, quid Differentia, quid Proprium, & quid Species, ut eorum facilius rationem aſſequamur. Vtitur autem, Et, copulatione: quoniam non ad Categorias modò hic liber conducit, ſed etiam ad ea omnia quæ ille paulò poſt ſubnectit. Nonnulli autem inquiunt eum dixiſſe, & ad Ariſtotelis Categorias, ut ad eas quæ ab Archyta ſunt traditæ: cum ad eas harum cognitio uocum conferat. Cæterum abſurdum eſt iſta dicere, præſertim cum & ipſe Porphyrius reliqua demum explicet, ad quæ generis, ſpeciei, ac reliquorum cognitio aliquid momenti habet. Differentiam porrò ſpeciei præpoſuit, quoniam forma diſsimilitudine ordine naturæ prior eſt. quamobrem autem genus differentiæ antetulerit, ſuo loco, in ipſo orationis progreſſu, oſtendemus. Quæ uero hoc tempore tradere Porphyrius inſtituit, hæc ſunt: Genus, Differentia, Species, Proprium, & Accidens. Sed exiſtit deinceps quæſtio, quid cauſſæ ſit cur hac collocatione diſpoſitioneque uoces Porphyrius diſtinxerit. Temerè enim & ſine ratione id neceſſe non habuit efficere. Verum id quo facilius intelligatur, harum rerum principium repetemus altius. Principio rerum uniuerſæ aliæ, atque aliæ ſingulæ ſunt. Quandoquidem enim futurum erat ut ſingulæ res occiderent & quaſi extinguerentur, uim aliam quandam generaliorem natura commenta eſt, qua hæc omnia continerentur, quæque eorum ſpeciem conſeruaret: eaque Genus, Speciesve appellatur. Cæterum'ne harum rerum ſimus imperiti atque ignari, exemplo adhibito dilucidè quid horum quidque ſit explicemus. Socratem itaque & Platonem, & ſingulos omnes homines, eodemque modo Xanthum & Balium, & equos ſingulos, res ſingulas Philoſophi atque indiuidua nuncupant. Quæ autem ſingulas res ſuo uelut ambitu complectuntur, formas appellant: ueluti hominem uniuerſum. Nam uniuerſus homo eos, qui ad ſingulas hominis partes pertinent comprehendit. Iam uerò quæ hæc etiam ipſa continent genera uocant, ut animal, quod & hominem & equum complectitur. Inter hæc autem mediæ iacent differentiæ. Differentia uerò eſt, ut & ipſe paulò poſt docebit, qua differunt ſingula. In ea enim rerum diſcrimina uerſantur, cum nulla in genere uniuerſo aperta diſsimilitudo eluceſcat. Nam animal genus eſt, ſed eo diſtare res inter ſe & diſiungi non poſſunt: ſiquidem tam equus quam bos & canis & homo, animantia appellantur. At uero ſi animal in particeps rationis & ratione carens diduxero, diſsimilitudinem ea diuiſio peperit, qua ab equo homo, & boue, cæteriſque animantibus quæ rationis ſunt expertia, ſeparatur. Id autem rationis eſſe compos dicimus, quod uitam rationi conuenienter atque iudicio degit, ut homo, angelus: uacare uerò id ratione dicimus, quod temerè ac citra delectum ætatem tranſmittit, ueluti equus, bos, cæteraque animantia quibus nulla eſt a natura inſita ratio. Quamobrem arctius ea quàm genus conſtringitur, ac latius formis manat, ueluti ratione præditum, ac mortale. Nam ratione præditum anguſtius animante comprimitur: ſiquidem & hoc animal comprehendit. Sed latius tamen patet quam ſpecies. particeps enim rationis ſpecies permultas continet: quandoquidem & hominem & angelum comprehendit. Præterea differentia æquè uagè ac genus non effunditur, quia ſub genere ſubiecta eſt: quanquam plures in res quam genus transferri poſsit, quatenus duo quædam complectitur nempe ratione præditum, & expers rationis: quibus animantia omnia ſubiiciuntur. Species autem rem modò unam comprehendit, ut uel hominem, uel equum, quæque huius ſunt notæ. Adhæc proprium in unam aliquam cadit ſpeciem, eamque totam, ut in hominem ad riſum eſſe natum. nam id in ſolo totoque homine, & utique intelligitur. Accidens porrò eſt, quod accedit & recedit, ſine eius rei in qua ſitum eſt corruptela, ut candor, ator, ſedere, ſtare. Itaque horum omnium partim rerum eſſentiam conſtituunt: partim extrinſecus adhibentur. Rerum ſubſtantiam complent genus ac ſpecies, & quæ inter hæc media iacet, differentia. Quæ omnia idcirco etiam naturalia appellantur, quod uniuerſum animal efficiant. Nam unum quodque horum trium in animante eſt poſitum. ut, in Socrate. Quia enim animal eſt, genus habet: quia uerò rationis eſt compos & mortalis, differentiam: & quia homo, formam. Eodemque modo Plato atque Alcibiades. Reliqua duo naturæ conſecutiones resque, nominantur inductitiæ: Proprium ſcilicet & Accidens: quoniam ea nihil ad attributam eſſentiæ ſubiecti definitionem ualent. Cæterum propius quidem ad ſubſtantiæ uim atque naturam Proprium accedit: quia id alicui rei ſemper conuenit: longius Accidens remouetur, quia in re partim ineſt partim non ineſt. Hæc autem ſeparari poſſe dicuntur, quia ſi ea ſeparata eſſe putaueris, nihil hominis ſubſtantiam imminuent: alioqui enim qui atro colore infecti atque imbuti ſunt, non eſſe homines neceſſe eſſet. Quod eſt abſurdum. Atque etiam quamuis riſus facultatem ridendo abiicimus, homines tamen nihilominus eſſe non deſinimus: quippe qui humanis omnibus officiis muneribuſque, fungamur. Quæ cum ita ſint, quo progreſſus ordine ſit Porphyrius, uide. Quæ enim naturalia ſunt, & rerum eſſentiam complent atque efficiunt præpoſuit, ac poſteriore loco inductitia eſt executus. Itemque, inter ea quæ in naturæ poſita ſunt ratione, genus, ut quod pateret latius, præpoſuit: deinde differentiam, quod minus quam genus eſſet generalis, ſubiecit: tumque formam, quod pauciores in res quam differentia transferretur, expoſuit. Inſuper in iis quæ cuiuſque rei naturam conſequuntur, quoniam propius ad eſſentiæ uim proprium uidetur accedere, idcirco prius de eo diſputauit. Poſtremo autem loco de accidente diſſeruit, quod id illis omnibus quæ expoſita à nobis ſunt uacet, quodque, id ſolum ſine eius rei in qua ſitum eſt interitu, adeſſe poſsit atque abeſſe. Sed exiſtit quæſtio, quonam modo ex oppoſito formæ atque generis accidens diuidatur, cum in hæc etiam ipſa illud ſecari poſsit. Dicimus ergo intereſſe plurimum rem'ne ut per ſe cohæret, an ut ad aliud quippiam affecta eſt intueamur. Nam cum rei unius cuiuſque uim atque naturam contemplamur, aliud in eſſentia numeramus, in quantitate aliud, atque aliud in qualitate: & alia in reliquis eiuſdem generis. At uerò cum Categorias eas quæ ſunt poſt eſſentiam ſitæ conſyderamus, ut quæ ſua ui cohærere non poſsint, illiuſque, ut conſtent, opem requirant: accidere eas naturæ dicimus. Ruſum in quaque Categoria, cum generaliora quædam, quædam formis affiniora, quædam quibus quæ formis potius conueniunt ab iis quæ manant latius ſecentur: horum aliud genus, aliud differentiam, aliud ſpeciem nuncupamus. Quocirca res una & eadem alia atque alia ratione intellecta, uel genus, uel ſpecies, uel differentia uocatur: quibus quæ ſunt in Categoriis poſita inter ſe dirimuntur. Præterea aliud natura atque aliud accidens appellatur.

CVMQVE ad definitionum explicationem, & omnino ad ea quæ de diuiſione & demonſtratione traduntur, utilis harum rerum conſyderatio ſit} Noſſe eſt operæprecium in primis, aliam eſſe Ariſtotelis, atque aliam Platonis Dialecticen. Nam quæ ab Ariſtotele tradita eſt, probabilitatem quinque ſequitur modis: ut in Topicis ipſe diſſerit: quæ autem eſt à Platone explicata quadripartitò in diuiſionem, finitionem, demonſtrationem, & reſolutionem funditur. Quod ergo utile eſt ut rem quamque definiendo explicemus, & ut quæ de Demonſtratione & Diuiſione præcipiuntur intelligere ſanè queamus, in eo profectò ad percipiendum Platonis Dialecticen momenta plurima erunt. Quod ſi ita eſt, ad uniuerſam id etiam Philoſophiam magnum afferet adiumentum. Nam ea ſic in uniuerſum diducitur, ut aut diuiſionis, aut finitionis, aut demonſtrationis, aut etiam reſolutionis iudiciique, uim habeat. Hic eſt igitur germanus huius loci intellectus. ac ſi diceret Porphyrius, hoc opus non modo ad Philoſophorum libros intelligendos conferre, uerum

etiam quanquam nulla fuiſſent edita ab iis opera, momenti tamen plurimum ad eorum rationes commētarium húc allaturum fuiſſe: quibus rem quamque facilè poſſunt inuenire. Sed quę ſit horum uis atque natura deinceps dicamus. Partis eius quæ tota in diuiſione uerſatur, munus eſt, ut propoſitum genus ritè in proprias differentias ſecet: ut animal in rationis compos, & ratione carens: in mortale, & immortale: nec ea in membra animal tribuat, ut aliud hominem eſſe, & aliud equum, atque aliud rem quamlibet aliam dicat. Similes enim hi ſunt, ut traditum eſt à Platone, coquis qui carnes perperam ac non articulatim diuidunt: id eſt, rudibus atque imperitis hominibus. Eius uero quæ in finitionibus uerſatur officium eſt ac munus, proprias rerum omniū definitiones explicare. hæc autem eam cui inſita eſt diuidendi uis, quæq; prior eſt, ſequitur: quia eius utitur adiumētis. Nā definitiones ex genere conſtant et differentiis iis quibus diuiſa genera conſtituunt. A genere ergo quod diductum fuerit, qui definitionem cupit ſtruere, quæ ad definitionum rationem conferunt, haurit: ut, cum uiuens eſſentia in animal & plantam, atque animal in rationis particeps & rationis expers diſtributum fuerit, qui finire hominem uolet, inde animal mortale, & rationis particeps deliget. Porro quæ in demonſtratione uerſatur, rerum demonſtrationes è propria earum natura extruit. Non enim ut oratores fidem ex glorioſis & illuſtribus perſonis petunt: ſic ſe demonſtratio habet: ſed ut Plato animæ immortalitatem probaturus, naturæ eius definitione eſt uſus, dicens, animum ſeipſum mouere: quod ſeipſum mouet, perpetuo motu cieri: quod autem ſemper mouetur id æternum eſſe, animum igitur eſſe æternum: ita, qui demonſtrationem uolet nectere, agere eſt neceſſe. Nam ueræ demonſtrationes ex definitionibus oriuntur. ſiquidem definitiones quid ſit id de quo agitur explicāt, neceſſeq; eſt demonſtrationes ex natura rerum, non ex iis quæ aſſumpta extrinſecus rem non neceſſariò comitantur, effici. Quocirca ordinem tertium demonſtratio ſortitur, quandoquidem definitionis indiget, quæ ipſa diuiſionis opem requirit. Poſtremo autem munus eius partis quæ in reſolutione ponitur eſt, res concretas in ſimplices dirimere: ut orationem in uocabula ac uerba, & hæc in ſyllabas & ſyllabas in elemēta. Atq; hæc quidē grāmatici. Philoſophi autē ii, qui in naturæ explicatione uerſantur, idem in rebus ipſis efficiunt. hominem enim in caput, & manus, & pedes diuellūt. Atque hæc ipſa in oſſa, carnes, & neruos, diſtrahunt: tumq; demum quæ huius ſunt generis in quatuor elementa partiūtur: itemq; hæc in materiam ſpeciemq; ſecernunt. utimur autem parte ea cuius omne opus eſt in reſolutione poſitum, in concluſionibus: cum eas in enunciationes, tumq; has in uoces diſtribuimus: ut in arte iudicandi Ariſtoteles exponit. Omnium igitur prima ea eſt quæ diuiſionis, ſecunda quæ definitionis, tertia quæ demonſtrationis, ac quarta quæ reſolutionis uim habet. Verum trium duntaxat meminit, quia hic liber ad earum rationem proficit: genera enim tradit atque ſpecies. Nam qui rem quamq; partitur, genera rite in formas propriis diſcerpit differentiis. Qui uerò rem definiendo explanat, finitionem è genere atque diſſimilitudine connectit. Qui autem demonſtrat, à definitionibus demonſtrationes ducit: definitiones porrò ex genere diſtinctionibuſq; conflantur. Inſuper, ꝙ tres illæ mutuæ opis uiciſſitudine quadam egeant: nam quæ rerum finitiones exhibet eius quæ in partitione ſita eſt nititur adminiculis: quæ uero in concluſione conſumitur neceſſaria, utriuſque eget. ſiquidem qui demonſtrationes efficit, rerum finitiones ex earum ducit cognitione: inſuper autem quæ rerum tradit finitiones, diuiſionis opem requirit. At uero quæ in reſolutione uerſatur, nulla earum indiget. Namq; contraria eſt et quæ rem partitur atque in membra dirimit: quoniam ut illa multa ex uno efficit, ita hæc ex multis in unum definit. Hominē enim in partes diſtrahit, & has in humores: & humores in elementa, & hæc ipſa in ſpeciem atque materiam diducit. nam & ipſa initia ex materia atque ſpecie coaleſcunt. Aut etiam quia qui rem partitur atque diuidit, à ſimplicibus ad concreta proficiſcitur, qui uerò reſoluit, à concretis ad ſimplicia deuoluitur. quinetiam is eſt definienti contrarius, quia eſſentiam ille connectit, hic diſſoluit. Preterea ſi diuidēti opponitur, ſine quo qui definit explicare rem definitione non poteſt, definienti profecto atque demonſtranti repugnabit. Nam ſi demonſtratio definitionis atque diuiſionis indiget cum contraria illis ſit reſolutio, nimirum demonſtrationi ea quoque contraria erit. Cæterum quamobrem definitionis prius quam diuiſionis meminit, idq; cum ea prior ſit? Quia horum explicare definitiones inſtituerat. Porrò non nihil intereſt inter compoſitionem & reſolutionem. non quidem quod ad ſubiecti uim atque rationem attinet (nam ut accliue & decliue, ita compoſitio planè atque reſolutio inter ſe conſentiunt) ſed affectione duntaxat. Nam cum à ſuperioribus ac primis initiis ad extrema delabimur, compoſitio eſt. At uero cum ab ultimis ad principia ſumma contendimus, oritur reſolutio: quia compoſitio in concreto, atq; reſolutio in ſimplici deſinit. Qui enim reſoluit, compoſitū quippiam reſoluat neceſſe eſt, infinito alioqui labore ac moleſtiis conficiendus, ſi quod ſimplex eſt atq; incompoſitum nitatur reſoluere. Adhæc concreta ex ſimplicibus multis conflantur, itaque qui reſoluit in multa reſoluat oportet. Falſum igitur fuit, eum qui reſoluit, compoſitum ipſum in rem ſimplicem reſoluere, ueritati uero eſt aliqua ex parte conſentaneum ut is in multa coniuncta rem reſoluat, atque ultimum in unum. Dicamus ſi poſſumus apertius. Quod ſimplex eſt, in multa illud quidem componi, ſed in rem ſolet reſolui nullam. At uero compoſitum ultimum in coniūcta multa reſoluitur, non etiam in unum ſupremum componitur. Dubitant autem nonnulli cur definitionem, cum ea ſit diuiſione poſterior, præpoſuit. Quibus reſpondemus, primum quidem nihil prohibere quo minus pro arbitrio rem quanq; in ſubiecto coniungamus. Deinde uero noſtro ordine priora eſſe concreta ea, q̃ definiendo aperiuntur. Quocirca ut ea non temerè connexuerit, ob eam fortaſſe cauſam reſolutionem prætermiſit, quod eadem ſubiecto cum compoſitione eſſet, & ſola, ut dixi, affectione ab ea diſcreparet.

VTILIS harum rerum conſyderatio ſit} Id eſt, harū rerum cognitionem enim Philoſophi conſyderationem appellant.

COMPENDIOSAM tibi traditionem faciens, tētabo breuiter uelut introductionis modo} Quia breuis alia eſt explicatio, quæ commemorationis gratia per capita rerum fieri ſolet, idcirco breuem uelut introductionis modo adiecit.

ME AB altioribus quidem quæſtionibus continens} Tria ſunt quæ adoleſcentium animos à ueterum libris reiiciunt, operis prolixitas, dictionis obſcuritas, ut in libro de interpretatione, & quæſtionum altitudo. Porphyrius igitur auditorem cohortatur, & libellum hunc nihil eorum continere ait. Nam neque prolixum eſſe, neque difficultatem in eo ineſſe elocutionis (quod declarat, cum ait, introductionis modo) neque quæſtionum obſcuritatem. Sed cum inquit ab obſcurioribus me continens quæſtionibus, prætermiſſam eſſe ſententiarum difficultatem indicat. Cum uerò dicit, Simpliciores uerò, exponi eas quæſtiones oſtendit quæ explicatu ſunt faciliores: atq; ita librum hunc orationis obſcuritate uacare.

SIMPLICIORES uero mediocriter coniectans} Hoc non ad rem ipſam retulit, non eſt enim Philoſophi cōiectare, ſed certa ſcientia uniuerſa demonſtrare, uerum ad Chryſaorium auditorem. ac ſi diceret, hæc ipſe tractabo nō trāſgreſſurus limites inſtituti iſagogici pro captu tuo Chryſaori. Nam quæ tradere Porphyrius inſtituit, non coniecturis, ſed certa cognitione exponit.

NVNC de generibus & ſpeciebus} Promiſerat Porphyrius ſe circunciſa oratione uſurum, ac obſcuriores prætermiſſurum quæſtiones, apertamq; & enucleatam dictionē futuram. Ne quis igitur ullam in his hæſiſſe obſcuritatem neget, id uerò in hiſce efficere conatur. ut fuiſſe in his quæſtiones quidem obſcuras intelligatur, ſed eas conſulto Porphyrium omiſiſſe. Quod quo facilius perſpici queat, dicamus hoc modo. Eorum quæ ſunt, partim cohęrent ipſa per

ſeſe,

ſeſe, partim in ſolis animis ſunt: & eorum porrò quę per ſe conſtant, partim corpora ſunt, partim corporis expertia. Itemq́, eorum quæ corpore carent, partim ſunt diſtracta ab iis quæ ſubiecta ſunt ſenſibus, ut animus ratione inſtructus, & angelus: partim in iis ipſis hærent, ut randor, atror, atque animæ ratione uacantes. Eorum autem quæ per ſe conſtãt, alia antè multa, alia in animo noſtro ſunt poſteriora. Rerũ itaq; aliæ in rerum cadunt naturam, aliæ puris ſolum intelligentiis contentæ eſſe dicuntur: quo in genere ſunt quæ ſi intelligantur, cohærent: ſi uerò intellectu non captantur per ſe ipſæ conſtare non poſſunt: ſed cum ſinita earum intelligentia eſt, tum demum ipſæ quoq; eſſe deſinunt, ut Hippocentaurus. non enim in rerum eſt natura. Sed cum equum atq; cẽtaurum intuemur, concretum quiddã animo effingimus, Hippocentaurum. Eodemq́, modo hircum natura protulit ac ceruum: nos uero compoſitum animo quoddã hircoceruum ſtruimus, atq; id eoquidem modo conſtare dicitur. Itaq; Antiſthenes genera & ſormas in nudis intellectibus poſitas eſſe uolebat. Equum, inquiens, uideo, equinitatem non uideo: hominem uideo, non humanitatem. Hæc ille inquibat, uitam ex ſolo ſenſuum impetu agens, quiq; nulla ſe ratione poterat ad ſublimiorum inuentionem attollere. Eorum ergo quæ ſunt, quædam ſunt corpora, quædam corporis expertia. Atq; hæc in uniuerſum quidem ueteres nõnulli conſtare dicebant, alii nulla eſſe. Porrò qui cohærere ea uolebant, alii corpora eſſe, alii carere corpore affirmabãt. Ac qui corpora ea fecerunt, in eadem omnes opinione fuerunt. Qui uero ea ſine corporibus intulerunt (quia eorum quæ uacant corpore, ut dixi, partim per ſe ipſa cohærent, ut angelus, deus, partim in aliis ſunt poſita ut candor, & figuræ) quidam auulſa à cæteris per ſe conſtare, alii in iis quæ ſunt ſubiecta ſenſibus ea ſita eſſe dixerunt. Prętereà qa quæ ſunt in ipſis poſita ſenſibus corporis expertia, aut penitus in iis inſunt, ut in ceruſſa candor. aut ſola eorum extremitate continentur, ut orbis figura: alii in re tota, alii ea in ſola niti extremitate: atq; alii demum in iis quæ ipſa conſtant cohærere ea contenderunt, uerum quænam ſunt ea, quæ in iis quæ in rerum natura conſtant nituntur tut locus (nam is quæ ſenſus mouent complectitur & continet) & tempus. Cum igitur tam multa de horum ſtatu pronuncientur, quæri de generibus ac ſormis potuit, cohæreant'ne ipſa per ſeſe, an in ſolis animis ſint: in ea enim hominum hæreſi Antiſthenes fuit. Cumq́, conſtare ipſa ſua ui deprehenſum eſſet, potuit indem ambigi utrum corpora ſint, an'ne corporis expertia: ſi quidem utraque pars ſuos habuit aſſertores. Itẽq; ſi forte ea corpora eſſe compertum eſſet, num auulſa ſint ab iis quæ ſubiecta ſunt ſenſibus, an in iis ipſis hæreant, potuit indagari. Quod quò facilius perſpiciatur, rem de qua ambigitur exemplo explicemus. Neque enim temerè & ſine ratione factũ uidetur, ut alii corpora ea eſſe dixerint, alii corporis expertia: ſed cauſa eos quæpiam impulit: nec idcirco contrarii inter ſe ſunt, ſed eorum omnium ſententiæ iuſta ratione ac utili nituntur. Intelligatur ergo anulus aliquis, in quo impreſſa ſit Achilis effiges, ac multæ quoq; ad ſint ceræ tabulæ, eæq́, anulo comprimantur, tumq́, accedat quiſpiam qui eas intueatur, cumq́, omnes eiuſdẽ anuli impreſſione informatas uiderit, earum imagines intelligentia & ratione comprehendat. Sigillum igitur anuli ante multa eſſe dicitur. Quæ uerò in tabellis ſunt effica ſimulachra, in multis: quod autem eius mẽte qui ea inſpexerat continetur, à multis, atq; poſterius appellatur. Hæc ergo in genera ac formas inflectantur. Siquidem mundi artifex, rerum omnium apud ſe exempla habet. Veluti cum eſt hominem procreaturus, ſpeciem humanitatis conſequitur, ad quã intuens uniuerſos homines creat. Quod ſiquis inſurgat, negetq́, eſſe in huius mũdi ędificatore deo rerum omnium exempla, hæc audiat. Rei cuiuſq; fabricator, aut quæ efficit intelligit, aut ea planè ignorat: ac ſi ea quidem ignorat, ut ea fabricetur, fieri non poteſt: nam quis eſt qui rem aliquam efficere moliatur, & quid ea ſit neſciat: non enim, ut natura, res rationis expertes ille gignit. Atqui ſi uniuerſa ratione quadam extruit, quid ſit id quod ædificat intelligit. Quocirca cum deus res quàm homines non faciat deterius, quid ſit id qđ efficit nouit. Ex quo facile perſpici atq; intelligi poteſt, inſitas eſſe in deo huius uniuerſitatis ædificatore rerum omniũ ſpecies atque exempla. In eo autem eiuſmodi rerum ineſt exemplar, qualis eſt inuſta anulo effigies. Diciturq́, ſpecies ea ante multa, poteſtq́, à materia ſeparari. Atque etiam forma hominis in ſingulis hęret hominibus, quemadmodum quę ceræ ſunt impreſſa ſimulacra: dicunturq́, hæc in multis eſſe, nec poſſe a materia ſecerni. At uerò cum ſingulos homines intuemur, atque eos eadem ſpecie contineri animaduertimus, ut qui poſterius acceſſit, & tabellas cereas eſt cõtẽplatus: ſic intelligentia id comprehendimus, atq; illa effigies menti noſtrę inſidens poſt multa & poſterius genita dicetur. Poſſunt autem hęc a corporibus ſeiungi, non enim in iis, ſed in animo nituntur: aliàs abſtrahi non poſſunt. Neque enim per ſe ſecerni illa poſſunt, cuiuſmodi Plato tradit ea eſſe, quę ante multa ſunt. Non enim uoluit eius modò qui aliquod munus efficere molitur notiones eſſe, uerum etiam naturas quaſdam ſtatuit, quæ intelligentia comprehendantur. quas cum artifex intueretur, atque ſibi eas proponeret exemplaria, huius inferioris uniuerſas mundi res efficeret. hæc ergo an corporis ſint expertia, & à materia poſſint ſeuocari, ut quę in ipſo mundi fabricatore inſunt, an nõ poſſint, ut quę ſunt in multis poſita, uel quæ ſunt ſenſus mouentia, id eſt, quę ſunt a multis, hęc, inquit prętermittam omnia. In his tamen rebus Platonem atque Ariſtotelem diſſentire intelligendum eſt. Nam Ariſtoteles à materia ſeparari ea non poſſe tradit, Plato autem ab ea ſe moueri poſſe exiſtimat. Cæterum docere, repugnẽt necne ea de re inter ſe Philoſophi, nam Ariſtoteles formas illas naturaliter intelligere uidetur, non eſt huius diſputationis & temporis.

ILLVD uero quemadmodum} Pollicitus erat Philoſophus libellum hũc utilem fore ad Ariſtotelis Categorias, quæ niæ quædam ſunt ac uelut præludia ad omnes omniũ Philoſophorum de oratione diſputationes. Orationis autem multa ſunt genera: enunciatiuum, optatiuum, uocatiuũ, imperatiuum, & interrogatiuum, & alia multa, ſi quis rẽ accuratè perpendat. Cæterum in diſſerendi rationem enunciatio ſola cadere poteſt: nam ea mentis cognitione inſtructæ eſt interpres, aliæ ad eam potius animi partem pertinent, cui eſt appetitionis uis inſita. Nam qui optat, rei cuiuſpiam cupiditate adductus optat. Et qui alium uocat, aliquid cupiens uocat, eodemq́, modo qui quempiam alloquitur. In effatum autem ſolum uerum ac falſum uenit. Nam alia, neque uerum neque falſum enunciant. Pronunciatum autem aut uerum aut falſum notat. Nam de animo mortalem eũ aut immortale eſſe aſtruit, tumq́; omnino aut uerum aut falſum dicit. Enunciatũ .n. eſt id, qđ aliqd in alio ineſſe aut nõ ineſſe declarat. Nã duo quædã id complectitur, prædicatũ & ſubiectum. Sed ut id intelligatur facilius, dicamus hoc modo, Scire eſt operæprecium ſubiectum id nuncupari de quo ſermo habetur. Prædicatum autem, quod de eo dicitur, ut, homo eſt animal. Subiicitur enim homo, atque animal prædicatur. Eodemq; modo, ſi dicam immortalem animum eſſe, de quo uerba facio? Nempè de animo. ac animus quidẽ ſubiicitur. Immortale autem de eo dicitur. Quocirca enunciatum ſubiectum habere & prædicatum præclarè diximus. Iam de generibus & formis aptè ad naturæ diuinæ potuit explicationem diſſeri, ut cum quærimus habeat ne deus generum ac formarum impreſſionẽ atq; ſimulacrum, an non habeat, aut utrum uera ſit Platonis opinio, eſſe ſpecies quaſdam, quæ intelligentia & ratione comprehendantur, quæque per ſe ſeparatæ a materia cohæreant, quas & primas et ueras eſſentias uocat, an non, quod Ariſtoteles credidit Ad naturæ autem cognitionem accommodatè de his ambigimus, ut cum ſpectamus generum'ne ac formarum in ſe natura habeat rationes, an non habeat. Non enim natura ita affecta eſt, atque nix, quæ citra rationem refrigerat, aut ignis urit, ſed ratione quadam omnia, quãquam quæ efficere moliatur ignorat, facit. Præterea hoc etiam modo de his naturaliter quæri poteſt. utrum hæc ſint in multis, ut uniuerſum animal in ſingulis animãtibus omnibus, ac uniuerſus homo,

an non. Et ſit ne communis quæpiam natura, quæ in rebus ſingulis ſpectetur, an ne quidquid in rebus uerſatur ſinguli indiuiduũ ſit. Quin etiam de his licet aptè ad diſſerendi rationem exquiri: ut, quæ horum ſub quibus ſubiecta ſint, & quæ de quibus enuncientur. Quia genera de formis & diſtinctionibus dicuntur, non autem uice uerſa. Diximus enim diſpoſitionem quandam inter ſe retinere, genus, differentiam, ſpeciem: ac præponi quidem genus, differentiam ſequi, tertioq́; in loco ſpeciem collocari: & è ſuperioribus inferiora enunciari: non enim quæ inferiora ſunt, in iis quæ ſunt ſupra ſe poſita dici poſſunt. Vt ſi dixerimus, omnis homo eſt animal uerum dicemus: ſi uerò retroacto ordine, omne animal eſt homo, falſum. Itemq́; ſi dixerimus, omnis equus eſt rationis expers, uerè id quidem dicimus: ſi è conuerſo, omne rationis expers eſt equus, falſum ſumus prolocuti. Nã in ſubiecti locum quidlibet non licet ſubſtituere, dicere enim nõ poſſumus animal homo eſt, ut ante dixi. Quare dicere oportet, quæ ſubiecta ac uiciſſim quæ prædicata faciendа ſint, quod Philoſophus quoque exponit, atq; idcirco rationabilius dixit, id eſt, aptius ad rationem diſſerendi.

QVEMADMODVM rationabilius } Rationabilius diſſerere dicuntur, qui rerum accidentia perſequuntur: naturaliter, qui rerum naturas & eſſentias perueſtigant, theologicè, qui unde fluxerint omnia, & à quo ortus principatu manarint inquirunt. Quia igitur de generibus & formis, ac reliquis eiuſdem generis naturaliter, ut dixi, poſſumus diſceptare: ut cum de iis quæ in ſenſilibus poſita ſunt quærimus: quẽadmodum de iis Ariſt. diſputauit. Atq; theologicè, cum quæ in ſummo artifice ſunt ſpectamus: ut de his Plato in Parmenide diſſerit, de eiſdem rationabilius ambigi etiã poteſt: quandoquidem in diſputatione omni quæ eſt de diſſerendi ratione inſtituta, effata deſyderamus: in effatis autẽ ſubiecta quædam ſunt, & quædam prædicata: quod autem aut prædicatur aut ſubiicitur, uel genus eſt, uel differẽtia, uel proprium, uel accidens. Cum uerò ait, De his, genera & ſpecies intelligit: nam continuò de hiſce diſſerit. Porrò cum adiicit, & de propoſitis, reliqua tria denotat, ſpeciem dico, proprium, & accidens. Aut etiam ordine retroacto dicendum eſt, eũ cum ait, & Quo modo de his: genus, ſpeciem, & differentiam deſignaſſe: cum uerò, de propoſitis, reliqua duo, proprium & accidens.

ET horum maximè Peripatetici } Porphyrius non in ſe harum rerum doctrinam inuentionemq́; transfert: ſed ait quæ à ueteribus ad fidem, hominumq́; ſenſus accommodatè ſunt diſputata, ea à Peripateticis accuratiſſimè explicata fuiſſe, qui in ea laude principes ſemper extiterunt. Porrò autem Peripateticorum hinc manauit appellatio: Platonem, cum in Academia cum ſibi neceſſariis congrederetur deambulare ſolitum ferunt: ut corpus exercitatione ad ingenii ſplendorem excoleret: nam ab inſtrumenti ratione, uaria artificis exoritur actio: atq; idcirco Peripatetici uocati ſunt. Extincto ergo Platone, eius ſcholam Ariſtoteles atq; Xenocrates exceperunt: Ariſtoteles quidem in Lyceo, Xenocrates uerò in Academia. Itaq; qui Ariſtoteli adhæreſcebant, Peripatetici è Lyceo nuncupabantur: qui Xenocrati, Peripatetici ex Academia. paulo uero poſt Ariſtotelis diſcipuli, extincta à loco appellatione, ex actione nomen inuenerũt: uocatiq́; ſunt Peripatetici Xenocratis autem auditores, actionis amiſſa nũcupatione, Academici ſunt uocati. Quoniam igitur Philoſophus Platonis ſcriptis, præſertim cum ipſe ſit Platonicus, inhæſurus erat, & libellum ad Categorias Ariſtotelis inſtituerat conſcribere: quo pacto, inquit, de illis cũ ueteres omnes, tũ uel maximè Ariſtotelici probabiliter diſſeruerint, quidq; ſenſerint, docebo. Prima autem ſunt decem genera, Subſtantia, quantitas, qualitas, & cætera. Inter quæ eſſentia ſua ui cohæret, reliqua quædam ſunt conſecutiones. Deſcriptio ergo generi attributa eſt, quæ reliquis etiã decem conueniet. Nec eſt quamobrem quæramus, quonam pacto eſſentiæ, atq; accidentibus congruat, quæ natura inter ſe diuerſa ſunt. Quod enim ad ſubſtantiam accidit, id eſt, quod ut genus in formas ſibi ſubiectas diducitur, id ipſum aliis quoque competit. Nã & alia in ſubiectas ſub ſe formas, ut genera, diuidũtur. Aliud ergo eſt hæc ut naturam atq; accidentia conſyderare, ac aliud ut prima genera: hoc enim commune habent.

Peripatetici et Academici unde dicti.

DE GENERE.

VIDETVR autem neque genus, neq; ſpecies ſimpliciter dici. Genus enim dicitur & aliquorum quodammodo ſe habentium ad unum aliquid, & ad ſe inuicem collectio. Secundum quam ſignificationem, Heraclidarum dicitur genus ab unius ſcilicet affectione (Herculis puta) & multitudinis habentium aliquomodo ad inuicem eam, quæ ab illo eſt, cognationẽ, ſecundum diuiſionem ab alijs generibus dictam. Dicitur autem & aliter rurſus genus, quod eſt uniuſcuiuſque generationis principium uel ab eo qui genuit, uel ab eo loco in quo quis genitus eſt. Sic enim Oreſtem quidem dicimus à Tantalo habere genus: Hylum autem ab Hercule: & rurſus, Pindarum quidem Thebanum eſſe genere, Platonem uerò Athenienſem. Etenim patria principium quoddam eſt uniuſcuiuſque ortus, quemadmodum & pater.

Hæc autem uidetur promptiſſima eſſe ſignificatio. Heraclidæ enim ſunt qui à genere deſcendunt Herculis, & Cecropidæ qui à Cecrope, & horum proximi. Et prius quidem appellatum eſt genus, uniuſcuiuſq; generationis principium: de hinc etiam & multitudo eorum qui ſunt ab uno principio, ut ab Hercule. quam definientes & ab alijs ſeparantes, dicebamus omnem illam collectionem quæ ab Hercule fluxiſſet Heraclidarum eſſe genus. Alter autem rurſus genus dicitur, cui ſubijcitur ſpecies, ad horum fortaſſe ſimilitudinem quæ à nobis dicta ſunt. Etenim principium quoddam eſt huiuſmodi genus, eorum quæ ſub ipſo ſunt, ac uidetur multitudinem continere: quæ ſubiecta ſub eo eſt.

Cùm igitur genus trifariàm dicatur, de tertio apud philoſophos ſermo eſt: idq́; hoc modo deſcribunt, Genus eſt quod de pluribus & differentibus ſpecie in eo quod quid eſt prædicatur, ut animal. Eorum enim quæ prædicantur, alia quidem de uno dicuntur ſolo, ſicut indiuidua, ut Socrates, & hic, & hoc. alia uerò de pluribus, quemadmodum genera, & ſpecies, & differentiæ, & propria, & quæ communiter, non autem propriè alicui accidunt. Eſt autem genus quidem, ut animal: ſpecies uerò, ut homo, differentia autem, ut rationale: proprium, ut riſibile: accidens, ut album, nigrum, ſedere. Ab ijs uerò quæ de uno ſolo prædicantur, differunt genera: eo quòd hæc de pluribus prædicantur. Ab iis autem quæ de pluribus: à ſpeciebus quidem, quoniam ſpecies etſi de pluribus prædicantur, nòn tamen de differentibus ſpecie, ſed numero. Homo enim cùm ſit ſpecies, de Socrate & Platone prædicatur, qui non ſpecie differunt, ſed numero: animal uerò cùm ſit genus, de homine, & equo, & boue prædicatur, qui à ſe inuicem, non numero ſolùm, uerumetiam ſpecie differunt. Rurſum uerò à proprio differt genus, quoniam proprium quidem de una ſola ſpecie, cuius eſt proprium prædicatur, & de ijs, quæ ſub ipſa ſpecie ſunt, indiuiduis, quemadmodum riſibile de homine ſolo, & de particularibus hominibus. Genus autem non de una ſpecie prædicatur, ſed de pluribus, & ijs differentibus. A differentia uerò, & ab ijs quæ communiter ſunt accidentia, differt genus: quoniam etſi de pluribus, & ijs differentibus ſpecie prædicantur differentiæ, & communiter accidentia: non tamen in eo quod quid eſt prædicantur: ſed in eo quod quale quid eſt. Si rogemur enim, quid illud eſt de quo hæc prædicantur, genus reſpondebimus: differentias autem & communiter accidentia non reſpondebimus.

debimus. non enim in eo quod quid eſt prædicantur de ſubiecto, ſed potiùs in eo quod quale quid eſt. interroganti enim quale quid eſt homo, dicimus quoniam rationale: & in eo quod quale quid eſt coruus, dicimus eum eſſe nigrum. Eſt autem rationale quidem, differentia: nigrum uerò, accidens. Quando autem, quid eſt homo fuerimus interrogati, animal reſpondebimus: eſt autem hominis genus, animal. Quare quòd de pluribus prædicetur genus, eo ab iis diuiditur, quæ de uno ſolo & indiuiduis prædicantur: de differentibus uerò ſpecie ipſum ab iis ſeparat, quæ ut ſpecies prædicantur, uel ut propria. Quod autem in quod quid eſt prædicetur, eo diuiditur genus à differentiis, & communiter accidentibus, quæ non in eo quod quid eſt, ſed in eo quod quale quid eſt, uel quomodo ſe habet unumquodque, prædicantur de iis de quibus prædicantur. Nihil igitur ſuperfluum, neque minus continet generis dicta deſcriptio notionis.

Poſtquam operis inſtitutum atque utilitatem explicauit, ac præceptionis modum aperuit, futurum nempè ut prætermiſſis obſcurioribus quæſtionibus, eas interim tractet, quæ faciliores ſunt & ubi quæ eſſent faciliores ac quæ eſſent obſcuriores quæſtiones, expoſuit: deinceps ad ſingulorum explicationem accedit. Primumq; de genere diſſerit, quia ordinem id primum in iis quæ hactenus commemorauimus, obtinet: ac quia ſpecies multas continet. Prius autem genus eſt formis, quia in eo cauſæ ineſt ratio, quanquam in iis quæ cum aliquo conferuntur, ſit genus atq; ſpecies. Sunt enim in eo genere quædam, quæ in cauſis atq; antiquioribus ducuntur: ueluti, patrem filio, quia homines ſunt, priorē antiquioremq; dicere ſumus ſoliti: etſi ſimul intelligātur, ſeq; mutuò conſtituant ea quæ in iis ſunt quæ cum aliquo comparantur, quo ad ſunt eo in genere poſita. Nā quæ in iis ſunt quæ cum aliquo conferuntur, naturas prius quaſdam extitiſſe neceſſe eſt. Cum igitur primam eorum quæ ſunt affecta ad aliquid cauſam ſpectamus, quamcunque demum priorem temporum uel naturæ ordine eſſe cōpererimus, eam cauſa antiquorum dicimus. Itaque in patre filio, antiquior eſt temporum ſerie pater, quia homo eſt: qui ipſe eſſentia eſt, quæ filii naturam conſtituit. Atque idcirco patrem filio antiquiorem eſſe dicimus, quanquam hi mutuò ſeſe reſpiciant. At uerò qui principatu & poteſtate ualet, iis quibus præſit, & præceptor diſcipulo, cauſa ſola, non etiam temporum ordine prior & antiquior appellatur: plerunq; enim ut quia homines ſunt, poſteriores eſſent, uſu ueniret: princeps & ſubditus, præceptor ac diſcipulus. Quod idem in genere & forma contingit. Nam genus & ſpecies in iis ſunt, quæ cum aliquo conferuntur: ea uerò quæ ſunt eius generis, eſſentias prius fuiſſe neceſſe eſt. Atqui genus eſſentia non tēporum ſed naturæ ordine eſt prius, atque ſpeciei naturam conſtituit. Nam genus in ſpecies ſecatur, id autem omne in quod cadit diuiſio, & naturæ ordine prius iis eſt in quæ diſcerpitur, & eorū efficit eſſentiā. Quocirca ſi ſubſtantia genus eſt ſpecie prius, ea uerò quæ ſubſtantia in iis quæ cum aliquo comparantur priora ſunt, cauſa quoq; priora ſunt, igitur genus eſt quam forma antiquius: idq; adeò iure reliquis omnibus anteponit. Atque hoc quidem ordine in rerum productione natura utitur. Nam ſemini uitæ primum, deinde animationis facultatem inſerit, nimq; progreſſa ulterius, ac ſentiendi facultatē ſuppeditans, animal efficit. deinceps ira & cupiditate adiecta animans rationis expers gignit, poſtremò addita perfecta ratione, hominem procreat. Quamobrē genera formis, quia eſſentia ſunt, priora exiſtūt: quatenus uerò genera ac formæ eadem ratione ſimul temporis & cohærent, & tolluntur. Nā genus & ſpecies mutuæ ſunt eorum affectionis nomina. Sed quæſtio exiſtit, quare cum genus explicet, formę, non autem differentiæ reliquorum'ue meminerit. Dicimus ergo genus atq; ſpeciem in relatorū numero haberi, ut antè docuimus. Siquidem ſpecies generis eſt ſpecies, uiciſſimq; genus ſpeciei genus: ideoq; iure ſpeciei ſimul cum genere meminit. In his enim quæ cum aliquo conferuntur, qui alterum tradit, quia eius generis, alterum quoque exponat neceſſe eſt. Ariſtotelica porro regula hoc loco Porphyrius utitur, quæ ad hunc ſe modum habet: neceſſe eſt ut qui uocem ambiguam uelit explicare, id eſt, cuius nomine multa continentur, primum uarias eius ſignificationes excutiat, ac quam ſit ſignificationem uſurpaturus, doceat. ſiquidem uocabulorum ambiguitas magnum perſæpe errorem atque obſcuritatem ſolet parere: cum qui docet alia ratione uocem hanc deſignet, & qui docetur alia percipiat: ueluti, ſi quis de cane cœleſti diſputaturus dicat, canis ardentes calores inuehit, aut fructus perficit, nec prius explicet de quo cane loquatur, auditorem in errorem impellet. Oportet igitur eum prius canis ſignificationes percenſere (nam canis alius eſt cœleſtis, alius terrenus, alius marinus) ac mox de cane cœleſti ſe uerba facturum docere: à quo non recedens Porphyrius, generis ſignificata enumerat, ac de quo demum agat oſtendit. Porrò {Videtur} non ut hæſitans dicit, ſed pro, conſtat. Ἁπλῶς autē id eſt, ſimpliciter quatuor dicitur modis. Namque in uniuerſum notat, ac quemadmodum oratores loquuntur, ἁπλῶς εἰπεῖν, id eſt, ut ſummatim complectar: & propriè, ut cum Ariſtoteles ait, ἡ ἁπλῶς γένεσις, id eſt proprius ortus. itemq; temerè & ſine ratione, ut, ἁπλῶς αὐτὸν τύπτει, id eſt inſontem eum pulſat. ac præterea unicum minimeq; perplexum, ut cum inquimus,

> Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ
>
> Nam ueritatis lucuit eſſe oratio
>
> Simplex, uafris nec egens ambagibus.

quo poſtremo ſignificatio hoc tempore utitur. Dicit enim conſtare ſpeciem & genus, itemq; cætera eiuſdem generis non uno dici ſolere modo.

GENVS enim dicitur & aliquorum} Primum generis ſignificatum exponit, in eoq; affectiones duas ſumit: multitudinis ad multitudinem ſcilicet, & multitudinis ad unum: ut Heraclidarum ad Herculem, qua ratione ab eo genus ducere dicuntur: atque horum ad ſe inuicem, qua inter ſe cognatione quadam coniunguntur, eoq; modo aut inter ſe, aut ex ſorore uel fratre filii uocantur, aut quo quomodo aliter inter ſe conferuntur. {Quodammodo} autem, ſcitè adiecit. ſiquidem quæ ſub eodem genere continentur relationem habent aliam atque aliam. Nam alii aliorum aut ſunt, uel liberi, uel fratres, uel aliud eorum aliquid quæ genus id efficiunt.

SECVNDVM QVAM ſignificationem Heraclidarum dicitur genus} Nam quò ab aliis ſeparetur gentibus, ut Tantalidis & reliquis generis eiuſdem, atque ab ea quam à fonte uno (Hercule puta) Heraclidæ trahunt omnes rationem, & à multitudine nonnullorum, qui inter ſe coniuncti ſunt ſocietate ea quæ ab illo ducta eſt ſecernatur, Heraclidarum genus dici conſueuit. qua ratione duæ iterum collationes ſumuntur, unius ad unum, & cauſæ atque effecti: nempe Herculis ad Heraclidarum quēpiam. Quo in genere cauſæ uim Hercules ſortitur effecti, qui ab eo quaſi quodam capite manarunt, ſiue patria, ſiue qui in ea ortus eſt, qua ratione Platonem Athenienſem, Pindarum genere Thebanum dicimus. Porrò ſcire eſt operæprecium affectionem quatuor dici modis aut arte, ut præceptoris ad diſcipulum, aut forte, ut domini ad ſeruum, aut delectu, ut amici ad amicum, aut natura, ut patris ad filium. Eorum ergo quæ diximus à natura profecta eſt collatio. Secundum diuiſionem ab aliis generibus dictam.} Intelligendum eſt autem uoces ſignificantes atque uocabula, res à ſe inuicem ſolere ſecernere. Voluit enim natura, ut hoc homo, illud canis ac illud equus appellaretur, quo res à rebus ſepararet. Nam ars unaquæque quaſi nouum quippiam ſit, & ab aliarum ſemotum conſuetudine inductura ſuis inſtrumentis propria imponit nomina, ut ea aliqua ratione explicet. Eo enim modo Geometræ cum multas eſſent triquetror diſtinctiones conſecuti, ut æqualia habens laterana, aut

duo duntaxat,aut tria etiam inæqualia,horum omnium appellationes extruxerunt: & triangulum quidem eum qui tria æqualia latera haberet, ἰσόπλευρον, qui duo ἰσοσκελῆ,qui uerò inæqualia tria σκαληνὸν appellauerũt: quibus nominibus quid eorum quodq; eſſet uoluerunt explicare. Atque hoc quidem modo uocabula rerum uim atq; naturam oſtendunt.

HÆC autem uidetur promptiſsima eſſe ſignificatio} Paulò obſcurior eſt hoc loco Porphyrius, ut pote qui de prima generis ſignificatione diſputaturus id ipſum non indicarit: cum certo tamen debuerit atteſtari quam hoc tempore ſignificationem notaret. Cæterum de prima differere eum,non autem de ea quam paulo antè tradidimus, ipſa per ſe ſatis quæ profert exempla declarant. Nam hæc nobis quidem,inquit,eſſe uidetur obuia atq; ad manum præ conſuetudine poſita generis ſignificatio. Vocat autem nobis obuiam præ conſuetudine ſignificationem aut ab uno multorum,aut ad multos relationem. Sed hoc loco exiſtit quæſtio,quamobrẽ genus quod primo loco explicatum eſt,expeditum dicat,non autem poſterius, id eſt,unius ad unum affectionem. Cum præſertim hoc ipſum natura prius intelligat,quæ ex uno unum primũ gignit,atq; ita demum è multis multa efficit. Dicendum itaq; eſt,ſecundam generis ſignificationem,quæ nobis poſterior eſt,naturę eſſe ordine priorem. Nam ab Hercule unus in primis naſcitur,atq; ita deinde multitudo. Quæ uerò prima eſt naturæ ordine ſignificatio,nobis eſt poſterior: uiciſsimq; quæ naturæ eſt ordine poſterior,nobis eſt prior: atque,ut paucis abſoluam,quæcunq; naturæ ordine priora ſunt, ea ſunt, nobis poſteriora: & uiceuerſa,quæ poſteriora ſunt naturæ ordine, nobis ſunt priora. Exempli gratia: priora naturæ ordine ſunt materia atque ſpecies,deinde quatuor elementa,tũ caro & oſſa,itemq; cætera quæ ex partibus conſtant inter ſe ſimilibus: poſtea uerò homo oritur: atque ad hunc quidem modum à ſuperioribus natura ad inferiora delabitur: nos autem, quippe qui ad inferiora nutamus,reſq; intuemur abiectas, a uicinioribus ad remotiora, & ab iis quæ ſunt luculentiori materia interſepta ad ea quæ minus in eam immerſa ſunt progredi uolumus,principio hominem intelligimus, deinde eum ex oſsibus ac carne coaleſcere, tum hæc ipſa ex quatuor conflari initiis: poſtremò initia ac elementa è materia atque ſpecie cõſtare cognoſcimus. Quocirca quæ ſunt naturæ priora,ea nobis ſunt cognitione poſteriora: itemq; quæ ſunt naturæ poſteriora,nobis priora exiſtunt. Quamobrem facilior prima eſt generis ſignificatio, atq; ſecunda obſcurior: ob eamq; cauſam de iis Porphyrius hoc ordine iure diſſeruit. Etenim in omni diſputatione ſumendum eſt ab apertioribus initium. Præterea quia Philoſophorum genus,quo de nunc agitur,ſimile generibus iis eſt,quæ ſunt à nobis expoſita,& cum illis affinitate quadam coniũgitur. Dubitari autem poterit,quam ob cauſam cum plures ſint generis ſignificationes,eas ſolũ perſecutus eſt Porphyrius: quæ haſtenus a nobis traditę ſunt. Eſſe uerò alias præter eas de quibus diximus ſignificationes,hinc perſpici poteſt. Nã Plato enim genera,eſſentiam, ſimilitudinem, commutationẽ,ſtatum & motum eſſe uolebat. Quæ idcirco Porphyrius prætermiſit,quea modò perſequi decreuiſſet (ut initio dixi) quæ ad Ariſtotelis opinionem accedunt. Apparet autem ẽt Ariſtotelem in explicatione naturæ genus pro materia,quæ arti cuiq; propoſita eſt,uſurpaſſe,ut fabrili ligna: medicinæ humana corpora,& omnibus denique naturalibus actionibus prima materia,uerum de his aptè ad naturæ perueſtigationem differere Porphyrius non inſtituit, ſed ad diligentẽ differendi rationem accommodatè.

ALITER autem rurſus genus dicitur, cui ſubiicitur ſpecies,ad horum fortaſſe ſimilitudinem} Tertiam generis ſignificationem perſequitur,de qua diſceptant Philoſophi, & cuius è ſuperioribus ducta uidetur appellatio. Nam ut prima generis ſignificatio affectiones duas habebat, multorum ad unum,& eorum inter ſe,ſic in formis & ad genera, & inter ſeſe ineſt relatio. Præterea quemadmodum ſecundum generis ſignificatum collationes itidem unius ad unũ, cauſæ & effecti obtinebat,ſic & hoc unius ab unum relationem habet,ut animalis ad hominem,& effecti ad cauſam. Itaque primi fortaſſe illi nominum impoſitores cum uarios hominum ortus circunſcribere & quaplam uellent uarietate diſtinguere,aliud Heraclidarum genus nominandum putauerunt. Æacidarum aliud, atque aliud Pelopidarum: ad quorum imitationem Philoſophi ſua genera nuncuparũt. Nam ut heraclidarum genus dicitur,quod ab uno principio (Hercule puta) quaſi quodam capite manauit: ſic etiam animal genus uocatur: ſiquidem ſingulorum animantium, ut hominis,canis,equi,cæterorũq; omnium generis eiuſdẽ, genus,uniuerſum eſſe animal perhibent, ac multitudinem uidetur continere. Sæpenumerò autem Philoſophi genera quæ in uſu apud eos habentur inuenerunt,atq; deinceps ad eorum morem uocabulorum authores genera ea appellarunt,quæ in communi hominum uſu ſunt poſita. Nam intelligi utrunque poteſt. Quoniam igitur non conſtat, Philoſophi ne an primi nominum impoſitores initium huic appellationi dederint,idcirco. Fortaſſe, adiecit,quaſi ea de re ipſe quoq; ambigat.

CVM igitur genus trifariam dicatur} Poſtquam Porphyrius generis ſignificationes explicauit, de tertio apud Philoſophos tantum orationem eſſe ait.

IDQVE hoc modo deſcribunt} Igitur prius dicamus, quid ſit deſcriptio,& quid definitio: quidq; inter definitionẽ atq; deſcriptionem interſit,atque ita demum cauſam inueſtigabimus quamobrem genus deſcriptione, non autem definitione explanarit: quanquam rei quæ definiendo explicatur naturam definitiones declarant maximè, & quæ ſunt ad quaſq; quæſtiones accommodata circunſcribunt,& quæ ab his abhorrent reſpuunt. Dicendum itaque eſt rem quanq; & unam eſſe,& multas: ideoq; & nomine, & oratione res omnes explicari. Ac nomine quidem,cum ut res una quæpiam ſpectantur: oratione uerò,cum ut multis ex partibus coaleſcunt,uerbi gratia,& hominem hominis nomine deſignamus,& oratione quæ ait,homo eſt animal mortale rationis particeps. Iam oratio hæc quæ res de quibus agitur declarat,uel ex iis quę in ipſa rei natura hærent ducitur,uel ex iis quæ rem conſectantur. Si ergo a re ipſa petatur, definitio dicitur,ut animal rationis compos,mortale, nam hæc hominis eſſentiam complent: ſin uerò ab accidentibus trahatur,appellatur deſcriptio,ut ſi quis definiat hominem eſſe animal quod erecto cælum uerſus corpore ambulat,quodque latos habet ungues,ac manibus utitur,nã hæc ſunt hominis naturam conſecuta,non enim eius abſoluunt ſubſtantiam,ſed ei accidunt. Hoc ergo inter finitionem atque deſcriptionem intereſt,quod definitio ex propria ui planam facit rem eam quę definitur,deſcriptio autem ex accidentibus rei uim naturamq; declarat. Porrò deſcriptio quaſi adumbratio quædam nominata eſt. Nam ut apud pictores adumbratio,imaginis imitationem proſequitur,non rem apertè prodit,ſic deſcriptio declarat quodammodo propter ſimilitudinem id quod ſignificatur,ſed non aptè & commodè naturam eius explicat. Definitio uerò uim & naturam rei quę definitur lucidè explanat. Itaq; perfectæ delineationi definitio proportione reſpondet,atque adũbrationi, deſcriptio. Quoniam igitur definitio genere declaratur & conſtituentibus differentiis,primiſq; generibus priora nulla ſunt,ut ex iis atque differentiis quæ diducta genera conſtituunt generis definitionem explicaret, hæc autem de capite generis omnis oratio eſt,idcirco cum generis tradere definitionem Porphyrius non poſſet,ipſum obſcura deſcriptione informauit. Res enim eas quæ exponi definitione non poſſunt, adumbrare deſcriptione conſueuimus. Definitionum autẽ quæ ad uim generis explicandã ualẽt copia omni deſtituimur. Primũ quidẽ,quẽadmodũ ſupra dixi,quia de genere ſimplici hæc inſtituta oratio quæ in uniuerſum põt cadere. Porrò ſummi generis nullũ eſt genus,tũ.n.ſummũ non eſſet. Atqui ſi genus non ſit,cohærere definitio nonpõt: nã definitio omnis ex genere ſumitur, & differentiis quæ rem eam quam definire uolumus cõſtituũt. Præterea ſi nullũ ſit genus,cõſtituẽtes differẽtiæ eſſe nõ poſſunt. nã formas illæ & formæ

genera

geneca (ut paulò poſt uidebimus) partiuntur. quæ ergo res genus non habet, ea ne differentias quidem quę rem quam definiendo aperimus conſtituant, obtinebit. Atque hæc prima quidem eſt ratio, cur generis tradi definitio non poſſit. Altera autem, quia ambigua eſt generis appellatio. Nam id decem modis dicitur, ut ex Categoriis intelligi poteſt: Ambigua uerò definiendo explicari non poteſt, quia uocabula ſunt nuda, quæq; rebus quæ ab ipſis ſignificantur diſcrepãt: definitio autem rei de qua agitur naturam illuſtrat: quæ autem eadem finitione continentur rebus etiam inter ſe conſentiunt atq; cõſpirant, tribui ergo ambiguis definitio, quæ ad oẽs eorum partes pertineat, non poteſt, ideoq; ea deſcriptione notamus. fieri ſiquidẽ põt ut in iis q̃ natura diſſident eædẽ conſecutiones nitantur. Igitur quemadmodum hoc loco cũ multa ſint, eaq; eſſentia diuerſa genera, una tamen & eadẽ in ipſis affectio ad formas ſibi ſubiectas cernitur: qua genera quædam, quædam ſpecies appellantur, propterea generis ſimplicem definitionem Porphyrius non reddidit, ſed id deſcriptione illuſtrauit, ut eam decem generibus coaptare poſſit. Sed exorietur fortaſſe quiſpiam, qui dicat, quoniam quæ ambigua ſunt definiendo non aperimus (ſiquidẽ definitio quod ſit id de quo agitur oſtendit, ea autem uoces puræ ſunt) quamobrem iis deſcriptionem aſſignamus? Etenim deſcriptio accidentium frequentia ex quibus ſubiectũ quid ſit eluceat, declaratur: in rei enim nos eius cognitionẽ ducunt, quam ea conſequuntur. Quoniam igitur deſcriptione una res ambiguas explicamus, ac deſcriptione in naturæ ſubiectæ intelligentiam trahimur: non nomina modò, ſed res etiam eędem comperientur, quod eſt abſurdum. Nã hæc geneca decem reperientur, eſſentia, quantitas, qualitas, & cætera, quæ ambiguo genere continentur. Ac huiuſcemodi quidem quæſtio eſt. Eam autem nuper ratione quadam diluimus, cũ diceremus fieri poſſe, ut iis quę ſubſtantia ſunt diuerſa prædita, accidentia eadem conuenirent, quibus ipſa quoque deſcriptio conſtituitur. Quemadmodum ergo in decem Categoriis eædem ad ea, quæ illis ſubiecta ſunt affectiones inerant. nam ut eſſentia cum corpus atque expers corporis ambiat, eorum, quæ ipſa formæ ſunt, genus eſt: ſic quantitas, cum ſpecies duas, coniunctam atque deiunctam, contineat, genus earum eſt: eodemq; modo qualitas cũ ſpecies multas complectatur, earũ genus eſt, itemq; cætera omnia eiuſdem generis: adeo ut eadem relatio categoriis omnibus quadret. Minimeq; mirum eſſe debet ſi eorum quæ ſubſtantia differunt, una tribui poſſit deſcriptio, quanquam diuerſæ res, quas deſcribimus, efficiantur. In generibus igitur decem ea ineſt ſimilitudo, ꝙ in multis ea dicuntur, non autem de his, ac tam multis. Nam ſi unum forte de formis quatuor diceretur, aliud quæ de totidem hæc in uicem conuenirent, ꝙ de multis dicantur: ſed ꝙ non de eiſdem ac talibus, diſcreparent. ergo deſcriptio ſumitur ex etymologia uel ex fortuita proprietatum concurſione. eaq; proprie deſcriptio dicitur. ex etymologia quidem, ut homo dicitur ἄνθρωπος ab ἄνω & θεωρῶν ꝙ ſupra aſpiciat, uel ἀναθρῶν ἃ ὄπωπε id eſt, contemplans quod uidit, uel quoniam ἄνω ἔχων τὰς ὦπας hoc eſt alto in loco oculos habeat. Ex fortuita cõcurſione, hoc modo, homo animal eſt quod cælum uerſus erecto corpore incedit, & latos habet ungues, ut ante dixi. At uerò definitio, aut a materia trahitur, ut cũ iram definimus, feruorem eſſe cordi ſuffuſi ſanguinis: aut à ſpecie, ut cũ acceptæ iniuriæ retaliandæ ſtudium eam eſſe dicimus, aut ab utroque etiam ſumitur, ut cum iram definimus feruorẽ cordi ſuffuſi ſanguinis, propter referiendi cupiditatem. Atque cum à ſola quidem materia, aut ſpecie definitio ducitur, imperfecta nec ſe ipſa contenta eſt, ſed cum ab utroque elicitur, perfecta demum definitio exiſtit, quia utrũque deſignat. Perfecta uerò definitio eſt, quæ ex genere & differentiis rẽ conſtituentibus coaleſcit. Nam materiæ munere genus fungitur, ſpeciei, differentiæ. Itaq; hęc definitio in res medias et uelut interiectas cadit, nec enim prima, nec ultima genera complectitur, nec conſtituentes differentias, ſed formas ſolum, ut indiuidua. Quibus ex rebus efficitur ut eorum deſcriptiones, non definitiones reddamus, ueluti, Socrates eſt filius Sophroniſci, Athenienſis Philoſophus, uentre prominulo, caluus, aduncis naribus, & ſi quid aliud eſt eius generis quod eum conſequatur. Iam qui aſſerunt genera prima conſtituentes habere differentias, praue mihi ſentire uidentur. Nam differentias eas quibus genera in partes & formas diuidimus, illa quidem habent, quæ ſpeciem efficiunt, non item. Nam quidquid alterius eſſentiam naturamq; cõſtituit eo eſt quod conſtituitur antiquius. ſiquidem, quemadmodum paulò antè dixi, differentiæ quæ diuiſa genera in ſpeciem formant, multò antè genera in ſpecies prima diducũt. Cum igitur ratio & mortalitas hominis, mortalitas & rationis carentia equi uim naturamq; compleant, genus ea quoque (animal puta) in membra ac partes tribuunt. Quippe animal in rationis particeps & rationis expers, in mortale & immortale diſcerpitur. Quamobrem præclarè à nobis dictum eſt, ſpecies eas quæ rei alicuius uim naturamq; complent, re ipſa antiquiores eſſe ſolere, ſummo autem genere nihil eſt prius. Quæ cum ita ſint, cumq; definiendo explicari uniuerſum genus non poſſit, eius rationem deſcriptione iure expoſuit. Cæterũ quò facilius intelligatur, quæ ſit hæc deſcriptio, & unde fluxerit, dicamus ad hunc modum, eademq; opera non temere, aut ſine ratione Porphyrium, de his quinque uocibus diſceptare, ſed ꝙ neceſſe ſit uoces omnes ad unam harum aliquam quodammodo referri, perſpici inde poterit. Vocum aliæ nihil ſignificant, ut gnax, blityri, aliæ quippiam denotant. Et harũ rurſum hæ uel de uno dicuntur, ut cum Platonem aut Socratem, aut aliquod indiuiduum efferimus: uel de multis. Quæ autem de multis dici ſolent, aut in rei eſſentia, aut in conſecutionibus dicuntur. ac ſi in eſſentia quidem, aut in quæſtione qua quid quięq; ſit quæritur, aut qualę, dicuntur. Atque ſi rei quidem qualitas exquiritur, oritur differentia: ſin natura indagatur, aut de multis, ſpecie autem differentibus, ut genus, aut de iis q̃ numero differunt, ut ſpecies enunciantur. Præterea ſi in accidentibus dicuntur, aut de una ſpecie enunciantur, ut proprium, aut de multis, ut accidens. Atque ex hac diuiſione apparet neceſſe eſſe, uoces omnes quinq; uti uocibus, nec minore maioreve numero contineri. Diximus enim uocum caſſas alias ſignificatione eſſe, alias ſignificare. Et inter eas quæ ſignificant, alias de uno, atque alias de multis dici. In iisq; eſſe quæ de multis dicuntur, genus, ſpeciem, & differentiam, proprium, & accidens. Septem itaq; cum ſint uocum genera, unum earum quæ nihil ſignificant, alterum earum quæ de uno ſolo dicuntur, tertium earum quæ de multis enunciantur, quo in genere ſunt genus, differentia, ſpecies, proprium & accidens, duobus ſuperioribus abiectis quinq; ſolum relinquentur. Reiiciuntur enim uoces quæ omni ſignificatione uacant, utpote quæ nec Grammaticis, nec Oratoribus, multoq; minus Philoſophis ſint uſui. Præterea expelluntur ex indiuiduis quoniam hæc ad ſingulas generis partes pertinent. Nam quæ ſunt eius generis, infinitæ cenſentur, & nullo certo numero circunſcriptæ. At Philoſophi rerum omnium certam profitentur ſcientiam, atq; ut eſt apud Platonem in Cratylo ſcientia proinde ἐπιστήμη à Græcis appellatur, ꝙ nos in certam quandam quæſtionum omnium cognitionem, ultimumq; perducat. Cum igitur res ſingulæ quæ multæ ſunt ac propemodum infinitæ, ſciẽtiam non efficiant, & ex eorum ſint numero quę de uno ſolo dicuntur, meritò illæ quidem reiiciuntur, tumq; fiunt reliquę uoces quinque, Genus, ſpecies, & media inter hæc differentia, proprium, atque accidens. Sub eaſq; uoces ſubiecta eſſe omnia animaduertes, ſiue motum, ſiue infinitum dicas. Atque hæc quidem de diuiſione uocum in uniuerſum dicta ſint. Deinceps autem eadem apertius, ſi poſſumus, dicamus. Vocum quædam ſignificationis expertes ſunt, ueluti gnax, blityri, alię ſignificatione præditę. ac de iis quę non ſignificant nullus nobis eſt ſermo. Itaq; quę ſunt omni ſignificatione abſolutæ de nullis dici phibẽtur, ꝙ de nulla re cõmodè enunciari queant. Porrò earum quę ſignificationis compotes ſunt, aliæ de uno dicuntur, ut Socrates, Plato. Aliæ de multis, ut genera, ſpecies, differentiæ, propria, & accidentia. De reliqs aũt nulla eſt a Philoſophis (ut dixi) inſtituta

∴ Ex hac diuiſione reſultat generis deſcriptio et reliquarum quatuor uocum.

oratio. Adhæc earum quæ de multis dicuntur, aliæ in eſſentia, ut genera, & differentiæ (nanque hæc naturam conſtituunt) aliæ non de ſubſtantia enunciantur, ut propria & accidentia: ſiquidem hæc ſubiectorum uim atque naturam non complent. Rurſum eorum quę in rei dicuntur ſubſtãtia, alia de iis quæ forma diſcrepant efferuntur, ut genera, & differentiæ: alia de iis quæ numero differunt, ut indiuidua: quæ inter ſe non ſpecie, ſed materia uel numero diſtĩguntur, ueluti Xanthus equus, & Balias. Hi enim inter ſe non forma, ſed materia atque numero diſcrepant. Præterea denarius numerus ex decem unitatibus non confuſis illis quidem, ſed diſtinctis ac ſeparatis conſtituitur (nunquam enim dixeris denarium ex unitatibus coniunctis & confuſis componi) atque inde quidem diſtinctionem uarietatemq́; generis & ſpeciei, ac differentiæ conſequimur. Nam hoc inter ea intereſt, quod ſpecies de iis quæ numero inter ſe differunt dicitur: genus autem ac differentia de iis quæ forma diſtincta ſunt, enunciantur. Rurſum quædã in quæſtione dicuntur, qua quid quicq; ſit quæritur, quæ quidem eius ſunt generis ut aptè cum rei natura indagatur, reſponderi poſſint: ut ſi quis, quid homo ſit roget, animal inquimus: genus etenim hominis eſt animal. Quare efferri genus dicitur, cum rei natura quærendo inueſtigatur. Ea autem in eo quod quale eſt enunciantur, quæ cum uel qualitas, uel ſubiecti quæritur modus, reſponderi ſolent: ut, cum qualis nam ſit homo quærit aliquis, rationis particeps reſpondemus: quæ eius eſt differentia. Quocirca differentia in quæſtione dicitur, qua quale quidq; ſit quæritur. quibus ex rebus perſpicua generis atq; differentię diſſimilitudo. Nam eo inter ſe genus & differentia ſecernuntur, quod illud in quæſtione qua rei natura quæritur, dicitur: hęc cum quale quid ſit indagatur. Iam eorum quæ in rei non dicuntur eſſentia, partim in formam aliquam cadunt, ut propria: partim in multas, ut accidẽtia. Itaque ex ea diuiſione, perſpicua nobis euaſit proprii accidẽtisq́; diſtinctio. Nam proprium hoc ipſo quod de una modo ſpecie cuius proprium eſt dicitur, ab accidentibus ſeparatur omnibus, quæ de multis efferuntur. Ex quo intelligi facile poteſt, uoces omnes ad unam harum aliquam neceſſe eſſe referri: atque adeo ex conſtituta partitione rei cuiuſque ſumi finitionẽ poſſe: ſi ea modo delegerimus, quæ ad rei cuiuſq; uim atque naturam definiendo explicandam pertinent: quemadmodum & ipſe fecit Porphyrius, cum genus eſſe definiuit, quod de multis, ſpecie autem differentibus dicitur, cum quid quidq; ſit quæritur. Nam cum genus in multis dici aſſerit, ipſum ab indiuiduis ſeiungit omnibus, quæ de uno tantummodo dicuntur. cum uerò de ſpecie differentibus, ab iis quę ut ſpecies dicuntur & propria. Cum uerò in quæſtione ipſum dici ait qua rei natura indagatur, à differentiis & ab accidentibus ſecernit. Ac diuiſionem quidem hanc popularius, & pinguiore Minerua perſecuti ſumus, uorum differentiam explicare, neceſſeq́; eſſe ut his duntaxat nec pluribus paucioribusve Ariſtoteles utatur, oſtendere uolentes. Nam cum ſeptem ſint (quẽadmodum dictum à nobis eſt) uocum genera, duobus reiectis prioribus, quinq; ſolum ſuperſunt. Porphyrius autem ſapiens quia hoc tempore quamobrem Ariſtoteles quinq; modo uoces ad ſuum uſum adhibuerit docere nõ inſtituit, ſed uocum intee ſe diſtinctiones tradere, idcirco coacta in arctum partitione, de hiſce rebus ad hunc propè modum exquirit. Significantium uocum aliæ de multis, de uno aliæ dicuntur: ſuperiorem enim diuiſionis partem prætermittit. Ac de uno quidem dicuntur, ſingulæ res atque inſectilia, qualia ſunt Socrates, Plato, Alcibiades. Rurſum earum quæ de multis efferuntur, aliæ de his quæ forma, aliæ de his quæ numero intee ſe diſcrepant. De forma differentibus, genus, ſpecies, atq; accidens enunciantue. Animal enim cum genus ſit, de homine, & equo dicitur. Itemq́; differentia ut rationis particeps, in multis formis ut angelis hominibusq́; dicitur: & mortale in iis quæ ratione carent, ut equo ac cæteris animantibus. Atque accidens de multis dicitur formis, namq́; de candore id atq; atrore, de ſtatu & ſeſſione dicitur. In iis autem quæ numero differunt, proprium atq; ſpecies numerantur. Nam quæ de iis quæ forma diſſident efferuntur, aut in quæſtione qua rei natura indagatur, aut qua qualitas & modus inueſtigatur, dicuntur. Ac in quæſtione quidem qua quid quidq; ſit quæritur, dicitur genus. In ea qua rei qualitas quærendo inueſtigatur, differentia & accidens id, qđ elui funditus nõ põt. In ea uerò qua modus exquiritur, accidens ꝙ põt à ee ſubiecta ſeparari. Cũ enim quomodo ſit affectus Plato q̃rit aliquis, ſecũda frui eũ ualetudine, aut morbo iactari, aut ſtare, aut ſedere, cæteraq́; omnia generis einſdem, reſpondemus. Sed dubitari poteſt, ſi ad uocẽ ut genus quinque quas diximus uoces referuntur, eſſe aliud genus quo ſumma genera contineantur. quod eſt abſurdum. Dicimus ergo non ut res, ſed ut uoces genera in hanc diuiſionem incurrere. Nam ut ſummæ res atque generaliſſimæ ſunt, ad id quod ad plura pertinet referri non poſſunt.

EORVM enim quæ prædicantur alia quidẽ de uno dicuntue ſolum} Hinc perſpici poteſt traditam generis deſcriptionem, ipſum ab aliis omnibus ſecernere.

ET hic, & hoc} Nã & hæc ſunt indiuidua, quippe quę de uno tantummodo dicantur. Indicando enim dicimus, hic homo, hæc & illa res. Ac ſcitè quidem Philoſophi de ſingulis rebus differentes, hunc orationis curſum rationemq́; dicendi tenuerunt. Nam ea in demonſtrationem atque ſentiendi uim cadunt. Homo enim communis ac uniuerſus, & animal, itemq́; cætera omnia eiuſdem generis q̃ in ipſo nituntur artifice, nec ſenſibus, nec demonſtratione uſurpantur. Quamobrem præclare quæ ſunt generi ſubiecta ad demonſtrationem reuocarunt, non etiam ipſa generalia. Ea uerò indiuidua uocitantur ex eo, quod nec ſimiles in partes, nec in diſſimiles diſſolui poſſint, ut genera & ſpecies: ſed ſimul ac ſecantur, extinguanturq́;. Animalis enim quod in me eſt communes & uniuerſæ proprietates non ſunt, ſed id in me circumſcribuntur. Eademq́; eſt cæterorum ratio. nam rationis particeps, quodq́; è proprietatum huiuſmodi accidentiumq; aceruo conſiſtit, homo definitur.

ET accidentia quæ communiter} Vt candor, & nigror. Nam quæ ad ſingulas generis partes pertinent, de multis non dicuntur, ueluti candor qui in hoc hæret corpore, & cicatrix in Vlyſſe poſita, ex qua eum nutrix agnouit. Nam ea in ipſo ſolum erat: alioqui ſi in aliis quoque fuiſſet, quomodo ex ipſa eum potuiſſet agnoſcere? Atque idcirco ea dixit accidentia quæ communiter in multis, non proprie in uno inſunt, id eſt uniuerſa & communia, non ſingula.

EST autem genus quidem, ut animal} Adumbrata hæc tractatione explicat, atque exemplo adhibito, quid harum quinq; uocum quidq; ſit, explanat.

AB iis uerò quæ de uno ſolo} Hoc loco docet quonã modo explanata generis definitio, aut certè deſcriptio, ipſum ab aliis omnibus ſeiungat. Nam genus in multis iiſq; differentibus non numero ſolum, ſed etiam forma dicitur. Species uerò de numero differentibus effertur. Quamobrem unius cuiuſq; uocis hac ratione reddenda definitio ſiue deſcriptio eſt. Genus eſt uox quæ ſignificat, quęq; de multis, ſpecie autem differentibus dicitur, cum quid qđque ſit quæritur. Species eſt uox ſignificans quæ de multis, ſpecie autem differentibus in rei natura quærenda dicitur. Differentia uox eſt ſignificans, quæ de multis, iiſq; ſpecie differentibus in quæſtione qua quale quid ſit indagatur, dicitur. Proprium uox eſt, quæ rem naturæ comitem ſignificat, ac de una modò ſpecie, cuius proprium eſt, dicitur. Accidens autem uox eſt ſignificatione prædita, quæ eſſentiam conſequitur, quam de pluribus ſpecieq; differentibus dicitur quæq́; in quæſtione ea dicitur, qua rei qualitas & modus inueſtigatur.

ANIMAL uero cũ ſit genus, de hoĩe, & equo, & boue prædicatur} Scire eſt operæprecium, quæ forma intee ſe differunt, eadem numero quoq; differre: non contra q̃ numero, eadem & forma diſcrepare. Siquidem iſta non reciprocantur. Intelligendum quippe eſt, tria genera eſſe

tus quod idem appellatur. Aut enim genere idem, aut forma, aut numero dicitur. Eadem genere ſunt, homo, equus, canis, bos. Nam hæc eodem genere continentur, quoniã in animantis omnia naturam conueniunt. Forma idem ſunt Theon, Plato, Alcibiades: nam ſpecies eos eadem cõplectitur. Numero idem ſunt, homo ac mortalis: enſis & gladius. Atqui ſi trifariam idem dicitur, diuerſum quoque tribus notabitur modis. Nam aut diuerſum id dicitur, qđ eſt diſtinctum genere, aut quod ſpecie, aut quod numero. Ac quæ genere quidem diſcrepant, & forma planè diſſident, & numero ueluti, homo & candor genere differunt, nam homo animal eſt, ac candor qualitas. Quocirca ea et ſpecie quoque differunt, alia enim eſt hominis atque alia candoris ſpecies: ſiquidem homo ſpecies eſt animalis, qđ nomen generis obtinet: candor autem qualitatis colorisq́, forma eſt. Quin etiam ea ipſa numero quoque diſſentiũt, qui enim eſt ſubiectus ſenſibus homo, ut Socrates, diuerſus eſt a Platone. Quamobrem præclarè dictum à nobis eſt. Quæcunque genere inter ſe diſcrepant, eadem forma atque numero diſſidere. Cæterum quæ forma differunt, numero ea quidem diſſident, genere uero non item, ut homo, equus. Nam hæc inter ſe forma diſcrepant: alia enim eſt hominis atque alia equi ſpecies: quinetiam & numero, alia enim eſt equi atque alia hominis materia: non continuo tamen ea genere à ſe inuicem disiunguntur, quoniam in eſſentia animantis conueniunt quæ uero numero differunt, neq; omnino ſpecie neq; genere inter ſe differunt. Ob eamq; cauſam Porphyrius hæc ſpecie etiam, non ſolum numero differre dixit: ac ſi per ſe ſatis conſtaret, quæ ſpecie inter ſe diuerſa ſunt, ea numero quoq; diſcrepare.

A DIFFERENTIA uero, & ab aliis q̃ cõiter ſunt accidentia differt genus} Poſtremò, inq̃t, inter genus & differentiam, ac uniuerſa accidentia hoc intereſt, quod hæc q̃dem in quæſtione qua qualitas & rei modus inueſtigatur, dicuntur: genus autem, cum rei uis atq; natura indagatur. Porrò ab iis quæ in quæſtione qua quid quicque ſit quæritur, hoc ſeparatur. A ſpecie primum, quod ſpecies etſi de multis illæ quidem dicuntur, ſed tamen ſpecie minus diſferentibus, uerum numero. At uerò genus de multis, iisq; quæ ſpecie etiam, non ſolum numero diſſentiunt, enunciatur. Præterea à proprio etiam ſeiungitur, quod proprium uni modò ſpeciei conuenit, genus autem nõ ſolum de una ſpecie dicitur, ſed de multis.

QVARE ꝙ de pluribus prædicetur genus, eo ab iis diuiditur, quæ de uno ſolo indiuiduo prædicantur} Breuiter oſtendit unum quodque eorum quæ ſunt in deſcriptionem generis aſſumpta, aptè accommodatèq; uſurpatum fuiſſe.

QVÆ non in eo qđ quid eſt, ſed in eo quod quale quid eſt, & quomodo ſe habet unumquodq; prædicatur} Cum enim quomodo ſit affectus Socrates, quærit aliquis: benè eum aut malè habere reſpondemus. Nam & aliæ præter accidentia ſunt differentiæ, ut ſimum eſſe, eſſe adũcis naribus, & caluum. Quod uero in quæſtione dicitur, qua rei natura indagatur, & a differentiis ſecernitur, & ab accidentibus uniuerſis, quæ non in quæſtione qua uis & natura rei, ſed qua qualitas & modus inueſtigatur, dicuntur omnia de his, de quibus quidq; dicitur. In quæſtione autem qua quid quale ſit quæritur, differẽtia dicitur: in ea uerò qua rei modus exquiritur, communia accidentia. Nõnulli autem uolunt eum, cum inquit, uel quo modo ſe habet unumquodq;, quæ propriè in rem aliquam cadunt cõprehendiſſe. Dicimus igitur, ea quanquam in quæſtione dici queant qua rei modus inueſtigatur, in iis tamen eſſe q̃ de uno ſolo dicuntur. Ab iis autem genus ſupra ſeiunxit, cum diceret. Quare quod de pluribus prædicetur genus, eo ab iis diuiditur, q̃ de uno ſolo indiuiduo prædicantur.

NIHIL igitur ſuperfluũ, neq; minus continet generis dicta deſcriptio notionis} Definitiones rei quam definire uolumus conuenire ſolent, eamq́, totam uſque eo comprehendere, dum propriam efficiatur, quod nullam in aliã rem trãsferri poſſit. Idcirco enim definitiones appellatæ ſunt, quod rem quam definire uelis complectantur & contineant, ducta ab agrorum finibus appellatione. Porrò definitiones duobus modis uitioſæ fiunt: ſi quid prætermittatur, aut redundet. Nam præclare hoc eſt a Philoſophis uſurpatum, Virtuti uni & aptæ cuiuſque rei compoſitioni, duo uitia quæ fugiamus eſſe contraria. Sic enim iuſtitia una quędam uirtus eſt, eiq; augendarum opum nimiũ ſtudium, atq; nimia facilitas adiacet. Is autem nimio quodã ſtudio rerum augendarum & amplificandarum teneri dicitur, qui rei familiaris amplificationi plus ſatis incumbit: is autem facilis nimium & æquus nuncupatur, qui opum augendarum ſtudio nullo tenetur. Itemq́, fortitudo uirtus eſt, atque timiditas ei audaciaq́, opponitur. Rurſusq; temperantia in uirtute ducitur, ei autem ſtoliditas atq; intemperantia repugnat. Nam ſtolidi ſunt, qui minus quàm par eſt uoluptate mouentur: intemperantes qui concitantur immoderatius, aut uoluptate nimia geſtiunt. Quin etiam prudentia uirtus eſt, eiq; dementia atq; inſolẽtia aduerſatur. Vt igitur ſeſe in his res habet: ſic & in definitione. Perfecta enim eſt definitio, quæ rem quæ definitur circunſcribit, quæq́, nihil extra ipſam relinquit, nec quicquã eorum quæ cum ui & natura rei cohærent prætermittit. Verum huic, ut & cæteris uirtutibus, uitia ſunt contraria, exuperantia atq; defectio, quemadmodum à nobis antea dictum iam eſt. Itaque quæ redundans quippiam continent, ut aliquid in re omnino prætermittatur efficiunt, uiciſſimq́, quæ parum explicatum quippiam complectuntur, deeſſe ut quippiam uideatur faciunt. ueluti hominis definitio, animal eſt mortale rationis particeps, haecq́, definitione homo à cæteris animantibus omnibus ſeparatur, ac uniuerſos ea homines comprehendit. Definitio igitur cui addi quippiam poteſt, ut in re aliquid redundet efficit, ut animal mortale: non modò enim homo eſt mortalis, ſed & equus, & canis, & alia multa. Præterea quæ aliquid redundans habet eò rẽ deducit, ut prætermiſſum in ea quippiam fuiſſe uideatur, ut animal rationis compos, mortale, grammaticum. Nam ea non homines uniuerſos complectitur, ſed duntaxat grammaticos. idq; meritò. Nam quò res compoſitiores ſunt, eò ad pauciora pertinent: quo uerò ſimpliciores, quia ad primum & commune rerum omnium initium propius accedunt, eò latius manant, & plures in res transferuntur. Quamobrem animal per ſe illud quidem ad plura pertinet: at ſi cum rationis participe copuletur, cogitur anguſtius: & rationis particeps ſi cũ mortali committatur, pauciora quoq; comprehendit: ꝙ ſi adiiciatur grammaticum, arctius etiam conſtringitur. Quos circa definitiones quibus addi quippiam poteſt, rem quæ definiendo explicatur faciunt ſuperare. Quæ uerò redundans aliquid ſuo uelut ambitu cingunt, faciunt ut à re poſſit quippiam auferri. Quod indicans Porphyrius ait definitionem ſiue deſcriptionem generis explicatam ab hiſce omnibus recedere, quæ uitium definitionibus afferunt. Non enim eam quia redundans quippiam contineat defectuoſam rem reddere, aut quia præmiſſum aliquid & parum explicatum complectatur redundantem.

GENERIS deſcriptio notionis} Dictũ à nobis eſt triplicem eſſe generum differentiam. Alia enim ante multa ſunt alia in multis, alia à multis, quæ genere poſteriora, & noſtro in animo ſita eſſe dicuntur, quoniam intelligentia ſolent comprehendi. Inſtituit igitur Porphyrius genera ea tradere, non quæ ante multa, aut in multis: ſed quæ a multis ſunt, id eſt, quæ in animis ipſis hærent ac ſituntur: atque idcirco deſcriptionem generis dixit, quæ eius notioni cõſtituta eſt. Eo porrò modo genus in animo atque notione uerſatur, quo rem quamq; intelligentes eam ipſam definiendo explicamus. Veluti hominem propria ratione ꝑcipientes in eamq́, comparatione quadam & proportione defixi, hominem animal eſſe rationis compos ac mortale dicimus. Itaq; Porphyrius ait nihil redundãs, nihil parum explicatum cõtinere, deſcriptionem quæ generis notioni eſt conſtituta.

DE SPECIE.

Species aũt & de uniuſcuiuſq; forma dicitur: unde dictũ eſt, primũ quidẽ digna ẽ ſpecies imperio. Dicitur aũt ſpecies & id quod eſt ſub aſsignato genere. quo mõ ſo ſolemus dicere hominẽ quidẽ, ſpeciẽ animalis, cũ ſit genus animal: candorẽ autẽ coloris ſpeciem, ac triangulum figuræ. Quòd ſi etiã genus explicantes ſpeciei meminimus, & ſpeciem definientes generis, dicentes, quod de pluribus & differentibus ſpecie in eo quod quid eſt prædicatur: & ſpeciem definientes generis rurſum mentionem fecimus, dicentes, ſpecies eſt, id quod ſub aſsignato genere eſt, nemo uitio uertat. Noſse uerò oportet, quia & genus alicuius eſt genus, & ſpecies alicuius ſpecies, utrunque utriuſque: ac idcirco neceſse eſſe in utrorumq; rationibus utriſque uti. Explicant ergo & ſic ſpeciem, Species eſt, quod ponitur ſub genere, & de quo genus in eo quod quid eſt prædicatur. Itemq; hoc modo, Species eſt quod de pluribus & differentibus numero in eo quod quid eſt prædicatur. Sed hæc quidem aſsignatio ſpecialiſsimæ eſt ſpeciei: aliæ uerò ſunt non ſpecialiſsimarum. Planum autem erit quod dicitur hoc modo. In unoquoque prædicamento, ſunt quædam generaliſsima, & rurſus alia ſpecialiſsima: & inter generaliſsima & ſpecialiſsima, ſunt alia, quæ genera & ſpecies dicuntur eadem. Eſt autem generaliſsimum quidem, ſupra quod nullum aliud ſit ſuperueniens genus: Specialiſsimum autem eſt, poſt quod non eſt alia inferior ſpecies. Inter generaliſsimum autem & ſpecialiſsimum occurrunt alia quæ & genera & ſpecies ſunt eadem, ad aliud quidem atque aliud ſumpta. Fiat autem in uno prædicamento manifeſtum id quod dicitur. Subſtantia eſt quoddam & ipſa genus, ſub hac autẽ eſt corpus: ſub corpore autem animatum, ſub quo animal: ſub animali uerò rationale, ſub quo homo: ſub homine uero, Socrates, & Plato, & qui ſunt particulares homines. Cæterum ſubſtantia genus quidem horum eſt generaliſsimum, & quod genus eſt ſolum: homo uerò ſpecies infima, & quod ſolum ſpecies. corpus autem ſpecies quidem eſt ſubſtantiæ, genus uerò animati: & animatum, ſpecies quidem eſt corporis, genus uerò animalis. Præterea animal ſpecies quidem eſt animati, genus uerò rationalis: ac rationale genus quidem mortalis, ſpecies uerò animalis: & animal ſpecies quidem rationalis, genus uerò hominis: homo autem genus quidem rationalis, non etiam genus eſt Socratis aut Platonis: & omne quod ante indiuidua proximè prædicatur ſpecies erit ſolum, non etiam genus. Quemadmodum igitur ſubſtantia cum ſuprema ſit, eo quòd nihil antè eam ſit, genus eſt generaliſsimum: ſic etiam homo, cum ſit ſpecies poſt quam non eſt alia ſpecies, neque aliquid eorum quæ poſſunt diuidi, ſed ſolum indiuidua (indiuiduum enim eſt Socrates & Plato & Alcibiades) ſpecies erit ſolum, eaq; ultima ſpecies, et (ut dictum eſt) ſpecialiſsima. Quæ uerò ſunt inmedio poſita eorũ quidem quæ ante ipſa ſunt, erunt ſpecies: eorum autem quæ poſt ipſa ſunt ſita, genera. Quamobrem hæc affectiones duas habent: eam, quæ eſt ad ſuperiora, qua ſpecies eorum eſſe dicuntur: & eã, quæ eſt ad poſteriora, qua genera eorum nominantur. Extrema uerò affectionem unam ſortita ſunt. Nam & generaliſsimum ad ea quidem quæ poſteriora ſunt habet habitudinem, cum ſit genus omnium ſupremum: eam uerò quæ eſt ad ſuperiora, non habet, cũ ſit ſupremum & primum principium, &, ut diximus, ſupra quod non eſt aliud poſitum genus. Species autem infima affectionem unam ad ſuperiora, quorum eſt ſpecies, obtinet: alteram uerò ad poſteriora non diuerſam habet, ſed etiam ſpecies indiuiduorum dicitur, Cæterum ſpecies quidem dicitur indiuiduorum, uelut ea continens: ac ſpecies rurſus ſuperiorum, uelut quæ ab eis continetur. Definiunt igitur generaliſsimum genus hoc modo, quod cum genus ſit, non eſt ſpecies. Et rurſus, ſupra quod non eſt aliud ſuperius genus. Infimam uerò ſpeciem, quæ cum ſit ſpecies non eſt genus. Et quæ cum ſit ſpecies, in ſpecies nequit diuidi. Et quæ de pluribus ipſiq; differentibus numero in eo quod quid eſt prædicatur. Iam uerò quæ inter extrema media iacent, ſubalterna eadem omnia uocant genera & ſpecies: & unumquodque eorum ſpeciem eſſe & genus ponunt: cum alio tamen atque alio comparatum. ea enim quæ ſunt ante ſpecialiſsima uſque ad generaliſsimum aſcendẽtia, & genera dicuntur, & ſpecies ſubalternæ. Vt Agamemnon, Atrides, & Pelopides, & Tantalides, & ultimum Iouis. Sed in genealogiis quidem plerunque ad unum reducimus principium, uerbi gratia, ad Iouem. in generibus uerò & ſpeciebus ſecus habet. Neque enim eſt commune unum genus omnium ens: nec omnia eiuſdem generis ſunt ſecundum unum poſtremum genus, quemadmodum ait Ariſtoteles. Verum poſita ſunt (quemadmodum in prædicamentis) prima decem genera, quaſi prima decem principia. Hæc ſi quis omnia, entia uocet, ambiguè (inquit) & non eadem ratione & definitione nuncupabit. ſi enim unum eſſet commune omnium genus ens, uniuoce omnia entia dicerentur. Cum uerò decem ſint prima, communio ſecundum nomen eſt ſolum, non etiam ſecũdum definitionem, quæ iuxta nomen afferri debet. Decem igitur generaliſsima quidem ſunt, ſpecialiſsima uero in numero quidem quodam ſunt, non tamen infinito. indiuidua autem quæ ſunt poſt ſpecialiſsima, infinita ſunt quapropter uſque ad ſpecialiſsima à generaliſsimis deſcendentes, iubebat Plato quieſcere, deſcendere autem per media diuidentes ſpecificis differentiis: infinita uero (inquit) omittenda ſunt. Nulla enim eorum, inquit, diſciplina poteſt fieri. Qui igitur deſcendunt ad infima, neceſſe eſt diuidentes per multitudinem ire: qui uerò aſcendunt ad ſumma, neceſſe eſt colligere multitudinem in unum. colligit enim multa in unam naturam ſpecies, atque etiam magis genus. Particularia uerò resq; ſingulæ, e contrario ſemper in multitudinem diuidunt id quod unum eſt. participatione enim ſpeciei multi homines, unus: particularibus autem & ſingularibus unus & communis, plures. Diuidit enim ſemper ſingulare, colligit autem & unam conſtituit naturam commune. Explicatum igitur cum ſit à nobis quid genus, idq; ſolere eſſe unum: quidq; ſpecies, quæ multæ ſunt (ſemper enim in plures ſpecies diuiditur genus) id addere fuerit operæ precium, genus quidẽ ſemper de ſpecie dici, & omnia ſuperiora de inferioribus: ſpeciem autem neque de proximo ſibi genere, neque de ſuperioribus. neq; enim hæc reciprocantur. Oportet enim aut paria de paribus dici, ut hinniens de equo: aut maiora de minoribus, ut animal de homine: minora uero de maioribus non item. Neque enim ut hominem animal, ſic etiam animal hominem eſſe dixeris. De quibus autem ſpecies dicitur, de iis neceſſariò & ſpeciei genus prædicabitur, & generis genus, uſque ad primum. Si enim uerum eſt, Socratem hominem eſſe dicere, atque hominem animal, & animal ſubſtantiam, uerum eſt & Socratem animal eſſe dicere, atque ſubſtantiam. Cũ igitur ſemper ſuperiora de inferioribus dicantur, ſpecies de indiuiduo dicetur, genus autem & de ſpecie, & de indiuiduo: generaliſsimum uerò, de genere uel generibus, ſi plura ſint media & ſubalterna, & de ſpecie, & de indiuiduo. Generaliſsimum enim de omnibus ſub ſe poſitis generibus, & ſpeciebus, & indiuiduis enunciatur. Genus autem quod ante ſpecialiſsimum eſt, de omnibus ſpecialiſsimis & indiuiduis: ſola uerò ſpecies, de omnibus indiuiduis: indiuiduum autem, de uno ſolo particulari: indiuiduum autem dicitur Socrates, & hic candor, & hic ueniens, Sophroniſci filius, ſi ſo-

lus


lius ſit ei Socrates filius. Indiuidua ergo dicuntur huiuſmodi, quoniam ex proprietatibus conſiſtit unumquodque eorum, quarum collectio nunquam in alio eadem erit. Socratis enim proprietates nunquam in alio quopiam homine erunt particulari eædem: at uerò hominis proprietates (dico autem eius qui eſt communis) erunt eædem in pluribus. Quæ autem Socrati competunt, nunquam in alio eædem eſſe poſſunt. Itaque indiuiduum à ſpecie, ſpecies autem à genere continetur. Totum enim quiddam eſt genus, nam genus totum ſolum eſt, indiuiduum uerò ſolum pars: Species autem & totum, & pars. ac totum quidem, qua ratione cum indiuiduo comparatur: pars, ut cum genere: ſed pars quidem alterius, totum autem non alterius, ſed in alijs: in partibus enim totum conſiſtit. Igitur de genere quidem & ſpecie, & quid ſit generaliſſimum genus, & quæ ſpecialiſſima ſpecies, & quæ genera eadem & ſpecies ſint: quæ etiam indiuidua, & quot modis genus & ſpecies dicantur, diximus.

Abſoluta hactenus generis explicatione, etſi ſecundariũ locum differentiæ ſortiri debent, tamen quia genus ac ſpecies in iis ſunt, quæ cum aliquo conferuntur, ſimulq; & cohærent, & intelliguntur, propterea ſpeciem differentiis antepoſuit. Non naturæ id quidem ordine, uerum præceptionis conſequio, quodq; in Genere definiendo ſpeciei quoque meminimus. Quamobrem ne diu auditoris animus ſuſpēſus teneretur, harumq; eſſet rerum imperitus: ſpeciei eſt continuo tractationem exorſus. Verumenimuerò ſolita hoc etiam tempore regula utens, principio ſpeciei ſignificata omnia perſequitur, tumq; demum exponit, de quo ſit uerba facturus. Nam & aliæ ſunt ſpeciei ſignificationes permultæ, quas ſingulatim non inſtituit docere, eaſq; modò interim tractat, quæ ad diligentem differendi rationem accōmodantur. Ait igitur duplicem eſſe ſpeciei ſignificationem. Nam ſpecies rei cuiuſque formam pulchritudinemq; ſignificat, unde formoſos atque deformes appellamus.

Vocatur etiā id ſpecies, quod ſubeſt generi, aut quod de multis, iiſq; numero differentibus, in rei natura quærenda dicitur. Quanquam ſpeciei ultimæ, quæque tantummodo ſpecies eſt, hæc propria definitio eſt, aliæ formarum etiam non infimarum. tum aliter quoque ſpecies definitur eſſe, q̃ de pluribus numero autem differentibus, cum quid ea ſint quæritur, enunciatur. Sed quoniam harum uocum ſignificationes (ſpeciei inquam ultimæ ac non ultimæ) obſcuræ, nec communi hominum uſu tritæ ſunt, eas deinceps explicat, ſumpta Categoriarum omnium longe pulcherrima atque nobiliſſima, eſſentia, quæ & per ſeſe cohæret, & genus eſt ſummum. Etenim reliquæ Categoriæ omnes eius ſunt accidentia. Nanque ſi aliæ omnes in ipſa hærent eſſentia, atque ſpectantur, ac conſtare ſi nulla ui naturæ contineantur, non poſſunt, perſpicuum eſt eſſentiam ui ſua cohærere, reliquas uerò Categorias nouem eius eſſe accidentia. Itaque eſſentiam ſumit, ex eaq; huiuſmodi quaſi ſpiram conſerit. Eſſentia quædam eſt corpus, quædam expers corporis, ac corpus animatum aliud eſt, aliud inanimum. Animatum aliud animal, aliud planta, aliud naturæ utriuſq; particeps, & animal aliud rationis particeps, aliud rationis expers, itemq; animal rationis particeps aliud angelus eſt, aliud homo, atque aliud dæmon. Horum igitur omnium primum genus ſubſtantia eſt, homo uerò ſpecies ultima, quæ autem intericta ſunt & in medio locata, eadem & genera uocantur & ſpecies. ac ſuperiorum quidem ſpecies & formæ, poſteriorum genera dictitantur. In uniuerſum autem ſpecies omnes, & infimas, & medias deſcriptio prima complectitur, ea inquã quæ ſpeciem eſſe dicit, quæ ſub genere collocatur, aut de qua genus in rei natura quærendo inueſtiganda dicitur. Vtraque enim deſcriptio, ſubiecto cum altera eadem eſt, ſolaq; hæ relatione diſcrepant. Nam & aliæ multæ res ſunt, quæ cum ſubiecto concordent, affectione ſola differant, ut aſcenſus, atque deſcenſus. Nam hiſce rebus idem ſubiicitur ſcala ſcilicet. Porrò ſola collatione ab aſcenſu deſcenſus diſtat, quod deſcenſus cum a loco ſuperiore ad inferiorem deuoluatur, decliue quoddam iter eſt, aſcenſus uerò cum ab inferioribus ad ſuperiora contendat, acclive. Atque etiam ſemen & fructus eadem ſubiecto ſunt, ratione autem atque affectione ſola diſſentiunt. Vt ergo in his ſe habet, ſic etiam in duplici formę deſcriptione. Hoc enim inter ſe differunt, ꝙ altera a genere orditur, atque in ſpeciem deſinit, a ſpecie uerò altera incipit, atque in genere finitur. Quamobrem ſola hac affectione diſſident, ſuntq; re ſubiecta eædem. Præterea & hic rurſum a ſpeciei ſignificatione notiori auſpicatur, ꝙ illa affinitate quadam cum ea quæ eſt apud Philoſophos coniungatur. Nã quēadmodũ ſpecies, cũ ꝓ forma atque pulchritudine uſurpatur, partea cōplectitur uniuerſas, ſic et Philoſophorũ ſpēs res ſingulas cōprehendit.

SPECIES autem & de uniuſcuiuſque forma dicitur} Quemadmodum cum uis & natura generis explicaretur, prius q̃ quid tandem, aut cuiuſmodi eſſet genus doceret, eius homonymiam diſtinxit, primumq; quam generis eſſet reiecturus ſignificationem oſtendit, & quo generis uti decreuiſſet ſignificato aperuit. Sic hoc quoq; loco ambiguitatem in primis diſcutis, tum quæ uis & natura ſpeciei ſit oſtēdit, & quæ eius ſignificatio.

DICITVR autem ſpecies &c.} Explicatis ſpeciei ſignificationibus, eaq; quam inſtituit tradere, nunc uelut exēplo propoſitam ſpeciei ſignificationem exponit, & qua ratione ſpecies ſubſit generi docet. Triquetrum enim atque figuram accipit, figuram quidem ut genus, triquetrum uerò ut ſpeciem. Exagitant autem nonnulli atque reprehendunt Porphyrium, quaſi propriè minus trianguli genus figuram eſſe dixerit. Nam in iis, inquiunt, in quibus prius quippiam poſteriuſq; reperitur, quod communi ratione dicitur, non eſt genus. At triangulus, quadrato prior eſt. Nanq; illud ex tribus, hoc quatuor ex lineis conſtituitur: ternio autem quaternario prior eſt. Itemq; hoc modo, Quadratum omne in triangulos duos ex rectis lateribus conſtantes diducitur. Nam hæc quadrati A.B.C.D. coniunctio, media linea A, D, in duos triãgulos diſcerpitur, A.B.C. & A.D.C. Quocirca ſublato quadrato, triangulus non tollitur: at uerò deleto triangulo, funditus quadratum extinguitur. Quamobrem triangulus quadrato naturæ ordine prior eſt. Quod idem in cæteris omnibus figuris quæ ex rectis lineis conſtãt contingit, ut in pentagono, uerbi cauſa, & hexagono, cæteriſq; generis eiuſdē. Nam



harũ unaquæq; in triãgulos diuiditur. Si igitur prius eſt triquetrũ, quadratũ autem & cætera ſunt poſteriora, ꝙ ergo in iis ratione cōmuni dicitur (figurã dico) eorum non eſt genus. Relinquitur itaq; ut Porphyrius impropriè triquetrũ figuræ eſſe ſpeciē dixiſſe uideatur. Atq; hoc qdē loco interpretes oēs hæſerũt, ac eũ aiũt exēpli gratia inuſitatius figurã trianguli ſpeciē cōſtituiſſe. Nos aũt quò q̃ſtionē eã omnē dirimamus, dicimus hoc mō, Si ce uera quadrati elementa atq; initia eſſent trianguli, adeo ut non aliunde quadratũ q̃ ex triangulis poſſit conflari, qđ a Platone in Timæo traditum fuiſſe uidetur, cũ figuras omnes rectis præditas lineis in triangulos ſimpliciſſima tanq̃ elementa reſoluit, uerè id qdē diceretur, priorq; eſſet figuris triangulus, nec eius genus figura eſſet, ſi modo uerũ eſt in q̄bus prius aliqd poſteriuſq; deprehenditur quod ratione cōmuni dicitur, non eſſe genus. Nunc uerò neceſſe non eſt, ut ex eo ꝙ prius triangulus conſtiterit, quadratum protinus extruatur, tumq; horum coniunctione excitetur. Nanq; Euclides ſexto & quadrageſimo theoremate q̃dratũ docet poſſe ſine triãgulo è rectis lineis excitari. Nihil.n. ꝓhibet quominus, ut non ſit triangulus, ex rectis quatuor coniunctis lineis quadratum deſcribamus. Quocirca uerum non eſt, ſublato triangulo quadratum tolli. Quod ſi quia adtexta

diametro quadratum in duos triangulos diſtrahimus, idcirco prius id eſſe inquiunt, ac uelut elementum, aut quadrati partem triangulum: quoniam quadratum contrariis inter ſe lateribus bifariam ſectis atq; coniunctis in duo quæ parte altera longiora ſunt diuelli poteſt, ut ab A. ad B. poſſuntq; duo effici parte altera longiora interualla, C & D, dicant etiam quæ altera ſunt parte longiora triangulo priora eſſe. atque etiam contrarium quadratum prius eſſe eo quod altera eſt parte longius, ſi parte altera longius quod latus unum duplex habet, bifariam in quadrata duo diuiſerimus. Quinetiam ſiquis mediam in orbe ac ſphæra lineam deſcripſerit, ea duas in partes orbem medium diuidet, A & B. atque perſpicuum eſt utranq; circuli medietatem figuram eſſe quæ ex lineæ ambitu qui medium orbem complectitur ac recta diametro coaleſcit. Quamobram efficietur ſimplicem circulorum figuram ex mixtis ſemicirculis conſtare, ac ſimplici dico circulo mixtum futurum naturæ ordine priorem. Vt ergo in his mens noſtra hanc diuiſionem efficit, nec idcirco eſt neceſſe quadrato priora eſſe quæ ſunt parte altera longiora: quoniam ea etiam in quadrata duo diduci poſſunt, ſi latus alterum altero bis maius fuerit. Igitur ſi rurſum mixtæ figuræ quæ ex rectis lineis & ambitibus conſtituuntur ſunt orbe priores, ita ſanè quadratum media linea in duos triangulos diuidi poteſt, aut propterea ex triangulis coaleſcere ipſum eſt neceſſe, prioresq; eo eſſe naturæ ordine triangulos. Scitè ergo Porphyrius trianguli genus figuram eſſe dixit.

QVOD ſi etiam genus explicantes ſpeciei meminimus, & ſpeciem definientes} Re enim uera hæc dicens Porphyrius reciproca demonſtratione uſum ſe eſſe cenſet. Reciproca autem demonſtratio à Philoſophis abiici repudiariq; ſolet, ut quæ eadem & priora & poſteriora eſſe efficiat, commuteiq; enunciationum concluſionumq; uices ac diſpoſitionem. Nam ea quod prius eſt poſterius, uiciſſimq; quod poſterius eſt prius, atque adeo iiſdem lucidiora eadē atque obſcuriora reddit; ut ſi quis a me quæreret, nam anima eſſet mortalis, reſponderem, næ. cur: nam anima à ſe mouetur. quod ſe mouet, nunquam moueri deſinit. quod ſemper mouetur, æternum eſt. anima ergo eſt æterna. ſiq; a me peteret, quomodo patet animam à ſe moueri, tunc illud ita oſtenderem: anima æterna eſt. quod æternum eſt, nunquam moueri ceſſat. quod ſemper mouetur, ſeſe mouet. anima ergo a ſe mouetur. Huiuſmodi demonſtratio reciproca dicitur. & ſi animum immortalem eſſe probaturus ſint, quod à ſe ipſo mouetur primum accipem, ex eoq; immortale concluderem itemq; demonſtrare uolens, animum a ſeipſo moueri cōuerſo ordine immortale primo loco ſumpſi, indeq; immortale effeci. Ergo mutua demonſtratio eſt quæ enunciationes in concluſiones, uiciſſimq; concluſiones in enunciationes commutat: quo fit ut iure optimo à Philoſophis repudietur. Omnis enim demonſtratio apertas enunciationes & quaſi confeſſas ſumit: concluſionem autem quæ obſcura atque inuoluta eſt explicat, ipſiſq; enunciationibus illuſtrat. Quamobrem merito reprehenditur quæ horum collocationem peruertit, ac concluſionem quæ prius ut obſcura ſumebatur quaſi apertam & enucleatam enunciationum uice accipit, atque enunciationem quam prius ut confeſſam aſſumebamus in obſcuram concluſionem inflectit. Rurſum ſi docere uolentes mulierem quampiam lac habere, peperiſſe eam dixerimus, quæ autem peperit lac habet, hæc igitur mulier lac habet: rurſumq; oſtenſuri peperiſſe eam, diximus, mulier hæc lac habet, quæ lac habet peperit, hæc igitur mulier peperit, hoc loco eadem iiſdem priora & poſteriora, apertiora atque obſcuriora ſumpſimus. Prius enim & apertum ſumebamus, peperiſſe. Poſterius & obſcurum lac habere, uiciſſimq; poſterius ſumpſimus apertū & prius, lac habere: obſcurum uerò ac poſterius peperiſſe. Quocirca in hac demonſtratione eadem iiſdem ſumuntur & priora & poſteriora, enodatiora & difficiliora. Omnis enim demonſtratio uel ex obſcuro dilucidum, uel ex dilucido obſcurum efficit: perſpicuumq; eſt eam modò uerè demonſtrationem eſſe, quæ obſcurum ex aperto probat. Aliæ igitur tres uitioſæ, ipſaq; demonſtrationis appellatione indignæ ſunt. Fieri ſiquidem non poteſt, ut ex obſcuro apertum, ut nec obſcurum ex obſcuro, proficiſcatur. quinetiā ne quod apertum quidem eſt probationem deſiderat, qua ex aperto alio deducatur. Multò ergo eſt ineptius dicere ex obſcuris aperta probari. Vna itaque eſt & ſola propria demonſtratio, quæ ex aperto atque dilucido obſcurum exponit, quo fit ut meritò circularis demonſtratio conuerſioq; explodatur: cum præſertim aperta & prima obſcura & poſteriora eſſe faciat, itemq; obſcura & poſteriora aperta atque priora. Cum igitur animaduerteret prudens Porphyrius, reciproca ſe ac circulari uſum demonſtratione eſſe. nam & in generis definitione ſpeciem, & in ſpeciei explicatione genus accepit, quod poterat quiſpiam reprehendere, ſugillationi occultæ anteuertit. Dixit enim genus ſpeciei genus eſſe, & ſpeciem generis ſpeciem. Ideoq; utendum fuiſſe neceſſario utroque nomine, cum uis atque natura utriuſque definiendo aperiretur a nobis. Quæ enim cum aliquo conferuntur: ſimul & cohærent & intelliguntur. Nam genus alicuius genus eſt, id eſt ſpeciei & ſpecies alicuius ſpecies, nempe generis, fieriq; non poteſt ut horum alterum ſine altero intelligatur. Quamobrem neceſſe eſt qui de alterutro diſſerat, alterius meminiſſe. Nam qui eorum aliquid quæ cum aliquo conferuntur ignorat, reliquum intelligere omnino non poteſt.

SPECIES eſt quod ſub genere ponitur, & de quo genus in eo quod} Duas ſpeciei deſcriptiones tradit, quæ ſubiecto quidem eodem ſunt. utraq; enim de multis dicitur, ſed affectione differunt. Quemadmodum aſcenſus atq; deſcenſus cum ſubiecto ſint eadem, ſola relatione diſcrepant. Nam quæ fit a loco ſuperiore progreſſio, deſcenſus appellatur: quæ uero ab inferiore, aſcenſus. Ita & hoc loco collationes duæ exiſtunt ſpeciei una cum genere, qua ratione generi ſubiecta eſt ſpecies, & generis cum ſpecie altera qua ſpeciem genus continet & complectitur. Similis autem eſt generis ad ſpeciem affectio, deſcenſui: atque ſpeciei ad genus, aſcenſui & hæ oportunæ ſunt deſcriptiones. Deinceps autem & perfectam deſcriptionem conſtituit, quæ eſt a uocum diuiſione ducta, ſpeciem eſſe inquiens, quæ de multis, ſpecie autem differentibus in rei natura quærenda dicitur. Sed exiſtit quæſtio, cur in ſpecie explicāda deſcriptione ſit uſus Porphyrius. Loci enim cauſæ, quam antea in generis definitione reddidimus, hic nihil relinquitur, ſpecies enim genus habet. Quare & accuratiſſima, & uſu maximè trita reddenda a nobis ratio eſt, nimirum definitiones, rerum definitiones eſſe, quæ uim & earum naturam explicant. At uerò genera ac formæ cæteraq; generis eiuſdem res non ſunt nec diſtinctam obtinent naturam, ideoq; non in unam aliquam Categoriam cadunt, ſed in omnibus conſyderantur. Nam & in eſſentia, & in qualitate, & in quantitate, & reliqs Categoriis, genera, formæ, & differentiæ uerſantur. Quocirca res non ſunt, ſed affectiones, quæ quid ſint res exponunt. Quoniam igitur definitiones, ut dixi, rebus tribuuntur, hæ autem uoces res non ſunt, idcirco iure earum reddi definitiones non poſſunt. Quamobrem aliam ſpeciei deſcriptionem tradit, quæ aſſimilis ei eſt, quæ paulo ante à genere eſt explicata.

SED HÆC quidem aſſignatio, ſpecialiſſimæ eſt ſpeciei, aliæ uero} Hæc poſterior, inquit, ſpeciei deſcriptio formis non conuenit omnibus, ſed ultimis ſolum, quæque tantummodo ſpecies ſunt, non etiam genera. Cęterum ut quid ſpecies ſint ultimæ intelligamus, huiuſcemodi utitur diuiſione. Subſtantia alia corpus eſt, alia ſine corpore: & corpus animatum aliud eſt, atque aliud inanimum, animatum aliud animal eſt, aliud ex planta atque animali conſertum, aliud planta. Nam tribus hiſce facultatibus plantæ inſtructæ ſunt, nutriente, augente, & generante. At animal pręter has ſentiendi quoque uim, atque progreſſionis habet, quæ ab uno loco migrat ad alium. Itaque quod eſt ex animante & planta compoſitum, inter utrunque iacet. Siquidem præter tres illas facultates ſenſum etiam tactus obtinet, non tamen a loco ad locum tendit, cuiuſmodi ſunt oſtrea & ſpongiæ.

Nam

Nam hæc ſaxis adhærent, & re quapiam illis accedente contraria contrahuntur, amica & familiari, dilatantur. Rurſum uerò animal aliud eſt rationis particeps, aliud rationis expers: itemq; rationis particeps, aliud Deus, aliud homo. Præterea homo, alius eſt Socrates, alius Plato, & qui ad ſingulas hominis partes pertinent, de quibus nulla eſt apud philoſophos oratio, quemadmodum ſæpè diximus. In hac igitur partitione primum locum ſubſtantia obtinet, ſecundum homo, interiecta uerò ſunt quæ ὑπάλληλα nominantur, quæque alia atque alia ratione & genera ſunt & ſpecies. Ac caput quidem generis, eſſentia uocatur: homo uerò, infima ſpecies: reliqua autem omnia eadem & genera ſunt & ſpecies, ſi cum alio atque alio conferantur. Etenim corpus naturæ eſt ſpecies, & animati genus: & animatum ſpecies corporis eſt, genus animantis. Rurſum animans ſpecies animati, genus hominum. At uerò homo animantis eſt ille quidem ſpecies, ſed indiuiduorum inquit, non eſt genus: non enim de forma differentibus, ſed numero dicitur, ut de Socrate, & Alcibiade. Non eſt id igitur genus. Quin etiam ne indiuiduum quidem eſſe poteſt, quoniam indiuidua ſingula complectitur. Relinquitur ergo ut homo ſit ſpecies ultima. Itaque Porphyrius ſecundã ſpeciei deſcriptionem non cuiuis ſpeciei competere ait (non enim animanti atque animato congruit) ſed ſpeciei ultimæ, quæq; tantummodo ſpecies eſt, non etiam genus: ut, hominis, & equi, & canis propriam eſſe.

FIAT autem id in uno aliquo} Nam in quaque Categoria ſunt genera & formæ. Verum eſſentia primum genus eſt illa quidem, quæ corpus complectitur: & corpus animatũ (prætermiſſo enim eo quod caret corpore hanc diuiſionis partem ſecutus eſt, quia quæ ſunt ſubiecta ſenſibus nobis notiora ſunt) & animatum, animal: animal, rationis particeps: rationis particeps, hominem. Cæterum eſſentia genus eſt ſummum, atque adeò genus tantum: genus enim nullum eſt natura antiquius: homo uerò ſpecies ultima, quæque ad generis non poteſt naturam aſſurgere. In rebus enim uniuerſis nihil homine poſterius reperitur. At uerò corpus & genus eſt & ſpecies: uerum naturæ ſpecies, atque animati genus. Animatum autem ſpecies eſt corporis, & animalis genus. Animal enim id omne uocatur quod animum habet, quodq; eſt ſenſus particeps. porrò animatum eſt, quod nutritur, augetur, ac res ſibi ſimiles procreat. Igitur cum plantis hæc etiam uis adſit, animatæ illæ quidem ſunt, ſed non animantia. Oſtrea uerò ac ſpongiæ & animata, & ſenſus capacia ſunt. Quippe cum contrarium quippiam accedit, ſeſe ea in gyrum contrahunt: cum uerò recedit, lætantur. Præterea quadam ex parte plantis quod radicibus nitantur, accedunt: alia uerò ratione animantium, quod augeantur cibumq; capiant, ſimilia ea ſunt.

PRÆTEREA animal ſpecies quidem eſt animati, genus uerò rationalis, & rationale genus quidem eſt mortalis, ſpecies uerò animalis: & animal ſpecies quidem eſt rationalis, genus uerò hominis: & homo, genus quidem rationalis, non etiam genus eſt Socratis, aut Platonis, & id omne quod ante indiuidua proximè prædicatur} Proximè dixit, id eſt, continenter, & ſine medio. anq; animal, ante indiuidua illud quidem collocatur: ſed non proximè, ac citra medium: uerum propter hominem interiectum. Homo igitur proximè ſingularia præcedit, atque adeo ſpecies eſt tantum. Itaque duæ ex his comparationes affectionesq; ducuntur. At uerò eſſentia rationem cum inferioribus unam habet cum prioribus uerò nullam. ſupremum cum ſit primũq; principium, & quo genus ſit antiquius nullum. Præterea ſpecies relationem unam qua ad ſuperiora affecta eſt, obtinet: qua uero cum inferioribus comparetur nequaquam: quã ſpecie nihil eſt poſterius. quæ uerò intermedia ſunt & interiecta, collationes duas obtinent: unam, qua ad ſuperiora affecta ſunt, ex qua eorum formæ ſpeciesq; appellantur: alteram, qua ad inferiora, ex qua eorum genera nominantur. Summa autem & extrema uno modo ſolum comparãtur: genus ſcilicet primum, atq; ſpecies ultima.

SED ETIAM ſpecies indiuiduorum dicitur} Nãq; infima ſpecies rationem quandam habet, qua cum indiuiduis confertur. Cæterum non eandem rationem quæ ſpeciem ultimam antecedunt ſortiuntur. Nam homo Socratis & Platonis genus non dicitur, uerum ſpecies: propterea quod inſectilia complectitur atq; continet.

DEFINIVNT igitur generaliſſimum genus hoc modo} Poſtquam Porphyrius genus primum, ac ſpeciem ultimam, & quæ intermedia ſunt, explicauit, deinceps ea deſcribit, docetq; quæ uis & natura ſummi ſit generis, nempe ſummum genus eſſe quod cum genus ſit, non eſt ſpecies, item, quo ſuperius eſſe poſſit genus nullum. Speciem uerò infimam hoc modo deſcribit. Quæ ſic ſpecies eſt, ut non etiam genus ſit. tum ita, ſpeciem eſſe, quam in ſpecies nequeas diſſoluere, atque etiam quæ inter extrema alterum ſub altero pene iacens exponit, quæ genera ac ſpecies & uocant & cenſent, cum alio atque alio compoſita & comparata. Atque de his quidem diſſerere inſtituit, & facilitatis gratia exemplum ab ortus & familiarum deſcriptione ſumit. Nam ut in iis, inquit quoddam quaſi ortus principium Iupiter eſſe ſolet, non autem etiam filius, Oreſtes uero, ſi ita res ferat, filius modò eſſe poteſt, ac Agamemnon Atrei quidem filius, Oreſtis autem pater, & Atreus pater Agamemnonis, filius Pelopis, Pelops autem filius Tantali, ſic in Philoſophorum generibus & formis ſe habet. Quædam enim genera ſunt tantum, ut ſubſtantia, quædam ſpecies ſolum, ut homo.

SED IN genealogiis quidem plerunq; ad unum reducimus principium, uerbi gratia, ad Iouem} Potuit quæſtionem hoc exemplum quandam inuehere, quam Porphyrius ipſe diluit. Potuit enim quiſpiam exiſtimare, quemadmodum in generationum ordinibus ortuum nexus ad unũ aliquem gentis authorem, exempli gratia ad Iouem, quem patrem hominumq; deumq; fabulæ uocant, referri conſueuerunt, ſic ſe hoc loco habere, ut Categoriæ omnes ad unũ primum genus caputq; referantur ad id quod eſt. Nam & eſſentia, & qualitas, itemq; reliquæ Categoriæ eius appellatione concluduntur. Quod ſi ita eſt, decem prima genera, quaſi decem initia & capita rerum non erunt: communeq; genus omnium erit id quod eſt. Hoc igitur indicans Philoſophus genus non eſſe Categoriarum id quod eſt, dicit. Cæterum non eſſe id genus Categoriarum ſic oſtendemus. Quidquid diuiditur, uel ut genus in formas ſecatur, ut cum dicimus, animal aliud equum eſſe, aliud canem, aliud hominem, uel ut totum in partes, idq; duobus ſit modis. Nã aut in partes quæ toti ſint aſſimiles, aut quæ diſſimiles diuellitur. Atque in ſimiles quidem uenæ, arteriæ, oſſa, & carnes, diſtrahuntur. Nam hæc, ſi ſecentur, partes & toti, & inter ſe ſimiles ſortiuntur. In diſſimiles autem, ut cum corpus in caput, manus, & pedes diſtribuimus. Vel ut uox ambigua in ſignificationes uarias, ut cum canem terrenum alium eſſe, alium marinum, alium cæleſtem dicimus. Si igitur oſtenſum fuerit, id quod eſt neque ut genus in formas, neque ut in partes totum dirimi, relinquitur, ut uelut obſcura uox atque ambigua in uaria ſignificata diſcerpatur. Non diuidi autem id, ut in formas genus conſueuit, hinc perſpici poteſt. Nam genus in ſpecies ſectum æquè in formis omnibus ineſt, nec prius in formis, & poſterius, quod ad generis communionem attinet, uerſatur. Siquidem homo equo non eſt magis animal, & prior. Præterea ſublata ſpecie una, tolli reliquas non eſt neceſſe. Sublato enim homine non aufertur animal formæq; cæteræ, ut equæ plantæ, & canis & huiuſmodi. Si ergo in Categorias decem id quod eſt, ut genus in formas diducitur, eſſe in illis prius poſteriusq; non oportuit, nec eorum aliud magis, aliud eſſe minus entis particeps. Nunc uerò prius in hiſce atque poſterius cernitur. Nã priorem eſſe naturam ſerunt, itemq; cætera, quandoquidẽ ea deleta funditus, loci nihil accidentibus relinquitur, ac propterea maiore eã entis participatione præditã eſſe dicimus, quoniam accidentibus natura conſtantiã elargitur, quæ in eſſentia ipſa inhærẽt, ea uerò accidẽtiũ opẽ ut cohæreat nõ requirit, at uerò accidẽtia cõſtare ea extincta, in qua ẽt nituntur, nulla ui cõtinentur nõ poſſũt. Nã quicquid alicui accidit, itelle

ctum id cui conuenit habet. Non ergo ut genus in ſpecies: ſic in Categorias decem, id quod eſt ſunditur. Non enim ſpecie una ſublata tollitur genus. Nunc uerò eſſentia obruta, reliquæ etiam Categoriæ occidunt, quippe quæ in illa hæreant ac nitantur. Itaque non ut genus, ſic id quod eſt in membra diuiditur: quinetiam nec in Categorias decem, ut in ſpecies genus, ſecerni diſiungiq; poteſt. Verumenimuero nec ut totum in partes. Nam totum aut ſimiles in partes, aut in diſſimiles (quemadmodum a nobis anteà dictum iam eſt) manat atque diffluit. Id uerò in partes diffindi ſimiles dicitur, cuius membra cum toto ſic ſimilitudine quadā conſentiunt, eodem ut notentur nomine, nec inter ea quidquam interſit. Nam ligni quæque pars lignum appellatur, nec quidquam intereſt, eodemq; modo pars nerui quælibet, communi cum toto nomine deſignatur, nullaq; inter ſe caro & uena ratione diſcrepant. Fieri igitur non poteſt, ut uelut in partes ſimiles genus, ſic in Categorias decem id quod eſt tribuatur. Nam quanquam partes, quæ ſunt Categorias entia totius nomine appellantur, nihilo ſecius tamen rebus nominibusq; differunt, nec ſimiles inter ſe ſunt. Aliud enim eſſentia, atque aliud quantitas deſignat. Inſuper quod ſimilium non eſt partium, id ſi diuidatur, partes totius nomine inſignitas non habet, quæ etiam inter ſe diſſidēt, ueluti partes faciei ſunt nares & oculi, nec cum toto ipſæ conſentiūt, ſed inter ſe diſtinguūtur. Nares enim aut oculos faciem eſſe dicere non poſſumus. Id ergo ne uelut in partes quidem diſſimiles ſecari poteſt. Nam ſi partes nominibus rebusq; differunt, idcirco partiū ſimiliū idqđ eſt, non erit. At uerò totius appellatione partes continentur. Nam & ſubſtantia, & quantitas, & qualitas entia nominantur, cuiuſmodi quæ in partes tribuuntur diſſimiles eſſe non ſolent. Igitur ſi neque ut in ſimiles partes, neq; ut in diſſimiles totum, ſic ens in Categorias decem ſunditur, demonſtratumq; eſt, neque id ut genus in formas ſecari: efficitur ergo ut uelut ambigua uox in uarias ſignificationes diducatur.

VERVM poſita ſint, quemadmodum in Prædicamētis} Ponantur, inquit quemadmodum in Categoriis, naturæ totius prima genera, decem ueluti rerum omnium primordia. Nam docere decem eſſe ſolum initia & capita rerum, non eſt huius diſputationis & temporis. Siquidem illud eſt in Categoriis conſtitutum. Nunc uerò id tanquam confeſſum poſitum ſit. Hæc ſi quis entis appellatione concludenda putarit, homonymè non ſynonimè concluſerit. Homonyma porrò dicuntur, quæ communem appellationem habent, definitionem autem naturæ, nomini congruentem aliam atq; aliam. Vt terreſtris canis, cæleſtis, & marinus. Hæc enim nominis tantummodo ſocietate coniuncta, definitione ea quæ naturam eorum, uimq; nominis explicat differunt. Synonima autem ſunt, quorum & commune nomē eſt, & eadem naturæ nomini attributa definitio, ut homo & equus. Vterq; enim animal eſt, & communi animantis nomine eorum utrunque appellatur, ac definitione ea quæ animantis uim & naturam complectitur (quæ natura eſt animi & ſenſus compos) eadem continentur. Hæc igitur, inquit, ſi quis omnia eſſe dicat}, ambiguè non eadem ratione appellabit. iuxta illud, Homonyma nominis ſola communione ac ſocietate coniunguntur. Synonima autem ſunt quorum & nomen commune eſt, & eadem nomini attributa naturæ definitio. Ens ergo ſolius nominis communionē iis quæ ſub eo ſubiecta ſunt exhibet. Decem enim Categoriæ entia nuncupantur, non etiam communem nominis rationem ſortiuntur. Alia enim Categoria pro rei natura nominis alius & definitionis quæ iuxta nomen afferri debet compos eſt. Quamobrem ut ambigua uox ens in Categorias decem generaliſſimas, eſſentiam, quantitatem, qualitatem, ea quæ cum aliquo conferuntur, ubi, quando, efficere, iacere, atq; habere ſcinditur.

INDIVIDVA autem quæ ſunt poſt ſpecialiſſima infinita ſunt} Infinita inquit non ſtatu: ſed quod iterum atq; iterum oriantur.

SPECIFICIS differentiis} Id eſt, naturam efficientibus, Vt animal rationis particeps, & rationis expers. Nā & aliæ non naturales definitiones exiſtunt.

INFINITA uero, inquit, omittenda ſunt} Etenim ſub ſcientiam non cadunt: Hoc ait Plato in Sophiſta. Nam ſcientia definitionis capax eſt. Quod ergo non poteſt ſcientiarum perueſtigatione comprehendi, idipſum ſcientia etiā nulla poteſt contineri. Profecto, quemadmodum in demōſtrandi arte oſtenſum eſt, uniuerſis modò rebus, non etiam ſingulis poteſt definitio conuenire. At {qui igitur ad ſpecialiſſima deſcendunt} dixit, propterea quod id quod eſt, non eſt commune genus primorum generum, quæ & natura ſunt ſua definita, & nobis non incognita. Quamobrem cōſiderare etiam uoluit, an ita ſe in formis res habeat infimis, ut in primis generibus. Quocirca primum illa atque diſtinctum ſortita eſſe numerum ait, ac nobis notum. Prima enim ſunt decem genera. Species autem ultimæ, ut homo, equus, bos, canis, uitis, olæa, quas indiuiduorum partitio ſequitur: ſuapte illæ quidem natura diſtinctæ, atque definitæ ſunt, ſed nobis incognitæ, cum aliæ aliis in locis enaſcantur. Nam multa ſunt nobis ut animantum, ſic plantarum, & metallorum genera incognita. Porrò definita eſſe quæ toto mundo conſtant facili explicatione oſtendemus. Nam infinito maior moles ac magnitudo nulla eſt. Hoc ergo poſito ac conſtituto ſpecies ultimas infinitas eſſe faciamus. Quoniam igitur in quaque ſpecie multa ſunt indiuidua: ſiquidē humana ſpecies cum una ſit, in mille indiuidua, ſingulos nēpe homines, diuellitur: itemq; equi forma cum una ſit, multa ſibi ſubiecta indiuidua complectitur, eademq; eſt cæterorum ratio, perſpicuum eſt indiuiduorum multitudinem, formarum collectione longè ſuperiorem eſſe. Quòd ſi formas numero uincunt quæ ſub illas ſubiecta ſint indiuidua, formarum autem infimarum infinitus eſt numerus: indiuiduorum igitur numerus infinito erit formarum numero maior. Quod cum fieri non poſſit, ut quippiam ſit infinito compages infinitior, certè relinquitur ut formarum infinitus numerus eſſe non poſſit: hoc ipſo enim quo numerum eſſe numero ſuperiorem dicere conſueuimus, inferioris uim & naturam definimus. Nam qui maior alio eſt, exuperantia quapiam excellentiaq; maior eſt, quæ ſi detrahatur definiri alterum atque circumſcribi neceſſe eſt. Hoc igitur modo explicatum a nobis eſt ſpecies ultimas infinitas non eſſe. Eadem uerò ratione efficietur ne indiuiduorum quidē, quæ formis infimis ſubiiciuntur, infinitum eſſe numerum: quanquam hæc ipſa formas longo interuallo ſuperent. Nam ſi quis infinita eſſe indiuidua dicat, aut ea quæ ſub quaque ſpecie continentur, exempli gratia, quæ hominis, uel equi ſpeciei ſubiiciuntur infinita eſſe intelliget: aut indiuidua quidem quæ formis omnibus contenta ſunt certa ac finita eſſe intelliget: eorum autem omnium collectionem infinitam. Atqui ſi indiuidua quæ ſub quaq; ſpeciei continentur infinita eſſe dicet, ſequetur rurſum infinito eſſe quippiam maius. Singuli enim homines infiniti ſunt, itemq; equi ſinguli. Igitur collectio quæ ea utriſque coagmentatur, duplo infinito maior erit: quod abſurdum eſt. Fieri igitur non poteſt, ut indiuiduorum quæ ſpecies ultimas ſequuntur infinitus ſit numerus. Porrò ſi quæ formis ſingulis ſubiiciuntur certa ac definita ſunt indiuidua, profecto ſpecies etiam ultimæ definitæ erunt, & quæ ea omnibus cogetur multitudo certo erit numero comprehenſa. Nam quæ ea definitis conſtant definita ſunt. Quare definitus eſt indiuiduorum numerus. Quod autem ſemper gignantur, ſi quidem uniuerſum æternum eſt, infinite funduntur: qua ratione numerus etiam infinitus eſt, propterea quod etſi augeri ſemper, non deficere poteſt: qui actu tamen ſumitur certus ac definitus eſt. Eodemq; modo uaſtam harenarium congeriem definitam eſſe intelligimus, hinc illud,

Nominus Oceani menſum, numerum quoq; harenæ.

Nam infinita ſi foret harenarum multitudo, quoniam adiectus ei hominum numerus quod ex utroque conflatur maius efficit, quippiam eſſet infinito maius. quod fieri non poteſt. Quamobrem ſpecies ultimæ natura ſunt illæ quidem ſua certæ & definitæ: ſed nobis incognitæ. Inſectilia autem definita natura non ſunt, quia rurſus ac rurſus

oriun

oriuntur,ſed nobis tamen perſpecta ſunt,dum actu ipſo in formarum uim uerſa fuerint, ortusq́; initium habuerint: & etiamſi quot ea ſint non intelligatur,quod ad eorum tamen uim & naturam attinet,ut & ſpecies cognoſci potuerunt,quandoquidem certum & definitum harum eſſe numerum oſtenſum eſt.

Q V I uero aſcendunt ad ſumma} Hoc loco tradere Porphyrius inſtituit quid iis qui à formis infimis ad ſumma nituntur genera,quidq́; iis qui à ſummis generibus ad ſpecies ultimas delabuntur,contingat.

A T Q V E etiam magis genus } Nam ſpecies indiuidua ſingula complectitur:a genere uerò & ſpecies & indiuidua comprehendũt. Nam cum ab inferioribus ad genera ſumma contendimus,multitudine res in unam naturam colliguntur:facultate autem cogitationeq́; augentur. ſiquidem formarum numerus indiuiduorum multitudine eſt ille quidem inferior:ſed facultate tamen eum uincit atque ſuperat. Eademq́; eſt generum ratio,donec ad ſummum peruentum fuerit.Idq́; merito.Cum enim una ſit naturæ totius cauſa atque initium,idcirco quò propriores ei res ſunt, eò arctius coguntur multitudine, ac facultate latius effunduntur. quò uero longius abſcedunt,contrà:augentur quidem numero,ac facultate minuuntur.

E X P L I C A T V M igitur cum ſit a nobis} Pollicitus eſt Porphyrius ſe accommodatè, atq; aptè ad rationem diſſerēdi de quinque uocibus hoc tempore diſputaturum. Explicatum igitur cum ſit a nobis,quid ſit genus, & quid ſpecies:addere inſtituit,quonam modo harum rerum cognitio ad diſſerendi rationem conducat. Q uoniam enim diſſerendi ratio in neceſſaria concluſione elaborat: neceſſaria autem concluſio ratiocinatio quædam eſt: in ratiocinatione autem enunciationibus egemus,ac propoſitio duabus è uocibus coaleſcit,quarum ſubiecti munere altera fungitur,altera prædicati: ac ſubiectum quidem eſt de quo ſermo habetur,prædicatum uerò quod de eo dicitur:ut Socrates ambulat.Subiicitur Socrates de quo uerba fiunt: prædicatur autē ambulat,quod de eo enunciatur. Rurſum ſi dixero animum ſeipſum mouere,ſubiicitur animus, & de eo ſeipſum mouere prædicatur.Itemq́; ſi dixero homo eſt animal: homo ſubiicitur,atque animal prædicatur, eodemq́; modo in enunciatione omni.Sic de generibus & formis docere inſtituit, quæ de quibus prædicentur,& quæ quibus ſubiiciantur.Atque ut intelligamus quo modo compoſita ea enunciationes efficiant,ex quibus concluſio naſcitur, in qua diligens omnis diſſerendi ratio uerſatur,de ſpecie genus ait enunciari,ut de homine animal,& de animali eſſentiam:ſpeciem autem de genere nunquam dici:neque enim eſſentiam animal eſſe,aut animal hominem rectè poſſis dicere. Iam hoc perſpicuum eſt genera quidem de formis ſemper dici: ſpecies uerò de generibus nunquam enunciari ſolere:efferriq́;(ut ſummatim complectar)uel de minoribus maiora, ut animal de homine:uel de paribus paria,ut de homine ad riſum eſſe natum.Ea autem quæ paria inter ſe ſunt,uiciſſim in ſeipſis inuicem dicuntur:ſiquidem iſta ſic reciprocantur, ut ſi aptum ad riſum ſit, ſit homo, & ſi homo ſit aptum ad riſum.

E T O M N I A ſuperiora de iferioribus} Veluti de corpore eſſentiam,de animato corpus,de animali animatum, de homine animans.

D E Q V I B V S autem ſpecies dicitur,de iis neceſſariò & ſpeciei genus prædicabitur} Q uæſtionem aliam tradit,quæ ipſa ad diligentem diſſerendi rationem plurimum ualet.Ea uerò eſt huius modi.Ea in quibus dici ſpecies poteſt,in iis etiam ſpeciei genus dicitur, idq́; ad primum uſq; genus exiſtit. Veluti,ſi dicatur de Socrate homo. & de homine animal,& de animali eſſentia, dicentur omnino uerè de Socrate,& animal,& eſſentia,eodemq́; modo animatum de animante,ac proinde de homine etiam & Socrate enunciabitur.Itemq́; corpus de animato,ideoq́; & de homine & de animante,& de Socrate efferetur.Præterea ſubſtantia de corpore,ob eamq́; cauſam ſubſtantia & corpus,& in animato,& in animante, & in homine,& in Socrate dicentur.

G E N E R A L I S S I M V M enim de omnibus ſub ſe poſitis generibus, & ſpeciebus, & indiuiduis enunciatur} Etenim ſi ſuperiora omnia de inferioribus dicuntur, apparet,primum illud & ſupremum genus de omnibus generibus,formis,indiuiduisq́; quæ ei ſubiecta ſunt dici. Speciem autem de ſolis indiuiduis.

I N D I V I D V V M dicitur Socrates,& hic candor} Cum, Hic:adiecit,indiuiduũ id de quo ambigitur,reddidit. Nam candor res eſt uniuerſa.

Q V A R V M C O L L E C T I O nunquam in alio eadem erit} Non dixit quorum ſingula, ſed quorum collectio. Nam ea ſingula alicui poſſunt cõuenire,uniuerſa uerò ac tota,nulli.

A T V E R O hominis proprietates (dico autem eius qui eſt communis) erunt eædem in pluribus } At quæ in humanam ſpeciem radunt,eæ hominibus quoque ſingulis competunt.ut animal rationis particeps,mortale, & ea denique omnia quæ homini communi & uniuerſo libuerit attribuere. Iam uerò intelligendum eſt generis eſſe proprietates quaſdam,& formæ,& indiuidui. Cæterum quæ in genus cadunt atque ſpeciem, in multis ineſſe poſſunt. Eæ autem ex quibus indiuiduum conſtat omnes in alio eædem eſſe nullo modo poſſunt, ſed ei modo conueniunt. Veluti generis proprietates, ut animalis, ſunt eſſentia, animatum, ſenſus particeps: hæ ergo multis congruunt. Nam & homini, & equo, & cani, ſingulisq́; animantibus coaptantur. Itemq́; ſpecies eſt homo, eius uerò proprietates ſunt, animal rationis particeps, mortale, mentis atque ſciētiæ capax, poſſumq́; in hominibus omnibus hæ reperiri. Sed ad indiuiduum accedamus, uelut ad Socratem. Eius proprietates atque accidentia ſunt,philoſophum, caluum, prominente uentre,Sophroniſci filium, Athenienſem eſſe, & ſiquid eſt huiuſmodi.Horum igitur unumquodque, & in aliis ſua ui quidem ineſſe poteſt: ſunt enim alii etiam calui &,ſimi,& Philoſophi & Athenienſes,atque adeo fortaſſe Sophroniſci filii,at uerò proprietatum harum accidentiumq́; aceruus,ut philoſophum eſſe,caluum,ſimum,uentre prominulo in hocq́; aut illo tempore extitiſſe, ſoli Socrati conuenit,nec in alio quoquam reperiri poteſt.

S P E C I E S autem genere cõtinetur.totum enim quiddam eſt genus. Nam genus totum ſolum eſt,indiuiduum uerò ſolum pars: Species autem & totum, & pars. Ac totum quidem, qua ratione cum indiuiduo comparatur, pars, ut cum genere: ſed pars quidem alterius, totum autem non alterius,ſed in aliis:in partibus enim totum conſiſtit.} Q uia totum atque pars in iis ſunt quæ cum aliquo conferuntur,omnia autem quæ cum alio comparantur,aut recto aut obliquo caſu atque inflexu efferuntur, ueluti cum patrem filii patrem eſſe dicimus in generandi: cum amicum amico amicum, dandi: cum pulſantem eum qui pulſatur pulſantem accuſandi utimur caſu. Q uæ cum ita ſint, idcirco dixit partem alius,in aliis totum. Nam partes alius eſſe partes dicimus,cumque generandi adhibere caſum ſumus ſoliti: totum autem non etiam partis totum nominamus. Nam totum una ex parte non conſtat, ſed ex multis. Verum cum dicimus totum partibus totum,accommodatè dandi caſum uſurpamus,propterea quod totius in partibus natura poſita eſt atque conſtituta. Q uamobrem eatè adiecit,totum autem non alterius, ſed in aliis. Intelligendum eſt autem poſſe idem generandi caſu non unitatis illo quidem, ſed multitudinis explicari, atque totum partium eſſe totum dicere. Cæterum Porphyrius uulgi morem ſequitur,cum id dandi caſu exponit. De genere ergo & ſpecie,quæque & genera & ſpecies non cupentur, nempe ὑπάλληλα & quam uariè genus ſpeciesq́; dicantur,genus ſcilicet tribus ſpeciem uerò duobus notari ſolere modis, ſatis iam diximus.

DE DIFFERENTIA.

Differentia autem communiter, propriè, & maximè propriè dicatur. Communiter enim diſtare aliud ab alio dicitur, quod affectione quauis uel à ſeipſo, uel ab alio differt. Differt enim Socrates à Platone affectione quadam, atque adeò ipſe à ſe ipſo, & puero, & uiro, & agente aliquid, & & otioſo: idq; in ijs ſemper commutationibus uerſatur, in quibus rei modus & affectio ſpectatur. Propriè autem differre aliud ab alio dicitur, cum accidente eo quod ſeparari non poteſt aliud ab alio ſeiungitur. Accidens uerò ſeparari non poteſt, ueluti, naſi curuitas, uel oculorum cæſitas, uel cicatrix cum ex uulnere occalluerit. Maximè autem propriè ſeiungi ab alio aliud dicitur, cum ſpecifica differentia ſeparatur: quemadmodum homo ab equo ſpecifica differentia differt, rationali qualitate. Omnis igitur differentia omnino id cui accidit commutat, atque alij diſſimile facit. Verum quæ communes ac propriæ ſunt, rem immutant: quæ uerò ſunt maximè propriæ, eam penitus aliam efficiunt. Nam quæ rem aliam faciunt, ſpecificæ differentiæ uocantur: quæ autem commutant, omnino differentiæ. Animali enim addita rationalis differentia, id aliud facit, & ſpeciem animalis conſtituit: At uerò motus differentia, ab eo quod non mouetur rem modò immutat. Quare hæc quidem aliud facit, illa uerò commutat ſolum. Differentijs igitur ijs quæ rem planè aliam efficiunt, generum in ſpecies diuiſiones fiũt, definitiones traduntur, quæ ex genere conſtant, & huiuſcemodi differentijs. Ex ijs autem quæ ſolum commutant, diſtinctiones ſolum, atque affectionis immutationes conſtituuntur. Itaque, ut rem paulo altius repetam, dicendum eſt, differentiarum poſſe alias ſeparari, alias uerò non poſſe. Moueri enim, & quieſcere, & ægrotare, & ualere, & quæcunque his aſſimilia ſunt, ſeparari poſſunt. At uerò aduncis naribus eſſe, aut ſimum, aut rationale, aut irrationale, ab eo in quo ſunt ſecerni non poſſunt. Porrò earum quæ ſeparari non poſſunt, aliæ ſunt per ſe, aliæ uerò per accidens. Nam rationale per ſe in homine ineſt, mortale item, & ſcientiæ eſſe capacem: at uerò aquilinum eſſe, aut ſimum, per accidens, ac non per ſe. Quæ igitur alicui per ſe conueniunt in ſubſtantiæ ratione ſumuntur, remq; aliam efficiunt: quæ autem per accidens, nec in ſubſtantiæ ratione accipiuntur, nec rem aliam faciunt, ſed immutant. Præterea quæ per ſe adſunt nec magis nec minus capiunt: quæ uerò per accidens, quanquam ſeparari poſſint, contentionem tamen atque remiſſionem recipiunt. Nam nec genus magis & minus de eo cuius eſt genus dicitur, nec generis differentiæ, quibus ipſum in membra ac partes tribuitur. Siquidem hæ rei cuiuſque rationē complent. Eſſe autem unicuique unum & idem neque contentionem, neque remiſſionem recipit. Naſum autem habere aquilinum, aut ſimum eſſe, aut quodammodo colore imbutum, & amplificari & minui poſſunt. Cum igitur tria differentiarum genera conſyderentur, cumq; ſeparari aliæ poſſint, aliæ non poſſint: ac rurſum inter eas quæ ſeparari non poſſunt, aliæ per ſe, atque aliæ per accidens cohæreant: inſuper earum quæ per ſe ſunt, aliæ eius modi, ut ex iis genera in ſpecies partiamur, aliæ ut ex iis ea quæ diducta iam ſunt, in ſpecies formamus. Veluti cum per ſe differentiæ omnes huiuſmodi animalis ſint, animatum, ſenſus rationiſq; particeps, & expers rationis, mortale & immortale: animati quidem & ſenſus participis differentia, animantis conſtituit naturam (eſt enim animans ſubſtantia animata ſenſus particeps) mortalis uerò & immortalis differentia, ac rationalis & irrationalis, animal diuidentes differentiæ ſunt. Ex iis enim genera in formas diducimus. Cæterum hæ ipſæ diuidentes differentiæ, genera complent, ac ſpecies conſtituunt. Diuiditur enim animal rationis compotis, atque expertis rationis differentia, & rurſus mortalis & immortalis. Sed rationalis & mortalis differentiæ, hominem conſtituunt, rationalis uerò & immortalis, Deum: mortalis & irrationalis, animantia ratione carentia. Sic etiam cum ſupremam ſubſtantiam animati atque inanimi, ſenſilis & ſenſus expertis differentiæ partiantur: animata & ſenſilis compoſitæ cum ſubſtantia, animal expleuerũt: animata uerò & ſenſus expers, plantam. Quoniam igitur eædem ratione quadam acceptæ genus conſtituunt, atque alia intellectæ diuidunt, idcirco ſpecificæ omnes appellatæ ſunt: atque his maximè opus eſt & ad generum diuiſiones, & ad definitiones reddẽdas: ſed non iis quæ per accidens, ſeparari non poſſunt, nec magis ijs quæ ſunt ſeparabiles, quas etiam definientes aiunt. Differentia eſt qua ſpecies genus ſuperat. Homo enim ratione & mortalitate uincit animal, quoniã animal nihil horum eſt (undenã enim differentias ſpecies haberent?) neque contrarias omnes habet, quoniam in eodem contraria ſimul inerunt. ſed quemadmodum putant, poteſtate quidem omnes habet ſibi ſubiectas differentias, actu uerò nullam. Ac ſic neq; ex iis quæ nulla ſunt quicquam efficitur, nec in eodem formæ inerunt contrariæ. Definiunt autem eam & hoc modo, Differentia eſt, quæ de multis iisq; ſpecie differentibus in eo quod quale quid eſt dicitur. Nam rationis particeps & mortale cum de homine dicantur, in quæſtione ea dicuntur qua quale quidque ſit inueſtigatur, non in ea qua quid quidq; ſit quæritur. Cũ enim quid ſit homo interrogati fuerimus, aptè animal reſpondebimus: cum uerò quale animal ſit requiretur à nobis, rationis particeps & mortale accommodatè reſpondebimus. Nam cum res ex materia conſtent & forma, aut ex iis quæ proportione materiæ ac formæ dicuntur: quemadmodum ſtatua ex materia quidem eſt ære, ex forma autem figuræ ſic & homo communis & ſpecialis, ex genere quidem proportione materiæ, & ex differentia proportione ſpeciei conſtituitur. Totum autem hoc, animal rationale mortale, homo eſt, ut illic ſtatua. Deſcribunt autem hoc etiam modo differentiam, Differentia eſt, quod natum eſt ſeiungere ea quæ ſub eodem genere continentur. Rationale enim, & irrationale hominem & equum, quæ ſub eodem genere poſita ſunt, animali, diuidũt. Et hoc modo eam explicant. Differentia eſt quo differunt ſingula. Namq; homo & equus inter ſe genere non differunt (nam nos & equi animantia ſumus) ſed adiectum rationale nos ab illis diſtinxit. Præterea rationales ſumus & nos & Dij, ſed mortale cum acceſſit, nos ab illis ſeparauit. Qui autem accuratius de differentia exquirunt, dicunt non quodlibet eorum quæ ſecernunt ea quæ ſub eodem genere collocantur differentiam eſſe, ſed quod ad eius & naturam aperiendam pertineat, quodque ſit pars rei. Neque enim natum eſſe ad nauigandum hominis eſt differentia, etſi ſit proprium hominis: dicamus enim licet, animalium apta quædam eſſe ad nauigandum, diuidentes hominem ab aliis, ſed tamen natum eſſe ad nauigandum non explet eſſentiam, nec eius eſt pars: ſed aptitudo quædam ſolum, propterea quod eiuſmodi non eſt, quales ſunt quæ ſpecificæ differentiæ nuncupantur. Erunt ergo ſpecificæ differentiæ, quæcunque aliam efficiunt ſpeciem, & quæcunque in eo quod quid erat eſſe accipiuntur. Ac de differentia quidem ſatis ferè diximus.

Priorem eſſe ſpecie differentiam, quãq; ob cauſam de ſpecie prius diſſeruerit, iam diximus. Nunc igitur de differentia diſputat, ac ea de qua antẽ diximus, regula adhibita, uarias in primis differentiæ ſignificationes perſequitur. Cæterum id quò planius intelligas, ſic accipe. Differentia quædã eſt rerum inter ſe diſcrepantia atque diſſimilitudo: ea igitur aut ſeparari poteſt ab eo in quo eſt, in eoq; caſu & fortuitò inhæret, aut non poteſt. Verbi gratia diſtincti inter ſe ſunt aliqui, ꝙ hic fortaſſe ſtet, & ille ſedeat, poteſtq; qui ſedet ſta

te, ac

re,ac contrà qui ſtat ſedere:atque hoc illi inter ſe diſcrimine ſecernuntur. Hæc ergo differentia uulgaris tenuiſq; nominatur,eamq; communem Porphyrius appellat: quando quidem diſtinctè in aliquo non hæret atq; nititur:ſed in omnibus ratione communi,atq; uniuerſa. Atque hæc quidem fortuita eſt commutatio,ac tolli de ſubiectis poteſt. Quòd ſi ſeparari illa non poteſt differentia,aut ex ſe & ui ſua conuenit rebus,id eſt,ſubiecti eſſentiam complet atque efficit: aut caſu ac fortuitò,id eſt,momenti nihil ad uim & naturam rei conſtituendam habet. Iam aduncitas naſi, & narium, ut ita dicam,ſimitas,ac oculorum cæſitas,quæq; huius ſunt notæ,euelli diſtrahiq; non poſſunt. Alius enim eò ab alio ꝙ ſimus ſit,aut naribus aduncis,ſeparatur. Hæ autem fortuitæ ſunt affectiones,propterea ꝙ ſubiectorum naturam non cõſtituunt. Eſſe enim non ſimus Socrates potuit, & Socrates tamen eſſe. Separari uerò non poſſe dicuntur, quia ſeiungi à ſubiecto non ſolent:quas proprias Porphyrius appellat, quoniam in uno aliquo ſimitas definitè ineſt. Porro conſtans differentia,quæq; fortè & temerè in re non hæret: ſed ſubiecti uim naturamq; ac ſpeciem abſoluit,rationis eſt participatio,mortalitas. Nam inter hominem & beluam hoc maximè intereſt,ꝙ hæc nulla ui rationis utatur. Homo autem rationis eſt particeps Hanc ergo propriam maximè diſtinctionem uocauit. Itaque differentiarum ratio omnis ſic paucis includi poteſt,ut communes quædam dicantur,propriæ quædam,maximè propriæ aliæ. Communes ſunt,quę caſu & fortuitò adſunt,ac ſeparari à rebus poſſunt. Propriæ,quæ caſu ac temerè rebus conueniunt, nec poſſunt à re ſubiecta ſeparari. At uerò quæ ſeparari non poſſunt,& ſubiecti eſſentiam complent atque efficiunt, quæq; ex ſe & ui ſua rebus competunt,propriæ maximè uocitantur. Quia in iis maximè qui ſe ſapientiæ ſtudio dediderunt elaborãt, quæ ad eam philoſophiæ rationem proficiunt, quæ ad rerum naturas partiendas, & definitione explicandas pertinent: nunquam autem à caſu,ſed a naturalibus diuiſio definitio'ue ducitur:cumq; naturalis ſit quæ propria maximè nuncupatur,idcirco de ea iure ac meritò differit. Atque hæc quidem prima eſt differentiarum diuiſio. Rurſum altera diuiſione adhibita,ſic ait. Differentiæ ſubiectum aliæ commutant & afficiunt,aliæ alium omnino eum in quo inſunt, efficiunt. Ac uulgares quidem & propriæ immutant (nam ſtare ac ſedere,itemq; ſimum eſſe,& naribus aduncis, immutationem quandam ſuo uelut ambitu complectũtur) rem penitus aliam penitiſſimæ efficiunt,aliud enim eſt rationis cõpos,atque aliud expers rationis. Immutat enim id omne, quod rei diſſimilitudinem quandam uarietatemq; excitat: aliud atque diuerſum reddit, quod omnino alium eum in quo inſit,efficit. Nam particeps rationis animal,aliud ab eo quidem eſt quod ratione caret: qui autem ſtat, ab eo qui ſedet non item,ſed illi modò aliqua ex parte diſſimilis. Eodẽq; modo ſimus,ab aquilino diſtinguitur. Sed cum his tribus modis differentia notetur(communes enim aliæ, aliæ propriæ,atque aliæ maximè propriæ ſint)tamen de iis quę maximè propriæ ſunt apud Philoſophos tantum oratio eſt. Nam uulgares atque propriæ ad generum nihil diuiſiones conferunt. Nemo enim ſic animal partitur, ſedere ut aliud atq; aliud ſtare pronunciet,quoniam ſic uniuerſa haudquaquam complectitur. Quinetiam nec ut dicat ſimum aliud eſſe,atque aliud aduncis naribus,ob eã ipſam cauſam. Atqui ſi nihil ad generum diuiſiones conſtituendas hæ conducunt,nullus planè earum in rerum naturis definiendo explanandis uſus erit Quamobrem penitiſſimæ ſolæ maximæq; propriæ,utiles ſunt.

ET MAXIME propriè dicatur} Cum dicatur ait, ſe uocabulum hoc extruxiſſe indicat. Nam in more id ueterũ poſitum fuit,ut cum uoce uſitata quapiam,uterẽtur,dicitur, uſurparent. Cum uerò uocabulum ipſi aliquod cudiſſent,dicatur,dicerent.

DIFFERT enim Socrates à Platone, &c.} Non enim quia homines ſunt,commutatione aliqua inter ſe diſtinguũtur. Quia uerò hic ſtat: ille ſedet,differunt.

IDQVE in iis ſemper commutationibus uerſatur, in quibus rei modus & affectio ſpectatur} Id eſt, Differentiæ hæ caſu & fortuitò in rebus conſyderantur, cuius loco in commutationibus ſpectari eas dixit,in quibus rei modus et affectio conſiſtit. Accidens enim in quęſtione ea dicitur,qua qualitas & modus inueſtigatur.

QVEMADMODVM homo ab equo ſpecifica differentia differt.} Id eſt, qualitate ea quæ ſpeciem complet,atque efficit. Nam ſi cum mortali & rationis compote animal componatur,emerget homo. Si uerò cum mortali & ratione carente animal committatur,equus, & canis, ac cætera rationis expertia animantia conſtituentur. hæ ergo differentiæ cum generibus compoſitæ atque coniunctæ,ſpecies efficiunt: ob eamq; cauſam procreatrices omnes formarum ſunt appellatæ.

DIFFERENTIARVM enim aliæ immutant, aliæ} Diuiſionem aliam differentiarum tradit. Nam aliæ, inquit,eum in quo inſunt diſſimilem alii faciunt atque commutant,aliæ omnino alium efficiunt. Ac quæ alium quidẽ reddant,ex ſe & ui ſua conueniunt rebus: quæ autem immutant,caſu & fortuitò. Atque etiam quæ fortè ac temerè adſunt,ſecerni à re ſubiecta poſſunt. Eas uerò ſecerni poſſe aio,quæ communes,atque propriæ uocitantur. Poſſum enim Socratem,ut integer,atque incolumis permaneat, ſine narium aduncitate,tenui aquiliculo,atq; comatulum intelligere. At uerò eam quæ eſt propria maximè,ab eo ne intelligentia quidem & ratione poſſum ſeiungere. Siquidem intelligi homo ſine ratione non poteſt,quoniam tum hominis natura funditus labefactatur atque interit. Omnes enim homines & mortales ſunt,& ui rationis inſtructi. Quamobrem qui ſimus ſit,aduncis eſſe naribus,ut idem homo perſtet atque permaneat intelligere poſſum : hominem autem ſine ratione aut mortalitate non poſſum. Nam tum homo eſſe deſinit. Quocirca quæ communes & propriæ differentiæ nominantur,ſeparari ab eo in quo inſunt,poſſunt. Cum enim qui ſtabat ſederit,alius effectus non erit, ſed diuerſus. Id quod etiam Homerus poeta de Vlyſſe ex euentis mutato a Minerua carminibus tradidit,cum ait.

Eſſe uidere,hoſpes,multum mutatus ab illo
Dudum qui fueras iuuenili ætate decorus.

Non enim alium eum eſſe,ſed mutatum dixit. Verumenim uerò nec ſi qui ſimus ſit,aduncis eſſe naribus intelligatur, alius propterea repente exiſtet,ſed immutabitur. Nam eſſe idem poteſt,non tamen ſimus. Cæterum ex iis quæ rem penitus aliam efficiunt,ſpecies ac formæ oriuntur. Siquidem rationis particeps non ab equo hominem mutatam, ſed alium planè reddit. Alia enim uocamus, quæ natura differunt,ut paulo antè diximus: quo in genere ſunt,homo & equus.

DIFFERENTIIS igitur iis quæ rem planè aliam efficiunt,generum in ſpecies diuiſiones fiunt.} Dicimus enim animal rationis eſſe aliud particeps , atq; aliud expers: mortale aliud,atque aliud immortale:atq; ex iis definitiones conficimus. Hominem enim animal eſſe mortale rationis particeps, mentis atque ſcientiæ capax, dicere conſueuimus.

ITAQVE, ut rem paulò altius repetam, dicendum eſt} Hinc perfectiorem diuiſionis partem orditur,a quodã quaſi initio,quod pertineat ad differentiarum inter ſe rationes ſeparandas. Itaque differentiarum dicimus ſeiungi alias poſſe ab eo in quo ſint,alias non poſſe. Hocq; diſcrimine uulgares,a propriis,penitiſſimiſq; ſecernuntur. Inſuper differentiarum immutant hæ ſubiectum,illæ aliud prorſus efficiunt. atque hoc quidem modo a communibus ac propriis propriæ maximè diſtinguũtur. Ergo,ex oppoſitionibus his quibus inter ſe differentiæ dirimuntur, priores ſex copulationes enaſcuntur:quarum duæ conſtare ex confeſſo non poſſunt. Non enim quod ſeparari poteſt, & quod non poteſt,eadem ſimul ratione cohærent,aut quod commutatum atq; affectum eſt & quod prorſum eſt aliud. Porrò ex reliquis coniunctionibus quatuor,cohærere una non poteſt,nempè quæ abeſſe poteſt,ac aliam rem efficit. Reliquæ autem tres poſſunt conſiſtere. Nam quæ ſeparari poſ

ſunt atque ſubiecta leuiter immutant, communes ſunt: quæ tolli de ſubiectis nequeunt, atque rem aliam efficiunt, maximè propriæ: quæ ſecerni non poſſunt, & eum in quo ſunt commutant, accidentariæ. Ac communis quidem eſt differentia, ſedere: propria, naſi curuitas: maximè propria, rationis, & participatio & carentia. Sed uideri poteſt alia eſſe earum quæ ſeparari poſſunt, quæque rem aliam efficiunt eſſe diſtinctio. Verum hæc certè quidem conſtare copulatio nõ poteſt. Nam ratio homini ex ſe, & ui ſua conuenit. Quo enim modo homo eſt, rationis etiam eſt particeps: ex quo efficitur, rationis homines omnes eſſe participes. At uerò naſi curuitas, uel ater color, uel ſtare, quæque huius ſunt generis, per ſe non adſunt. Non enim quia homo eſt, naſo eſt incuruo, aut ater, cæteraq́, omnia generis eiuſdem. Sic enim homines uniuerſos eſſe atros, aut aduncis naribus eſſet neceſſe. Itaq; etſi niger quiſpiam naſo'ue incuruo non eſt, nihilominus tamen homo eſt. Atque ita fit, ut nulla ex his differentia id in quo ineſt aliud efficiat, ſed commutet. Ratio autem cum ui ſua in hominem cadat, alium eum facit: quod cũ immutatione conſtare non poteſt.

QVÆ igitur alicui per ſe conueniunt, in ſubſtantiæ ratione ſumuntur} In ſubſtãtiæ ratione, id eſt, in oratione quæ rei naturam oſtendit: hoc eſt, in definitione qua rei uis & natura explicatur, adhibentur. Nanque ex generibus & conſtituentibus differentiis omnis conſtat definitio, id eſt, ex differentiis iis quæ ſpecies efficiunt: quæque nec imminui poſſunt, nec amplificari. Nemo ſiquidem magis minus'ue mortalis dicitur, ut nec rationis particeps. Parui enim pueruli æquè ſunt ratione prędìti: quanquam inſtrumento quo minus rationi conſentaneis muneribus fungantur impediuntur. Atque (ut ſummam complectar) illud etiam intelligendum eſt, ea & contentionem capere & remiſſionem, quæ cum contraria ſint, in eodem tamen ſubiecto nituntur, quæque inter ſe commiſcentur. Veluti album aliud alio albius dicitur, & minus album: & aliud alio magis minus'ue atrũ. Quandoquidem ſubiectum idem aliàs candidum, atrum aliàs efficitur: hæcq́, (album puta ac nigrum) inter ſe committuntur, contingitq́, ut quibuſdam in locis puriora illa, in aliis compoſitiora exiſtant. In naturis autem magis minusq́; dici non putant oportere, quippe cum hoc etiam ſubſtantiis inſitum ſit, ut ipſis nihil ſit contrarium. Iam rationis particeps & expers in eodem non inſunt ſubiecto. Itaque ſi qs quærat quamobrem Ariſtoteles in Categoriis dixerit, Subſtantia autem eſt, quæ & propriè, & primum, & maximè appellatur, (maximè enim dixit, quaſi intentionem remiſſionemq; eſſentia recipiat) primum quidem reſpõdemus, hæc illum ad noſtram cognitionem accommodatè percepiſſe. Nam naturam eam atque ſubſtantiam quæ primum & maximè appellatur, indiuiduam uocauit: propterea ꝙ hæc facilius à nobis cognoſcitur, ac prima ratione comprehenditur. Ab hac enim cum ætate atque eruditione proceſſeris, ad ſecundam pergẽdum eſt, quæ in formis atque generibus uerſatur. Ad hæc etſi dederit quiſpiam magis minus'ue in naturis ineſſe, non ad eas quæ latitudinis, ſed quæ altitudinis proportione ſpectantur, eſſentias, illud magis aut minus accedere dicet. Nam homo non alio homine magis minusq́, hominis, aut rationis compotis appellationem obtinet: quinetiam nec equus boue magis eſt animal, aut iis ẽt ipſis homo. Cæterum in iis quas iuxta altitudinem intuemur, ſpectari id quodammodo poteſt. Superiores enim naturæ ſunt eo inferioribus planiores, quò præſtantioribus rebus perfruũtur. Exempli gratia rationis particeps magis in intelligentia, ac minus in animo uerſatur, ac magis in angelis, minus in corporibus cæleſtibus: ſi modò & animata ſunt ipſa, & ratione prædita, tam etſi magis in iis quam in nobis. Præterea eſſentia in animali magis quam in homine ineſt, magisq́; in iis. Eodemq́, modo animal in homine eſt magis quàm in Socrate. Etenim ſi non citra medium eſſentia Socrati conuenit, ſed per animal interiectum, ex hocq́, rurſum per medium hominem ei competit, perſpicuum eſt, ea quæ primum ac ſine medio conſecuta ſunt quippiam, iis quæ ſecundariò & cum medio id adepta ſunt, idipſum quod ſortita ſunt, magis habere. Quare dictum præclarè eſt, eſſentias eas quæ ex latitudinis ratione ſpectantur, nec amplificari nec imminui poſſe. Porrò autem naturæ quæ in altitudine uerſantur, intentionem remiſſionemq́, recipiunt. Nam ſi quæ latitudinis proportione conſyderantur augeri atq; minui poſſent, eſſe idem earum à genere receſſus non poſſet, rationis participe, in quam, ac rationis experte, mortali & immortali.

QVÆ uero per accidens, quanquam ſeparari non poſſunt, contentionem tamen atq; remiſſionem recipiunt} Contentionem & remiſſionem recipiunt, id eſt, amplificari, atque minui poſſunt. Vocabula uerò hæc ſumpta a cytharæ fidibus metaphora uſurpantur. Nam contenſæ illic fides ſtrepitum edunt uehementiorem, minorem remiſſæ. Hoc igitur modo contentionem, maiorem rei perceptionem appellant: remiſſionem, languidiorem. Illæ enim differentiæ uniuſcuiuſq; ex plent rationem, quæ naturam quoque conficiunt. Siquidem illæ naturam definitiones perficiunt: eiuſdẽ uerò rei definitiones eædẽ ſunt. Nõ enim homo animal eſt alias mortale rationis particeps, alias uerò minimè: ſed ſe ſic ſemper res ſine ulla mutatione uarietateq́, habet, & nec intendi poteſt, nec remitti. Non enim homo quandoq; animal magis eſt, rationis particeps mortale: ac quandoque minus.

AVT QVODAMMODO colore imbutum} Id eſt, candidum eſſe uel atrum & intendi poſſunt, & remitti. Alio enim aliud nigrore candoreve magis aut minus inſid poteſt, itemq́, magis eſſe ſimum, ac naribus aduncioribus.

CVM igitur tria differentiarum genera conſyderentur, cumq́, ſeparari aliæ poſſint} Pollicitus eſt Porphyrius ſe de his aptius ad diſſecendi rationem diſceptaturum. Vult itaque ex differentiis hinc docere quædam, quæ ad rerum naturas & partiendas, & definitione explicandas pertineãt. Quamobrem ait inter differentias eas quæ ſpeciei efficientes ſunt, alias eſſe quibus genera in partes & formas diuidimus: alias, quæ rem conſtituunt: non alius quidem atque alius, ſed eiuſdem. Nam hæ omnes quodammodo ſumptæ & intellectæ efficientes ſunt formarum: & certo quodam modo acceptæ, genera in ſpecies diducunt. Quippe rationis particeps, & expers rationis, mortale & immortale, animalis differentiæ ſunt, eæq́, genus in partes diuidunt. Nam in hæc ipſa animal funditur. Quòd ſi quæ inter ſe coniungi poſſunt, ſimul intelligantur, uelut ratio & eius carentia, eæ dem hominem conſtituunt. Nam eius uim naturamq́, ac ſpeciem abſoluunt. Apparet ergo differentias eas quæ genera diſpertiunt ad diuidendi uiam atque rationem conferre, cum ex hac generum in ſpecies diuiſiones oriantur: quæ autem conſtituunt, ad rerum naturas definiendo explanandas conducere: quoniam definitiones cum genere huiuſmodi conſtituunt differentiæ. Porrò coniunctæ hæ atque inter ſe compoſitæ quatuor copulationes efficiunt, quarum conſtare treis poſſunt, unica minimè: ueluti ratio ſit & eius carẽtia, mortalitas & immortalitas. Vides rationem cum mortalitate cohærere (eſt enim homo rationis particeps, ac Deus immortalis, rationis expers & mortalis, equus) eſſe uerò immortale cum rationis experte non poteſt. Siquidem ambigi de copulatione reliqua (rationis expertis inquam & immortalis) ſolet, ſit'ne quippiam quod cum ratione uacet immortale ſit, cuiuſmodi de Scylla quippiam uidetur Homerus innuiſſe, cum his uerbis ſcribit.

Aſt genus immortale malum eſt,

an non? Nonnulli enim dæmoniorum rationis expertium quoddam genus induxerunt, quod inferiore eſſe in loco ſitũ aiunt, quodq; exhorreſcimus. Alii hoc ipſum etiam genus morti obnoxium eſſe autumant, quod enim immortale ſit, planè etiam ratione præditũ eſſe. Itaque ad eſſentiam quoque accedamus, eademq́, comperiemus. Nam cum hoc in loco duæ etiam oppoſitiones ſint, ſenſus nimirum participis, atque expertis, animati & inanimi: cumq́, his coniunctis tres modò coniugationes cohæreant, conſtare reliquæ tres non poſſunt. Nam animatum & ſenſus particeps, animalis eſſentiam naturamq́, conſtituunt, animatum autem & ſenſus

ſus expers, plantam complent: inanimum & ſenſu carens, ſaxum. Inanimum porrò & ſenſus particeps nihil eſt. Nam quod ſentiendi facultatem obtinet, multò etiam magis naturali eſt animo inſtructum. Non enim ubi naturalis ſit facultas, ibi ſenſus eſt plane particeps: ſed ubi ſenſus particeps, ibi omnino naturalis.

CÆTERVM hæ ipſæ diuidētes differentiæ} Vt enim quædam ſunt ſpecies ſolum, alia quæ & genera ſunt & formæ: ſic in differentiis. Differentiarum enim earum quæ ſpeciem efficiunt, genera hæ diuidunt ſolum, ut quæ primorum ſunt generum, genera aliæ conſtituunt, ut quæ formarum ſunt infimarum: conſtituunt aliæ atq; diuidunt, ut quæ ſunt τῶν ὑπαλλήλων: uelut naturæ differentiæ (corpus puta & carens corpore) eſſentiam ſolum partiuntur, non etiã conſtituunt: ac uerò hominis differentiæ, ut rationis particeps & mortale, hominis duntaxat uim naturamq; ac ſpeciem abſoluunt: quæ autem mediis conueniunt, ut animali mortale & immortale, rationis particeps, expersq; rationis, in formas & ſpecies genera partiuntur, atq; conſtituūt, quoniam ſe habent ſuperius quippiam. Nam contrariæ animal in membra diducunt quandoquidem & in alias ſpecies funduntur, ueluti mortale & immortale. In hæc enim animal diuiditur, qđ idem in ratione & eius carentia contingit. Cæterum quæ interiectæ diſſimilitudines ſunt formas ipſas atque ſpecies cõplent. Nam cum ratione ſi mortalitas componatur, emerget homo: ſi cum ratione immortalitas, angelus: ſi uerò cum rationis carentia mortalitatem coniungas, equum effeceris: ſi rationis carentiæ atq; mortalitatis diſtinctiones, animantes rationis expertes. Porrò rationis expers atq; immortale Porphyrius prætermiſit, ut quæ in uaria eruditorum hominum cõtentione uerſentur, ambigaturq; ſintne ipſa natura, an nõ. Sunt enim, ut dixi, rationis expertia dæmonia quædam, eaq; in ipſo uniuerſo locum inferiorem ſortita, ſepoſitaq; ad cruciandos ſcleratorum animos, quæ quidem à nonnulis immortalia, ab aliis uerò morti eſſe obnoxia creduntur.

ATQVE iis maxime opus eſt ad generum diuiſiones atq; definitiones reddendas} Vide quonã pacto ad res definiendo aperiendas hæc conducant. Docet enim uoces uel in accidentium definitionibus naturales eſſe. Definitiones enim ea uocibus conficiuntur naturalibus: ueluti, candor color eſt, qui uiſum diſgregat. Maximè autem adiecit, quoniã plerunq; propter humanam imbecillitatem huiuſmodi diſtinctionum copia omni deſtituti, fortuitas atq; accidentarias aſſumere conſueuimus. Quemadmodum in coruo nigrorem differentiæ uice uſurpamus, in cygno candorem. Veluti cum equum definituri, animal eum eſſe ratione carens, aptũ ad hinnitum, dixerimus. Proprium uerò, cum eſſentiam modò comitetur, naturalis differentiæ loco ſumimus: propterea quod naturalem equi differentiam aut aſini reperire non poſſumus.

QVAS etiam definiētes, aiunt, Differentia eſt qua ſpecies genus ſuperat} Explicatis differentiæ ſignificationibus, quoq; de earum genere apud Philoſophos oratio ſit, hanc potiſſimum inſtituit deſcriptionem exhibere. Quocirca differētiam eſſe ait, qua forma & ſpecies genus ſuperat. Homo enim ratione & mortalitate uincit animal. Porrò quæſtionē quandam Porphyrius ex hac definitione ducit, eamq; deinceps diſſoluit: quam antequã aggrediatur pronunciata quædam perſpicua ſumit, quæ ἀξιώματα idcirco à Peripateticis nominata accepimus, quòd ea ſe & ui ſua aſſenſionem omnium fidemq; mercantur. Ea uerò ſunt huiuſmodi. Primũ, ex iis rebus q̇ nullę omnino ſint nihil effici. Vt abacus ex ligno conſtruitur: quod ratione quadam fuit (prius enim lignum extitit) alia uero minime: nondum enim abacus fuit. Nam ſi fuiſſet, fabro opus qui eum ædificaret, non erat. Itemq; lapides modo quodam ſunt quatenus lapides, alio minime, quia nondum ſunt domus. Iam quonam tandem modo, ex iis quæ nulla ſunt quippiam fiet? Secundum eſt, contraria in eodem ſubiecto eadem ratione ſimul temporis eſſe non poſſe, quoniam ſeſe mutuò quæ contraria ſunt tollunt. Quibus præpoſitis, ſeſe in hunc modum quæſtio habet, Neceſſe eſt aut à genere in formas differentias transfundi, cũ in eo prius extiterint: aut ea iis rebus quæ nullæ ſunt aliquid oriri: eo rũ autem utrunq; fieri non poteſt. Si enim in generibus, quæ corpora ſunt, differentiæ collocentur, aduerſa in eodem ſubiecto eodem temporum ordine inerunt: mortale puta & immortale, rationis particeps & expers rationis. Quod eſt abſurdum. Atqui ſi non ſunt in generibus poſitæ differentiæ, unde in formas ipſas deriuabuntur? Sic enim aliquid ex iis rebus quæ nullæ ſunt naſcetur, quod fieri non poteſt. Non enim ab alio quoquam promanant, quãdoquidem nihil eſt inter genus ac ſpeciem, præter differentias, interiectum. Quare perſpicuum eſt, maximam in ratione hac dubitationem uerſari. Eam uerò Peripateticè demum Porphyrius diluit, dicitq; in re una non poſſe contraria uno tempore re uera & actu conſiſtere, ſe ui ſua & facultate. Quod quo planius intelligamus, dicamus ad hunc modum, Aliud eſt rem quampiam facultate, atque aliud re uera & actu. Nam facultate id omne eſſe dicitur, quod imperfectum eſt, necdum in actionē promotum: quod tamen apte prouehi ad actum poteſt, ueluti infans facultate eſſe grammaticus dicitur, quia ſit aptus ad grammaticen percipiendam: qua ratione frigida aqua, facultate calida eſſe perhibetur, quia poteſt incaleſcere. Atque hoc quidem eſt, quod facultate eſſe dicimus. Actu autem grãmaticus appellatur qui eſt literarum cognitionem conſecutus, & grammaticas orationes exhibet. Ac frigida quidem aqua facultate eſſe calida dicitur: quę autem calida iam euaſit, actu calida nuncupatur. Ait igitur eandem rem formas capere actu quidem contrarias non poſſe: at facultate poſſe. Aqua enim tepida nec frigida, nec calida actu illa quidem eſt, ſed eſſe utrunq; poteſt: itemq; infans facultate uirtutem, ac uitioſitatem habet: & materia ui ſua cõtraria omnia complectitur. Cum igitur genus materiæ rationem habeat, ut deinceps dicet, perſpicuum eſt in eo differentias omnes contrarias futuras. Præterea poteſt eadem res formas ſimul contrarias habere, altera dum ei facultate conueniat, atq; altera actu iam adſit. Nam quod actu frigidum eſt, facultate eſt calidũ, ſi in calidum poſſit mutari. Quod quidem dictum à nobis proinde eſt, quia quædam ſunt quæ alterum modo ea cõtrariis poſſunt recipere. Nam gelu cum frigidum ſit, nulla poteſt ratione calefieri, ut nec in ignem contrarium, poteſt frigus cadere. Atque etiam aer & aqua contraria uiciſſim ſortiuntur, facultate enim cõtraria ſimul in eadem re ineſſe poſſunt. Quippe ni facultate utrunq; res eadem poſſit accipere, nunquam in eorum utrunque commutari etiam poterit. Sed quoniam contraria ui ſua continet, idcirco in ea ipſa cõmutatur. Ita ergo ſit, inquit, ut genera oppoſitas ſimul poteſtate differentias habere dicãt, utq; nec quicquam ex iis quæ nulla ſunt, fieri, nec in eodem eſſe ſimul formas contrarias poſſe ſtatuant. Hac dilutione Peripatetici uſi ſunt, quam & Porphyrius attulit Propterea quod (ut dixi) libellũ ad Ariſtotelis Categoriarum rationem utilem conſcribit. Intelligēdum eſt autem huic dilutioni Platonicos reluctari. differentias enim actu in generibus ineſſe dicunt, nec eſſe magnopere reformidandum aiunt, quo minus re uera in generibus rationis particeps, ac expers rationis, mortale & immortale locemus. Quod quò facilius perſpiciatur, huiuſcemodi illi rationibus utuntur. In primis enim opponi particeps rationis, rationis experti, negant, ac mortalitatem immortalitati. Namq; oppoſita ſe mutuò euertunt. Hæc autem tantum abeſt ut ſe interimant, ut ſe etiam inuicem conſtituant. Nam ratio & immortalitas, mortalitatem ac rationis carentiam cõponunt: ſiquidem Deus qui & immortalis eſt & ratione prędi tus, mortalia ac ratione carentia animãtia fabricatur. Itēq; homo, quòd rationis eſt particeps, ea quæ ratione uacant tuetur atq; conſeruat: & angeli cum ratione ornati atq; inſtructi ſint, mortalium rationes regunt atq; moderantur. Quare rationis particeps, expersq; rationis contraria non erunt, ut nec mortale & immortale. Quod ſi contraria ea non ſunt, nihil ſanè obeſt, quominus in eodem genere ſimul inſint. Nam & ratione uacantes facultates (ira inquam & cupiditas ac ſenſus, animusq; ratione præditus) ſimul in uno animante, homine, ſpectantur. Inſuper hoc etiam addunt, ea quantumquam ſint contraria, nihil abſurditum tamen futurum, in eo

dem ea genere actu reponi: propterea quod non ut in ſubiecto quopiam, ſic in corpore nititur: ſed in quodam quod ſine corpore ſit. Varat uerò corpore genus: in corporis autem eaperte hærere poſſunt contraria. Ob eã enim cauſam contraria cadere in idem ſubiectum non poſſunt, quod eorum unumquodq; ſubiectum nititur occupare. Cum autem diuidi per ſe corpus poſſit, ea quæ in pernitiem mutuam ruunt, capere nõ poteſt: quod in iis quæ ſine corpore ſunt ſecus contingit. Et ſanè contrariorum omnium rationes natura habet atq; ſuſtinet. Veluti oculus ſimul candoris atrorisq; rationes accepit, ac natura ſimul cõtrariorum rationes conſequitur, boni & mali, frigidi atq; calidi: ſiquidem contrariorum ſcientia una eſt. Quocirca abſurdi nihil orationem eam ſequitur, quæ actu differentias in generibus ipſis conſtituit. Eodemq; modo abacum ratione eadem trianguli figura, quadratum, & rotundum excitare non poſſumus: quia à ſe inuicem figuræ confunduntur. Hæc autem omnia diſtinctè animo comprehenſa tenemus: quò fit etiam ea ut diſtinctè percipiamus, citra confuſionem quanquam, primumq; theorema & ſecundum atq; tertium oſtẽdamus: deq; rotundo, quadrato, atq; triquetro diſſeramus. Ita fit, ut in iis quæ expertia ſunt corporis contraria actu ineſſe poſſit. Deinde, ſi poteſtate genus differentias habet, quodnã illud eſt quod eas in formis inſeuerit? Id enim omne quod, poteſtate cohæret, in rem ipſam ducitur, propter actum aliquem qui ita ſit. Aqua enim frigida cum calida eſſe poſſit, igni, qui calidus re uera eſt, calida efficitur: itemq; infans qui eſſe grãmaticus poteſt, ab eo qui actu grammaticus eſt, grammaticus redditur. Ergo ſi differentias poteſtate genera complectuntur, eæque trahi in actum ſolent, aliud quippiam quod re ipſa contineat differentias requirent. Nihil eſt autem, extra hæc ipſa, eiuſmodi. Non ergo ui ſua in generibus poſitæ ſunt differentiæ. Iam quidquid poteſtate eſt, imperfectum eſt: quod reuera, ſuis expletum atq; abſolutum numeris eſt. Si ergo actu ſpecies ac formæ differentias habent, & eas poteſtate genera capiũt ſpecies certè infimæ cæteris perfectiores maioreq; in honore erunt & pretio: iacebũt ſuprema genere nullusq; iis honos erit. Quod abſurdum eſt. Quandoquidem effecta cauſis & præſtantiora & nobiliora erunt. Quamobrem differentias actu in generibus ineſſe neceſſe eſt. Ergo nullius planè momenti Peripateticorum mens atque opinio erit? Minimè uerò. Nam cum trifariam genera dicantur (ut ſæpè diximus) Platonici quidem de iis quæ antè multa ſunt loquebantur. In iis enim generibus quæ antè multa ſunt, actu differentiæ nituntur: ibi enim rerum omnium rationes actu uiſuntur. Peripatetici autem de iis quæ in multis ſunt. Quippe ſcire eſt operæpretium, naturam à ſuperioribus ad inferiora progredi. Prius autem inferiora in ſuperioribus, & quæ generalia minus ſunt, in iis quæ magis, inhærent. Veluti, ex effuſo ſemine maſſam in primis (ut medicis placet) natura conficit, quæ corpus eſt, idq; uniuerſum ac generale. uerum id ut corpus eſt, actu eſt: ut animatum, poteſtate. nondum enim re uera animatum eſt. Cum autem enutritum & auctũ fuerit, animumq; acceperit, uerè animatum dicetur: facultate autẽ animal, quippe quod ſentiendi, mouendiq; uim nondum ſit conſecutum: quæ ubi adeptum eſt, reipſa animal, & potentia rationis particeps appellatur. Porrò cum rationis atq; orationis facultatem obtinuerit, actu animal ratione præditum efficitur: atq; poteſtate grãmaticum. Vides igitur, ut in generibus iis quæ in multis ſunt, ui ſua differentiæ conſyderentur. Atq; eo quidem modo præclarè Phyſici ſtatuunt. Itaque Porphyrius cũ librum hunc non ad Platonica, ſed ad Ariſtotelica opera utilem conſcriberet, Peripateticorum dilutionem adhibuit. Sed quoniam ſuprà citra demonſtratione uoces quinq; ſine corpore eſſe diximus, age id etiam hoc tempore oſtendamus. Principiò igitur corpus æquè nunquam in re maiori & minori, ut Elephanto atque formica, cernitur: uoces autẽ quinque in maioribus ac minoribus rebus eadem ratione ſpectãtur. Inſuper corpus omne ſi ad corpus adiiciatur, id ad quod fit, acceſſio auget: at uerò genus, & ſpecies, cæteraq; omnia generis eiuſdem, Socrati addita, naturam eius maiorem non efficiunt. Præterea, nunquam idem corpus eodem tempori ordine in omnibus perſpicitur. Nanq; etſi ita eſſe uideatur idem tamen non eſt. Verbi gratia, in Platonis fœmore os appareat, idem in Oreſtis fœmore non erit: at genus & ſpecies uno tempore in multis uerſantur. Poſt hæc, corpora ſi diuidantur, ſpeciem unam quantitatem'ue non habet, ueluti ſtatera in multa ſeratur. Quare quæ diſpertiuntur, quantitatem unam & eandẽ ſpeciemq; non retinent: genera autem & formæ ſpeciem propriam, in Socratem, & Platonem, cæterosq; homines ſecta, ſortiuntur. Tum uerò corpus omne ex materia & ſpecie conſtat atque conficitur. Genus autem & ſpecies non item. Conſtari enim è ſpecie ſpecies non poteſt. Sunt igitur corporis expertes uoces quinque. Atque omnia quidem quæ ad inſtitutum conferunt, hactenus ferè explicauimus. Aperta igitur deinceps litera erit. Eam uerò percurramus, ac ſi quid obſcurum inciderit, id exponamus.

QVONIAM animal} Id eſt, nullius horũ eſt expers. Huiuſmodi enim quippiam ſubintelligendum eſt. Nam niſi animal rationis particeps, ac mortale haberet, undenam hæc ſpecies in ſeſe transferret?

NEQVE contrarias omnes habet, quoniam in eodẽ contraria ſimul inerunt: ſed, quemadmodum putant} Quoniam Porphyrius, qui Platonicus eſt, ea dicebat quæ ſibi recta non uidebantur, dixit, quẽadmodum putant Peripatetici. Nam ſi naturæ rationem ſecuti, ſcitè admodum genera uniuerſa, res prius ſingulas poteſtate continere exiſtimant: eoq; modo ad actum tranſmitti.

DEFINIVNT autem eam & hoc modo} Hoc loco perfectam deſcriptionem affert, ex uocum diuiſione ductã, quæ ait, uocum aliæ nihil, aliæ aliquid ſignificant.

NAM CVM res ex materia conſtent & forma,} Cauſam nunc affert, quamobrem genus in quæſtione, qua, quid quidq; ſit, quæritur, differentia in ea qua quale quidq; ſit, dicatur. Ait igitur res omnes aut ex materia propriè & ſpecie conſtare, aut certè ex ui quadam, quæ materiæ & formæ ratione aliqua reſpondeat, conſtitui. In omnibus igitur naturalibus rebus ſubiectum quoddam eſt, quam materiam propriè appellant, quæ & forma uacat, & commutari non poteſt. Eſt autem, propriè forma id, quod eam exornat, quodq; in ea exiſtit. Hoc ergo modo materia propria atque ſpecies, in rebus conſiderantur naturalibus. In iis autem quæ ab arte proficiſcuntur, quod horum comparatione & proportione dicitur. ueluti ex ære ſtatuæ conſtantur: itaque earum æs materia nuncupatur, non propriè id quidem, ſed cõparatione quadam. Non enim forma penitus æs caret: ſed id quia artifici ſubiicitur, ac ſtatuæ, materiæ in modum, formam capit, materia idcirco appellatum eſt. Porrò figura formæ ratione quadam reſpondere dicitur, quia æs informat. Quoniam enim naturalibus rebus una ſubiecta eſt materia, proinde in ſeipſa uniuerſa commutantur, fieriq; non potuit ut in ſeſe omnia uerterentur, ni communis eorum quæpiam unaq; foret materia. Hoc ergo modo ærea in ſeſe uaſa conuerti poſſunt, quòd communem ſint ſortita materiam: quemadmodum ex lebete ſtatua efficitur. Nam quæ communi materia non cõtinentur, in ſeipſa inflecti atq; interire nequeunt: extrui enim ex lebete abacus non poteſt. Fit autem ex aere aqua, uiciſſimq; ex aqua aer, atque ex aere ignis: quoniam hæc communem obtinent materiam quæ cum calorem ac frigus acceperit, fit aqua: cum calorem & ſiccitatem, ignis efficitur. Quod idẽ in reliquis contingit. Naturales igitur res omnes ex materia propriè & ſpecie coaleſcunt, ut homo, & & equus, cæteraq; eiuſdem generis. Quæ uerò ab arte promanant, ligna pro materia, pro forma habent hanc aut illam figuram. Genus ergo materiæ habere rationem dicit: formæ, differentias. Vt enim natura nihil illa quidem inter ſe diſcrepant, ueluti ænea uaſa, differentia autem in figura conſiſtit: ſic genere nihil, quo animantes ſumus, homo, equus, & canis, itemq; alia diſtinguuntur: differentiis autem differunt. Cum enim ad animal ratio acceſſit & mortalitas, hominem: cum mortalitas & rationis carentia, equum procreauit. Quocirca genus materiæ proportione dicitur, ſpeciei uero differentiæ. Quoniam igitur materia rem quanque conſtituit, ſpecies autem qualitatem, hancq; & illam affectionem largitur,

ſtare quidem in quæſtione ea genus, qua rei uis & natura quæritur, dicitur: quippe quod materiæ ratione aliqua reſpondeat: differentia autem in ea qua quale quidq; ſit indagatur, quippe quæ ſpeciei proportione dicatur.

COMMVNISQVE & qui ſpecies eſt, communis} deſt homines uniuerſi.

ET QVI ſpecies eſt} ideſt ſinguli homines.

DESCRIBVNT autem hoc etiam modo differentiam, Differentia eſt, quod natum eſt ſeiungere ea, quæ ſub eodem genere continentur} Nam rationis particeps & mortale, cum acceſſit, hominem ab equo ſeparauit.

NON QVODLIBET eorū quæ ſecernūt ea quæ ſub eodem genere collocantur} Ideſt, non differētia quæuis, nec uulgaris, neq; propria, nec ſedere, nec ſtare, aut ſimum, aut aduncis naribus eſſe, diſtinguūt: ſed quæ propria maximè eſt, ut mentis æque ſcientiæ eſſe capacem. Id enim in ſolo homine eſt. Quandoquidem nec Deo, utpote qui omni ſit cognitione præſtantior, nec beluis illud cōuenit: itemq; non huius aut illius ſcientiæ, neque Grammaticæ ſolius, ſed omnium.

SED quod ad eius & naturam aperiendam pertinet. Ἐκ τοῦ τί εἶναι} id eſt, Quod ad eſſentiam, eiusq; definitionem cōferat. Nam τὸ τί ἦν εἶναι definitionem Philoſophi appellant, quemadmodum apud grammaticos ædes domum ſignificant, ſiquidem definitio uim & naturam rei cuiuſque explicat. Quod ergo pars definitionis eſt, idipſum ſecernit. Quippe mentis & ſcientiæ capacem eſſe, è definitionis partibus una eſt, ob eamq; cauſam hominem à reliquis hæc differentia diſtinguit.

NEQVE enim natum eſſe ad nauigandum hominis eſt differentia} Nauigare, natare non innuit, ac ſupra aquam ferri (nanq; eo pacto & beluæ, & quæ ſine animis ſunt, apta eſſe ad nauigandum dicerentur) ſed naues remorum motu impellere: id enim hominis eſt proprium Cæterum non ex eo homo inſignitur: alioqui qui nauibus non uterentur, homines non eſſent.

DE PROPRIO.

PROPRIVM *uerò quadripartitò diuidunt. Nam & quod ſoli alicui ſpeciei, neque toti accidit, ut homini mederi, uel Geometræ fungi munere, proprium dicitur: & quod toti ſpeciei, non uni tamen, ut homini bipedem eſſe: & quod in ſolam ſpeciem cadit, eamq; totam & aliquando: ut in hominem, in ſenectute caneſcere. Quartum autem, quò & ſolum, & omne, & ſemper concurrunt: ut in hominem, aptum eſſe ad riſum. Nam etſi non ſemper ridet, tamen aptus ad riſum dicitur: non quod iam rideat, ſed quod ad ridendum aptus ſit. hoc enim homini ſemper conuenit, ut equo hinniens. Hæc autem uerè propria appellant, quia etiam reciprocantur. Siquid enim equus ſit, hinniens eſt: & ſiquid hinniens eſt, equus.*

Abſoluta differentiæ explicatione, de Proprio deinceps diſſerit, nam id iuxta conſtitutum ordinem ſequebatur. Poſteaquam enim de naturalibus ſatis ediſſeruit, de iis qui naturam comitantur, neceſſariò fuit diſputandum. Itaque incipit, à proprio, ut pote quod cum eſſentia communione quadam & ſocietate coniungatur. Nam proprio cum naturalibus hoc commune eſt, quòd quæ propria uerè cenſent, in ſola, totaq; ſpecie, ac ſemper, ut illa intelliguntur. Nam & illa iis totis & ſemper conueniunt, in quibus reperiuntur. Præterea hoc etiam proprium cum accidētibus commune habet, quod quemadmodum illa à ſubiecto intelligentia ſecernuntur, ſic proprium ratione poteſt à re ſibi ſubiecta ſeparari. Porrò præceptionis rationem eandem ſecutus, primū eius ſignificationes perſequitur, atque ita demū exponit, de qua apud Philoſophos oratio ſit. Proprii ergo quadripartitam quodámodo diuiſionem tradit, dicitq; hoc modo, Propriū aut in unam aliquam ſolum ſpeciem cadit, aut nō in unam. Ac ſi in unā quidem, aut in ea tota reperitur, aut non in tota. Et ſi non uni rurſum conuenit, aut in omnem, aut non in omnem cadit: aut ſemper, aut non ſemper. Atque huiuſmodi quidem diuiſio eſt. Vna igitur eſt, eaq; prima Proprii ſignificatio, quod in unam aliquam cadit ſpeciem, etſi non totam, ut in hominem mederi, Philoſophari, Aſtronomi, & Geometræ fungi munere, itemq; cætera eiuſdem generis. Secūda, quod toti ſpeciei, etſi non ſoli, congruit, uelut homini bipedem eſſe. Nam id in totum quidem hominem, non ſolum tamen, cadit: in uolucribus enim animantibus illud eſſe bipedē reperitur. Tertia, quod in ſola totaq; ſpecie, at non ſemper, ſed interdum reperitur, ut in homine in ſenectute caneſcere. Nam id in hominem quidem totum ac ſolum cadit, ſed nō ſemper canis homo obducitur, uerū in ſenectute. Quarta, id in quod hæc omnia concurrunt & cōueniunt, quod in una, totaq; ſpecie, & utique intelligitur, ut in homine animum aptum ad riſum habere, in equo, natum ad hinnitum eſſe, in cane aptum eſſe ad latratum. horum uerò unumquodque ex poteſtate, non actu, nomen inuenit. Non enim quod aut rideat, aut hinnitū exerceat, natum ad riſum aliquid & ad hinnitum eſſe dicitur, ſed quod ſemper animum aptum habeat ad riſum, aut ad hinnitum. Hoc enim proprium maximè appellant, quod & ad totam ſpeciem, & ad ſolam, & ſemper accommodatur. Quamobrem Porphyrius reliquis eſt ſignificationibus abuſus, & (ut paucis abſoluam) propriū quod patet latius accepit, idq; quatuor in partes diſtribuit. Cum ſint igitur oppoſitionum genera quatuor, è quibus proprii ſunt ſignificationes deductæ, iis inter ſe coniunctis longè plures exoriuntur, ex quibus conſtituit quædam, aliæ uerò minimè, quemadmodum ex hac deſcriptione intelligi licet.

	Vnam & totam.	Non unam & totam.
Quod cadit	Vnam & ſi non totā.	Non unam & ſemper.
in ſpeciem	Vnam & ſemper.	Non unam & non totā.
	Vnam & interdum.	Non unā & non ſemp.

In eo autem ipſo ſemper inſita ſunt quatuor. Porrò cum inſita dixit facultatem opportunitatemq; quandam deſignauit non autem actionem. Quāquam enim non ridemus ſemper, ridentes tamen dicimur ſemper, nō ab actu quidem, ſed ab illa facultate, quam à natura acceptam nunquam deponemus. Nam & ridere ſemper poſſumus, & animum ad riſum aptum ſemper habemus. Quocirca non proinde nati ad riſum eſſe dicimur, quòd rideamus perpetuò, aliud quippe ridere eſt, atq; aliud ad riſum aptum eſſe, itemq; aliud hinnire, & natum eſſe ad hinnitum.

DE ACCIDENTE.

ACCIDENS *autem eſt, quod adeſt & abeſt, præter ſubiecti interitum. Quod in duas partes diſtribuendum eſt. Alterum enim ſeparari poteſt, alterum non poteſt. Ac dormire quidem à ſubiecto ſecernitur: atrum autem eſſe ſic coruo & Æthiopi conuenit, ſeparari, ut non poßit. Poteſt autem & coruus albus, & Æthiops abiecto colore ſaluo ſubiecto intelligi. Definiunt autem illud etiam hoc modo, Accidens eſt quod poteſt eadem in re ineße & non ineſſe: quodq; neque genus eſt, neque differentia, neque proprium, & ſemper in re ſubiecta inhæret. Sed quoniam de iis omnibus dictum eſt, quæ propoſita nobis erant (de genere inquam ſpecie, differentia, proprio, & accidente) deinceps quid his ipſis commune ſit, quidq; proprium, diſputandum eſt.*

Expoſitis iis omnibus quæ nobis propoſita erant ad dicendum, quoniam ſequi deinceps accidens uidetur, reſtat ut de eo ipſo differendum eſſe uideatur. In quo primum illud intelligendum eſt, eum non iuxta præceptionem conſuetam id explicare. In reliquis enim uocibus tradendis principiò uarias earū ſignificationes eſt perſecutus, tumq; de qua Philoſophi loquerentur oſtendit: hoc uerò loco id uō agit, ſed accidentis confeſtim deſcriptionem auſpicatur, intelligens

ſcilicet Philoſophos de accidentis ſignificatis omnibus uerba facere. Iam ex eo quod accidens eſt, quod adeſt & abeſt ſine eius rei in qua ſitum eſt interitu, intelligi facilè poteſt accidentia corpora non eſſe. Nam ſi corpora eſſent, ea addita corporibus ipſa augerent, atq; detracta minuerent: cum igitur accidentia, neque adiecta neque detracta pernitiem corporibus inuehant, relinquitur certè ut ea expertia eſſe corporis ſtatuantur. Præterea ſi ea corpora eſſent, futurum planè erat, ut unus & idem locus multa corpora complecteretur: quod fieri non poteſt. In pomo enim & odoris ineſt ſuauitas, & color, & dulcor, atque hæc, ſi corpora eſſent, locum non erant unum habitura. Quod fieri itidem nequit. Corpus enim corpore ſeparari non poteſt. Præterea accidentia quidem ea quæ ſeparari à ſubiecto poſſunt corpus perimere non ſolere, ſi accedant atque recedant, hinc perſpici licet. Nam ſedere, uel ſtare, uel calefieri, uel refrigerari, accedũt & recedunt, ut ſubiectum ſaluum incolumeq; permaneat. Quid igitur etiam'ne ea quæ ſeparari non norunt ſine rei ſubiectæ interitu adeſſe poſſunt, atque abeſſe: Narium inquam (ut ita dicam) ſimitas, aduncitas naſi, atque in coruo nigror? Hæc ergo, quãquam non actu, poteſtate tamen atque intelligentia ſeparari dicimus: ut enim rectas aut incuruas nares animo ac ratione comprehendas, nihilo ſecius nares remanẽt. Porrò quædam in tradita etiam definitione dubitari ſolent. Aiunt enim nõnulli (quemadmodum à nobis antea dictum iam eſt) definitionem accidentibus uniuerſis non conuenire, ſed iis duntaxat, quæ ab eo in quo inhærent ſe uocantur, adeſſe dico, ac abeſſe. Nigror enim ſic in coruo & Æthiope ineſt, ut ſeparari citra ſubiecti interitum non poſſit. Sed iam diximus, quanquam actu abeſſe ater non poſſit, poſſe tamen & coruum album, & Æthiopem mutato colore intelligi, ac ab homine animal ne mente quidẽ abeſſe poſſe. Simul enim ac hominem non eſſe animal intelligimus, hominis naturam atque eſſentiam interimimus: at uero ſi coruum nigrum non eſſe, aut Æthiopem, perceperimus, ſubſtantiam eius, quatenus coruus eſt, aut homo, non deſtruimus. Et ſanè ſi quis coruo plumas detraxerit, coruus tamen conſiſtit, atq; ſi Æthiopem candidum intellexeris, nihilominus homo perſtabit. Quamobrem accidentia ea quæ ſeparari non poſſe dicuntur, etſi ab eo in quo ſunt actu abeſſe non ſolent, ui ſua tamẽ poſſunt recedere. Dubitatur uerò hoc etiam, quonam tandẽ pacto adeſſe & abeſſe ſine ſubiecti interitu accidens dicatur: febris enim cum acceſſerit animal uitiat. Dicimus itaq; quæſtioni huic locum non in iis modò qui æſtu febriq; iactantur, uerumetiam in frigore nimio, ſiccitate, atque humore fuiſſe: quæ omnia cum adſunt, animal ipſum interimunt. Reſpondemus ergo, ut è fidibus contentis atque remiſſis concentus efficitur, nec interimitur tamen ſubiectum: ſic hoc loco cum nimium frigus calor'ue ſæuiit, animalis temperamentum & harmoniam labefactari atque peruerti, ſubiectum tamen id eſt, corpus remanere. Id enim quod calori & frigori obuiũ atque expoſitum eſt, animal omnino non eſt, ſed corpus. Id autem ex contrariis componitur, calidis nimirum ac frigidis, ſiccis & humidis. Nam ſi homo, ut apud Hippocratem eſt, una ex re conſtaret, nullo unquam morbi genere afficeretur. Quòd ſi afflictaretur, una utiq; curatio neceſſario foret. Nunc uerò iis inter ſe contemperatis, atque una naturæ conſenſione ac ſocietate conſtrictis, non ex iis modo, quas diximus, contrariis qualitatibus animantium corpora conſtituta ſunt, uerumetiam ex interuallo quodam coaleſcunt, quod ipſum trifariam licet omni ex parte demetiri: quodque cum per ſe omni qualitate uacet, in eo qualitas hæret uniuerſa atque nititur. Qualitas autem nulla ſuo ſubiecto repugnat, aut ei in quo inhæret, exitium parit. Cum enim ſubiectum ipſa ſuum obruit, ſeipſam ea quoque tollit. Nam ſi id in quo ineſt diſturbetur, ea, cum ſua ui conſtare ac cohærere non poſſit, protinus cõcidat neceſſe eſt. Nihil autem ſibipſi exitium internitionemq; creat: ſiquidem qualitati qualitas, non ſubiecto ſibi corpori, eſt contraria. Quamobrem nec febris nec alia quæuis qualitas rem eam in qua ſita eſt extinguit. Res enim omnes ſtatum expetunt. Cum igitur una ex qualitatibus iis ex quibus conſtatum corpus eſt ſuperarit, interire uniuerſam corporis compagem neceſſe eſt. Cum enim occupare ſubiectum ſtudet, ut in quo conſeruetur, eam quæ ei repugnat atque contraria eſt, tollit: ut expulſa ea ac profligata, in illius ſe locum inſinuet. Itaque quod facere qui de communi inter ſe prædio digladiantur, ſoliti ſunt, ut unus quiſq; ſuo atque eiecto hoſte in eius ſubire atque irrepere enitatur: ſic cum calidum atque frigidum inter ſe in eodem ſubiecto diſſentiant, quandiu neutrum euincit, manet temperata corporis compoſitio: alterum autem ſi exuperarit, ab eo deletũ quod uicit alterum, cedit ac de ſede propria ſtatuq; dimouetur: ſubiectum autem accipit nihil, nec à qualitate ea quæ ſuperior euaſit interimitur. Quocirca in febri compoſitio quidem illa qualitatumq; quæ in corpore inſunt temperamentum occidit: corpus autem ipſum, quod erat qualitatibus ſubiectum, non delabitur. Cæterum iis quæ dicta a nobis ſunt fortaſſe quiſpiam obluctabitur, propterea quod non quoduis omnino corpus febri ſubiectum ſit: ſed quod illa aut alia qualitate temperetur: quod diuerſa ab eo temperatione diſſipatur, aut febri, aut frigore, aut alio generis eiuſdẽ quopiã accedente ſcilicet ac adueniente. Non quilibet enim qui à mediocritate recedit calor, febris eſt, ut quo ferrũ, aut ignis incẽditur: ſed qui in animalis corpore uerſatur, & hoc ſanè ſublato, æſtus ac febris abeunt. Quæſtionem itaque ſuperiorem ita diſſoluimus. Motus & mutationes in quatuor ſunt Categoriis. Aut enim in eſſentia, aut in quantitate, aut in qualitate, aut in loco uerſantur. Ac naturæ quidem commutatio ortum interitumq; efficit. Ortus enim eſt, cum quæ nulla erant, in ſtatum transferuntur: interitus autem, cum id quod eſt, in initia recidit. In quantitate autem acceſſio & deceſſio ſpectantur: in qualitate, commutatio. Vt album fieri, et calidũ fieri, & motus qui in aliis Categoriis ſpectantur. Præterea & loci cõmutatio, quam φορὰν uulgus appellat. Si igitur ortus naturalis eſt rerum earum quæ nullæ ſunt in cohæſionem progreſſus: interitus igitur ei contrarius, earum erit rerum quæ ſunt ad eas quæ nullæ ſunt mutatio, eſtq; naturæ commutatio. Quare ſi febris ſubiectum corrumpit, accidẽs non erit, ſed commutatio naturæ quem interitum uocant. Nam ortus atque interitus mutationes non ſunt, ſine mutatione tamen non fiunt. Cum ergo mediocris fit commutatio, ut caloris aut frigoris, nec rem in qua ineſt ſubuertit, accidens huiuſmodi qualitas eſt, quæ ab eſſe etiam ſaluo ſubiecto atque incolumi poteſt. Cum uerò uehementiſſima contentione extra modum prodierit, ut ſubiecti temperamenti aptam compoſitionem peruertat, id uerò tum demum commutatio non eſt atque affectio. Neque non fortuita mutatio ſed ipſius eſſentiæ. Quare non quæuis febris ſubiecto pernitiem importat, ſed ea duntaxat quæ mediocritatem illam modumq; exceſſerit, quæque accidens non eſt: ſed rei ad eas res quæ nullæ ſunt eſt mutatio. Atque etiam de caluitio quæſtio quædam exiſtit: id enim ſubiectum, nempè capillos, ait corrumpere. Sciendum ergo eſt, caluitio, non capillos, ſed caput eſſe ſubiectum: illud uerò uitium non contrahit.

ATRVM autem eſſe ſic coruo & Æthiopi conuenit, ſeparari ut non poſſit } Scitè coruum & Æthiopem adiecit: multa enim atro ſunt colore imbuta, quæ candore tingi atq; infici poſſunt. Dictum autem à nobis iam eſt, accidentia etiã ea quæ ſeparari non poſſe dicuntur, intelligentia & ratione ab eo in quo ſita ſunt poſſe ſeiungi: maximè uerò propria, ne mente, quidem atque animo poſſe ſecerni, ſine interitu rei in qua inhærent. Siquidem hominem ſine ratione intelligere non poſſumus: quia tum homo eſſe deſinit. Nec ſine immortalitate angelum, quia tum angelus non erit.

ACCIDENS eſt quod poteſt eadem in re ineſſe & non ineſſe} Deſcriptionem alteram accidentis tradit, quæ ipſa multò eſt priore accuratior. Aptius enim in accidentiaq; ſecerni non poſſunt ea cadit deſcriptio, quæ accidens eſſe ait quod & ineſſe in eadem re & non ineſſe poteſt, quàm quæ id eſſe dicit, quod abeſſe poteſt & adeſſe ſine eius rei in qua ſitum eſt interitu: aut quæ hoc modo, quod nec genus eſt, nec differentia, nec ſpecies, nec proprium, ſemperq; in ſubiecta re nititur. Quod idem in ſuperiores illas transferri poteſt, dicamus enim licet, Genus eſt, quod neq; differentia eſt,


neq;

neq; ſpecies, neque proprium, neq; accidens, ſemperq; cohæret: eodemq; in cæteris modo. Sed eas hoc modo Por. non definiunt, quia obſcuræ erant reliquæ, nec perſpectæ ſatis. Nunc uerò expoſitis illis omnibus, iure ac meritò ſic accidens definiuit. Sed quoniam quatuor illæ ſublatæ non accidens modo inferunt, ſed Tragelaphum etiam atq; alia multa idcirco adiecit, præter ſubiectum id nō poſſe ſubſiſtere, qua quidem ratione Tragelaphum prorſus expulit. Is enim in ſubiecto non inhæret, ſed puris ſolum intelligentiis continetur. Cæterum quia non quid eſſet accidens explicauit, ideo deſcriptionem à negatione deduxit, cum dixit, quod nec genus eſt, nec cætera: porrò quid id ſit explanat quia in ſubiecto inhæret.

DE COMMVNITATIBVS ET *differentijs quinque uocum.*

COMMVNE quidem eſt omnium de multis dici, quemadmodum dictum eſt. Sed genus quidem de formis ſub ſe poſitis & indiuiduis, ut & differentia: ſpecies uero de ijs quæ ſub ipſa ſunt indiuiduis: Proprium autem de ſpecie cuius eſt proprium, & de ijs quæ formæ ſubiecta ſunt indiuiduis: Accidens autem & de formis & de indiuiduis dicitur. Nam que animal & de equo, & de boue dicitur (quæ ſpecies ſunt) & de hoc equo, & illo boue, quæ indiuidua: Rationis autem expers & de equo, & de boue effertur, & de ſingularibus: At ſpecies, ut homo, de ſingularibus ſolùm enunciatur: Porrò proprium & de ſpecie cuius eſt proprium, & de ijs quæ ſub ea continentur indiuiduis dicitur. Veluti aptum ad riſum de homine, & de ſingularibus. Ater autem & de coruorum genere, & de ſingulis: cùm ex eo genere ſit accidentis, ut ſeparari non poßit: & moueri, de homine & equo, quia poteſt ſeparari. Sed præcipuè quidem, de indiuiduis: tum uerò & de ijs à quibus indiuidua continentur.

In rebus omnibus tria hæc ſpectantur, natura, ſimilitudo, diſtinctio. Naturam autem non eam quæ accidentibus contraria eſt, ſed rei cuiuſq; uim atque eſſentiam uoco, à qua res omnes Entium appellationem trahunt. Habent uerò & ſimilitudinem. Quoniam enim unum eſt naturæ totius initium, res omnes inter ſe communione quadam coniungi neceſſe eſt. Atq; etiam quia multa ſunt ea omnia quæ ſunt, commutationem quandam atq; affectionem eſſe oportet, ut multa quoq; ſint. Nam ubi multitudo, ibi & diſſimilitudo quędam conſiſtit. Itaq; in uocibus his quinq; exquirenda natura eſt, ſimilitudo, atq; diſcrimen. Naturam autem iam ſatis explicauit. Quare quid iis ipſis commune, quidue proprium ſit deinceps exponit. Ac poſſunt quidem qui genio meliore nati ſunt, hæc per ſeſe ſatis aſſequi: ſed quoniam librum hunc ad eximium quendam ueterum conſectatorem conſcribit, ut ſatis indicat cum quæſtionibus iis utitur potiſsimum, quæ præſtant, ex iis quæ dicta ſunt collecta hęc in unum tanquam cumulum cōiecit. Et primum quidem quid uocibus omnibus commune ſit oſtendit, tum quid cuiq; proprium. Porrò ſi quot copulationum inter ſe diſcrimina propoſitæ quæuis differentiæ efficiant intelligere uoluerimus, hac uia & ratione utendum eſt. Sumendus eſt unitate inferior numerus, isq; in eum qui primū eſt propoſitus ducendus, ac qui inde orietur bipertitò ſecandus, totidemq; copulationes effici exiſtimandum eſt. Verbi gratia, quinq; ſunt uoces, quæ inter ſe cōmittuntur. Numerum unitate minorem, quaternarium, accipe: ac quater quinque ducito, naſcenturq; in ſumma uiginti: atque horum rurſum dimidium cape, quæ ſunt decem ac totidem uocum quinq; inter ſe copulationes eſſe dicito. Numerum porrò unitate inferiorem accipimus quia nihil cum ſeipſo confertur: ſed cum alio ſemper aliud. Inter ſe uerò ducimus, quia eorū cōparationem exquirimus, ſiue differentiā. Producti autē numeri ſumimus medietatem, quoniā ex eo ductu ut duobus inter ſe modis comitantur efficitur.



5 Nam cum his quatuor genus cōparatur, ac rurſum ſpecies cum reliquis quatuor confertur, eoq; modo bifariam ut idem conferatur cōtingit: ob eamq; cauſam producti numeri dimidium in hanc ſeriem cooptamus.

SED præcipue quidē de indiuiduis} Quęſtionem hoc loco admodum neceſſariam Porphyrius tradit. Ait enim genus ac differentiā de formis & indiuiduis, quæ ſunt eis ſubiecta, enunciari. Nam & animal, & homo, Socrates nominatur, ſed ita tamen ut illa de formis primum, ſecundo autem loco, ob eas ipſas de indiuiduis dicātur. Nam quia hō animal eſt, animal eſt Socrates. itemq; quia hō rationis particeps eſt, Socrates etiā rationis particeps exiſtit. Iam propria & accidentia de formis & indiuiduis efferuntur. Hō enim aptus ad riſū, atq; Socrates appellatur: ac albus, ſed de indiuiduis quidem primò, tum uerò de formis. Non. n. quia uniuerſus homo aptum animū habeat ad riſum idcirco natos ad riſum ſingulos appellamus, aut candidos: nanq; commune illud ac generale hominis caput ſine corpore eſſe riſu intelligitur, ſed quia ad riſum nati albiue ſunt ſinguli. In uniuerſum autē de iis quæ in multis ſunt, ſiue à multis differit.

DE COMMVNITATE GENEris *& differentiæ.*

COMMVNIS autem generi cum differentia formarum eſt complexio. Continet enim differentia ſpecies, etſi non omnes quas genera. Præditum enim ratione, quanquam expertia rationis, ut animal, non complectitur: angelum tamen continet, & hominem, quæ ſpecies ſunt. Præterea quæcunque dicuntur de genere ut genere, eadem de formis quæ generi ſubiectæ ſunt, enunciantur. Et quæcunq; de differentia ut differentia dicuntur, eadem etiam de ea quæ ex ipſa eſt ſpecie dicuntur. Nam cùm genus animal ſit, non ſolùm de eo dicuntur quaſi genere ſubſtantia, & animatum, & ſenſus compos: uerum etiam de ijs quæ ſunt ſub animali formis, uſq; ad indiuidua dicuntur: cumq; differentia ſit, rationis particeps, de eo ut differentia ratione uti dicitur: nec de eo ſolùm quod eſt particeps rationis, ſed etiam de formis quas id quod eſt rationis particeps complectitur, ratione uti dicetur. Quin etiam hoc commune illorum eſt, quod ijs peremptis, quæ ſub ipſis ſunt perimi ſit neceſſe. Vt enim ſi non ſit animal nō eſt equus, neque homo: ſic ſublato rationis participe, nullum erit animal, quod ratione utatur.

Comparatis inter ſe uocibus quinque, poſtquam docuit Porphyrius quid illis inter ſe cōmune ſit, & quo differant: nunc earum unamquamque inſtituit ſumere, atq; cum quatuor reliquis conferre, ac quo modo unaquæq; ab aliis multis diſcrepet, & quem cum illis concentum efficiat, explicare.

COMMVNIS autem generi cum differentia eſt formarum complexio} Nunc uoces omnes ſingulatim tractat, atque inter ſe comparat, exponitq; quid illis ſit commune, & quid denique peculiare.

CVMQVE differentia ſit} Quæcunque dicuntur de animalibus, ea item de formis animalis indiuiduisq; efferuntur. eodem quoq; modo ſit in differentia. An igitur quia de aīali genus dicitur, idcirco de ſpecie, & indiuiduo dicetur? Id enim ſi ita eſt, & hō, & Socrates genus erūt: & q̄a genus diſyllabū eſt, iō & mortalis diſyllabū nomē erit. Dicēdū eſt igitur cōmuniter, ꝓinde, ut genere, adiecitſe, quaſi diceret, q̄a res ſit. Nō. n. ut de affecto quopiā. Nā & genus, & diſyllabū, & cætera omnia generis eiuſdē, animalis affectionē explanāt. Quæ

ergo de animali quia animal ſit dicuntur (id enim, ut genere denotat) ea planè de formis & indiuiduis dicantur neceſſe eſt: at uero in animali genus, non ut animali dicitur, ſed propter affectionem quandam. Non ſolum enim hominis genus, & equi & reliquorum animal eſſe dicitur, uerumetiam color genus candoris, & atroris, & cæterorum. Quod idem in aliis categoriis contingit. Quamobrem genus dicitur de animali, non quia animal ſit, ſed quia modo quodam ad ea quæ illi ſubiecta ſunt affectum ſit, ob eamq; cauſam de formis & indiuiduis non exprimitur, eademq; eſt ratio differentiarum. Nam quæ de differentia, ut differentia, non ut affectionem explicat, dicuntur, de iis quoque quæ ſub ea ſunt formis omnibus & indiuiduis enunciantur.

QVINETIAM hoc} Duæ ſunt regulæ eius quod naturæ ordine prius eſt, Quod perimit quidem, at nõ perimitur: & quod infert nec infertur. Hæc autem generis atq; differentiæ communia ſunt.

DE PROPRIIS GENERIS *& differentiæ.*

PRoprium autem generis eſt, de pluribus q̃ differẽtiã, q̃ ſpeciem, q̃ proprium, quãq; accidens enũciari Animal enim de homine, equo, ac ſerpente dicitur; quadrupes de iis tantum quæ quatuor pedes habent: homo de indiuiduis ſolis: hinniens de equo ſolo, & ſingularibus: eodemq; modo de paucioribus accidens. Sumendæ autem differentiæ ſunt quibus genus ſecatur, non quibus generis natura conſtituitur: ſed quibus id diuiditur. Præterea genus differentiam poteſtate continet, (nam animalium alia rationis expertia ſunt, alia ratione utentia) differentiæ autem genera non complectuntur. Deinde, genera ſuis ſunt differentijs priora. Itaque ſi perimantur, ſecum perimunt differentias. Perempto enim animali, rationis particeps & expers perimuntur. Differentiæ autem ſi tollantur, tolli genera non eſt neceſſe. Nam ut omnes tollantur, tamen eſſentia animata ſenſus particeps (quod animal eſt) intelligitur. Tum uerò genus in eo quod quid eſt, differentia in eo quod quale quid eſt (quemadmodum dictum eſt) effertur. Adhæc genus in formis ſingulis unum eſt, ut hominis genus, eſt animal: multæ differentiæ, ut rationis particeps, mortale, mentis & ſcientiæ capax, quibus ab animantibus alijs ſecernitur. Poſtremò, genus materiæ ſimile eſt: formæ, differentia. Cum autem & alia communia ſint & propria, generis, & differentiæ, hæc ſufficiant.

Poſtquam explicauit quid generi cum differentia commune ſit, nunc ea quo modo inter ſe differant oſtendit. Differentiæ autem duas in partes hoc tempore diſtribuendæ ſunt, duobus enim modis ſpectari differentias diximus, uel ut conſtituũt, formarumq; ſunt procreatrices, uel ut genera in partes & formas diducunt.

SVMENDÆ autem differentiæ ſunt quibus genus ſecatur} Sumendæ ergo ſunt, inquit, differentiæ, non quæ generis uim naturamq; complent (tum enim generum differentiæ non ſunt, ſed formarum) uerum hæ, quibus genera in partes diuiduntur. Nam hæ generum ſunt. Siquidem ad plura animal quàm illæ pertinet. Iis enim quæ ſpecies efficiunt, arctius comprimitur.

EODEMQVE modo de paucioribus accidens} At qui plures in res accidens quam genus transfertur. Nam ater non ad animalia ſolum, ſed etiam ad inanima pertinet. Quid cauſæ eſt igitur quamobrem de paucioribus id exprimi dicatur? Dicimus ea quæ ſub eodem genere continentur (ut accidens quod in animantibus uerſatur) anguſtius cogi quam genus. Nigror enim in omnibus non ineſt animantibus. Eodemq; modo accidens quod plantæ complectuntur peræquè latè ac plantæ non patet.

PRÆTEREA genus differentiam poteſtate continet} Peripateticorum enim ratione dictum iam a nobis eſt differentias ui ſua in generibus propriis priores differentiis reperiri.

ADHÆC genus in formis ſingulis unum eſt} Aliud eſt generis & differentiæ diſcrimen. Genus enim quaque forma & ſpecie unum, differentiæ in formis ſingulis ſunt multæ.

POSTREMO genus materiæ ſimile eſt} Iam enim diximus, in multis generibus maximè naturale materiæ: differentiam, formæ reſpondere.

CVM autem & alia communia ſint} Multa inquit eſſe præterea quæ generis differentiæq; propria ſint, & communia, hæc tamen ſatis multa eſſe. Horum enim naturæ communis etiam ratio eſt. Nam ut genus, ſic eſt naturalis differẽtia. Tum horum quoque commune eſt, eadem ratione & definitione enunciari, ut enim genus de omnibus formis q̃ ei ſubiectæ ſunt una ratione dicitur, ſic & differentia. Quin etiam hoc utrunque ab altero diſcrepat, ꝙ genus, ut animal, cum genere non copulatur, ut inde aliquid oriatur, differentiæ autem cum aliis differentiis coniunguntur, ac quippiam efficiũt. Siquidem quod rationis eſt particeps, quodq; mortale, ac mentis & ſcientiæ capax in unam naturamq; hominis concluduntur.

DE COMMVNITATE *generis & ſpeciei.*

GEnus autem & ſpecies commune quidem habent, de multis, ut dictum eſt, efferri. Sumatur autem ſpecies ut ſpecies ſolum, non etiam ut genus, ſi fuerit idem & ſpecies & genus. Commune etiam eorum eſt, quòd ea priora iis ſint in quibus dicuntur, quodq; totum quoddam utrunque ſit.

Poſtquam genus cum differentia comparauit, & quid commune habeant, quoq; differant expoſuit, nunc genus cũ ſpecie confert, ac quid ea commune habeant oſtendit.

SVMATVR autem ſpecies ut ſpecies} Præclarè, Ut ſpecies, additum eſt, ne ſpeciem ultimam ſumas. Ea enim nõ etiam de multis affirmatur, uel ὑπάλληλον, ut ὑπάλληλον id eſt ſubalterna, ut barbari loquuntur. Nam quæ ſub idem genus ſubiecta ſunt, genera & ſpecies eorum quæ poſt hæc poſita ſunt cenſentur, ac reperitur rurſum genus. Verum et ſi id ὑπάλληλον fuerit, ea tamen illud ratione ſumito qua ſpecies eſt, non qua genus, ut genera cum formis, non etiam inter ſe, committas.

COMMVNE etiam eorum eſt, quod ea priora iis ſunt in quibus dicuntur} Ob hanc rationem communitatem præſtruxit, quæ ea in multis dici aſſerit, ut dicat hæc priora eſſe iis de quibus enunciantur.

DE DISCRIMINE GENERIS *& ſpeciei.*

SED hoc intereſt, quòd genus ſpecies ac formas cõplectitur: Species autem continentur, non genera comprehendunt. De pluribus enim genus quàm ſpecies enunciatur. Inſuper genera præponi oportet, eaq; informata ſpeciei efficientibus differentijs, ſpecies abſoluere. Quamobrem priora ſunt naturæ ordine genera, quippe quæ perimant quidem: at non perimantur. Etenim ſi ſpecies ſit, genus etiam omnino eſt. Si uerò genus ſit, non omnino eſt ſpecies. Ac genera quidem una ratione de formis ſuis efferuntur: formæ de generibus non item. Nã genera hoc uincunt, quòd formas quæ eis ſubiectæ ſunt complectuntur: ſpecies uerò genera proprijs ſuperant differentijs. Deinde neque ſpecies, in genus ſummum poſſit euadere, neq; genus ad ultimam ſpeciem aduenit.

Qua ratione hæc differant,inſtituit docere : perſpicua e-nim prima differentia eſt. Quæ autem in generibus uerſa-tur præponi debet. Nam animal (ut dictum iam a nobis eſt) quaſi materia præſtructum eſt. Idq́, cum rationem & morta litatem acceperit, hominē efficit. Præterea genus eſt animal ſpecies homo.

QVAMOBREM priora ſunt naturæ ordine gene ra} Duæ ſunt regulæ,ut dixi,quibus quæ ſunt naturæ ordi-ne priora ſecernuntur. Prima eſt,quæ priora ea eſſe ait,quæ tollunt,non tolluntur. Veluti,ſi perimatur animal nihil loci homini relinquetur: at uerò ſi homo tollatur,animal perma nebit. Itaque priora ſunt naturæ ordine formis genera. Secū da porrò regula eſt,quæ prius id conſtituit, quod infertur non tamen infert. ut,ſit homo,infertur utique & animal: ſit animal,induci hominem non eſt neceſſe. Quocirca utraque regula natura formis priora ſunt genera. Si enim ſit genus, non infertur omnino ſpecies. At ſi ſpecies conſtituatur, ge-nus etiam erit. Genera autem formæ ſuperant. Etenim for-mæ reuera,quæ ipſas complent & efficiunt,differentias cō-plectuntur.

DE COMMVNITATE GE-
neris & proprii.

G ENERI *cum proprio hoc commune eſt,quod ſpe cies utrunque ſequatur, Nam ſiquid homo eſt, animal eſt: & ſiquid homo eſt,aptum eſt ad riſum. Illud etiā quod æque genus de formis dicitur , ac proprium de ijs quæ illo participant indiuidua. Æquè enim homo atque bos animalia ſunt: ac Anytus & Melitus,ad riſum nati. Cōmune hoc etiam eſt,quod una ratione genus de formis, & proprium de ijs quorum eſt pro prium dicitur.*

Vbi cum ſpecie genus contulit,nūc cum proprio ipſum comparat. Sequi autem dicitur,aut maius minus neceſſariò: ut hominem animal. Nam ſi homo ſit,animal etiā erit. Aut par res,parem: ut hominem rurſum aptum ad riſum. Nam ſi homo ſit,continuò aptum ad riſum ſit neceſſe eſt.

COMMVNE hoc etiam eſt,quod una ratione } Vi-des,ut propter affinitatem hanc,naturalibus germanum , ac penè conſanguineum proprium eſſe dixerimus , & iis quæ naturam ſuam omnem in ſubſtantia cohærentem habent: ꝓ piusq́, ad uim naturalium accedere.

DE DIFFERENTIA GE-
neris & proprii.

I NTER *ea autem intereſt, quòd genus prius eſt, po ſterius proprium. Debet enim eſſe animal: deinde diffe rentiis atque proprijs diſtingui. Iam de multis formis genus dicitur: proprium, de una ſola quapiam ſpecie, cuius eſt pro prium. Præterea conuerſim proprium & id cuius proprium eſt dicuntur: genus autem conuerſim de nullo dicitur. Neque enim ſi-quid animal eſt, homo eſt, neque ſi animal, ad riſum natum : homo uerò natus ad riſum eſt, & uiceuerſa. Præterea proprium ſpeciei omni, cuius eſt proprium, conuenit, & ſoli, & ſemper: Genus au tem in omni quidem ſpecie cuius eſt genus, & ſemper: non etiam in ſola , reperitur. Præterea ſublata propria, genera ſimul non tollunt: at uerò perempta genera ſpecies perimunt, quæ pro-pria complectuntur. Quare ijs quorum propria ea ſunt ſublatis, ea quoq; tolluntur.*

Quo modo inter ſe conueniant poſtquam expoſuit, nūc quo differant oſtendit. Prius autem non naturæ, ſed tempo rum ordine dicitur.

AT VERO perempta genera ſpecies perimunt, quæ propria complectuntur} Ergo ſi genera tollantur , propter ſpecies interiectas peremptas, ſtare ipſa propria nequeunt. Homo enim ſi perimatur, aptum etiā ad riſum ſecum unà tollit. Idq́, meritò. Nam ſi formis peremptis conſtare pro-pria nullo modo poſſunt, ſublatis autem generibus formæ tollūtur: generibus igitur peremptis ſupereſſe propria non poterunt.

DE COMMVNITATE GE-
neris & accidentis.

G ENERI *porrò cum accidente commune eſt , de multis (ut diximus) enunciari: ſiue ſeparari id accidens poſſit, ſiue non poſſit. Etenim & motus de multis , & nigrum de coruis, atque Æthiopibus, aliisq; inanimis quibuſdam, dicitur.*

Differt uerò ab accidente ea parte genus, qua longiſſimè ab eo recedit. Itaque communitas tradi facilè non poteſt, quia minima eſt: diſcrimen explicari nullo negocio poteſt. Nam quæ plurimum inter ſe diſcrepant, in multis eorū par tibus diſſentiunt, quemadmodum in iis quæ ſocietate inti-ma coniunguntur, differentiam in procinctu non eſt redde-re: communitatem facile: ueluti, facile eſt canis & lupi diſcri men exhibere, ac palumbi & columbæ: differentiam autem non item. Præterea quid homo à formica differat facile & expeditum eſt proloqui: quo autem pacto cum ea conue-niat, difficile. Atque (ut ſummatim complectar) quæ longe à ſeinuicem recedunt, quæque aperto diſcrimine ſeparantur communitates paucas habent, & uarietates permultas. Quæ autem non diſcrepant, ſed inter ſe conſentiunt, differentiam ſunt raram ſortita, ac communitatem multam.

DE DIFFERENTIA GE-
neris & accidentis.

D *Iffert autem genus ab accidente, quòd formis genus prius eſt: accidentia uerò ſunt poſteriora formis. Nā etſi immotum ac inconcuſſum accidens ſumatur, tamen id cui aliquid accidit, accidente prius eſt. Hoc etiam, quòd quæ ge-nere participant, æquè ipſo participant: quæ accidente, non æquè. Contentionem enim & remiſſionem accidentum recipit participa tio: generum uerò, non item. Et in indiuiduis primò conſiſtunt acci dentia: genera autem & ſpecies natura priora ſunt indiuiduis ſub ſtantijs. Item, genera in eo quod quid eſt de iis quæ ſub eis ſunt: ac cidentia autem in eo quod quale quid eſt, dicuntur, & quo modo ſe habet unumquodque. Nam qualis eſt Æthiops ſi rogaris, nigrum eſſe reſpondes: ſi quo modo ſe habeat Socrates, ægrotare, cum uel ualere inquis. Ac quibus quidem rebus à cæteris genus differat, diximus: neque ſecus reliquas à quatuor aliis differre contingit. Quare quinque cum ſint uoces, ſingulæq; ab alijs differant qua-tuor, effici uidetur, ut quater quinque ducta, uiginti differentias omnes expleant. Sed non ita eſt: Verum cum ſequentium ra-tio enumeretur , ac non præcedentium , duæ uoces una carent differentia, propterea quòd iam ſumpta ſit, tres uerò, duabus, qua tuor, tribus: quinque, quatuor: ac reſtat ut decem tantum ſint diffe rentiæ: quatuor, tres, duæ, una. Genus enim quid à differentia , & ſpecie, & proprio, & accidente differat, diximus. Quare qua-tuor hinc exiſtunt differentiæ. Differentia autem quid à genere differret docui, cum quid ab ea genus diſcreparet, oſtendi. Reli-quum eſt igitur, ut quid differat ſpecies, à proprio & accidente dicamus: quæ tria ſunt diſcrimina. Rurſus quid ſpecies ad differen tia tum dixi, cum quid differentia à ſpecie diſtaret expoſui. Quid etiam à genere differat ſpecies dictum eſt , cum quid à ſpecie ge-nus differret dicebatur. Supereſt igitur, ut quid à proprio et acci dente differat ſpecies, dicatur: quæ duæ erunt differentiæ. Itaque*

proprij cum accidente reſtabit differentia. Nam quid à ſpecie, & differentia, & genere differret, antè docui, cùm quod hæc inter ſe diſtarent traderem. Cùm igitur generis cum cæteris quatuor diſcrimina ſumantur: differentiæ, tria: ſpeciei, duo: proprij cum accidente, unum: ſanè in ſumma decem omnia erunt: è quibus quatuor (generis inquam cum uocibus alijs) iam oſtendimus.

Q uoniam igitur plurimum inter ſe genus & accidens diſferunt, minima eorum eſt communitas, & differentia multa: quò ſanè factum eſt ut unam eorum cõmunitatem Porphyrius oſtenderit: diſcrimina uerò permulta.

CONTENTIONEM enim & remiſsionem accidentium recipit participatio} Nam homo, & equus, cęterę'q; ſpecies, æquè animali participant. Animantes enim per ęquè ſunt: ſecus corpora candore imbuta atque atrore eſſe dicuntur. Alio enim candidius aliud atriuſque nominatur.

AC QVIBVS quidẽ rebus à cæteris genus differat, diximus} Hinc tradere Porphyrius inſtituit, quot affectiones ex comparatione quinque inter ſe uocum oriuntur. Naſci enim collationes dixit, non, ut quiſpiam arbitretur, uiginti: propterea quòd bis unaquæque, uocum quinque, cum alia conferatur, ut quater quinque ducta uiginti in ſumma diſcrimina omnia conficiant. Sed quandam nobis in preſentia uiã oſtendit, quam & paulò ante attigimus, ex qua affectionum nobis, quas collatæ inter ſe uoces pariant, ineunda ſit ratio. Ait enim (quẽadmodum à nobis anteà dictum iã eſt) propoſitum nobis numerum, in eum qui ſit unitate inferior ducendum eſſe: productorum'q; ſumendum dimidium, ac tondem affectiones effici conſtituendum: ueluti, in re inſtituta, quinarius ducẽdus in quaternarium unitate minorem erat, ex quo uiginti naſcuntur: atque horum ſumendum dimidium, unde denarius colligitur. Tot ergo uocum inter ſe quinq; ſunt cõparationes. Porrò cauſa quamobrem ita agamus, hæc eſt. Singulas uoces enim alijs quatuor conferri neceſſe eſt, ob eamq; cauſam, quater quinq; ducimus, fiunt'q; affectiones uiginti. Sed quoniam bis affectiones ædem in unum conferuntur, idcirco dimidium accipimus. Cum enim cum alijs quatuor genus confertur, id cum differentia committi perſpicuum eſt. Itaque ſi differentiam cum cæteris quatuor conferamus, ut duobus modis res eadem comparetur continget. Quod idẽ in reliquis omnibus euenit. Atque etiam alia eſt nobis eſt ratio, ex qua affectionum numerus, qui ea uocum quinque cõparatione inter ſe relinquitur, intelligi facilè poteſt. Nam ſi uoces aliquæ fuerint, eæque ſibi inuicem adijciantur, iuxta unamquamque uocem totidem affectiones concludentur. Sin enim (uerbi cauſa) propoſitæ uoces quinque. Ex prima igitur collatio nulla oritur: altera ſi addatur, una exiſtet comparatio: quandoquidem una eſt uox propoſita: tum ſi altera etiam aduoluatur, duæ emergent, pro uocum numero. Quare tres actiones exiſtent. Cum uerò ad tertiam uocem uentũ erit, duarum ratio habebitur, relinquẽtur'q; ſex collationes: poſtremò cum ad aliam etiam, quatuor: decẽ ut omnia fiant. Porrò duci hæc etiam ratio inuitq; poteſt, Singulæ uoces cum reliquis quatuor ſunt comparandæ. Cum igitur genus cum reliquis quatuor comparatur, quatuor efficiuntur affectiones: differentia autem collata iam cũ genere eſt, cum genus cum ea conferretur. eadem enim eſt ratio. At ſi cum reliquis tribus conferatur, tres relinquentur: ut ſeptem oriantur. Rurſum ſpecies cum genere & differentia commiſſa eſt, cum genus cum ipſa contulimus. Cum duobus reliquis id ſi componatur comparationes duæ naſcentur, adeò ut nouẽ hinc oriantur. Præterea cum genere, differentia, ac ſpecie cõmiſſum eſt proprium, cum illa cum eo componerentur. At uerò id ſi cum accidente comparetur, efficitur unica affectio. Quare decem relationes uniuerſæ concluduntur. At enim affici ad reliqua accidens non poteſt, nec cum illis ratione aliqua conferri, id enim cum omnibus iam eſt comparatum, quando illa cum eo conſererentur. Perſpicuum igitur iam eſſe debet omnes in ſumma affectiones quatuor relinqui, tres, duas, & unam. Ac generis quidem cum alijs uocibus collationes, quatuor colliguntur, differentiæ, tres: ſpeciei, duæ: proprij una quæ illi eſt cum accidente. Itaque ex iis in unum collatis omnibus decem fiunt. Iam uerò cum genere comparatum non eſt proprium, quoniam cum eo genus collatum iam eſt.

RELIQVVM eſt igitur} Eadem enim generis eſt ad differentiam affectio, quæ differentiæ eſt ad genus: at differẽtiæ non amplius comparatur genus uerum cætere ſolum uoces, quæ ipſam ſequuntur.

DE COMMVNITATE SPEciei & differentiæ.

COMMVNE *ergo differentiæ cum ſpecie eſt, quòd utriuſque æqua communio eſt. Æquè enim ſinguli homines hominis, & rationis differentia participant. Hoc etiam eis commune eſt, quòd ſemper adſunt ijs, quæ eis participant. Semper enim Socrates eſt præditus ratione, & ſemper homo. Proprium autem differentiæ eſt, in eo quod quale quid eſt dici: ſpeciei, in eo quod quid eſt. Nam etſi homo qualitate aliqua affectus ſumitur, non omnino qualis erit: ſed ut cum genere coniunctæ differentiæ ipſum conſtituerint. Porrò differentia in multis ſæpe formis cernitur, ut quadrupedes in multis animantibus ſpecie differentibus: ſpecies autem in ſuis ſolum indiuiduis reperitur. Præterea prior eſt differentia ſpecie, quæ propter ipſam eſt. Hominem enim ſublatum rationis particeps tollit homo uerò ſi perimatur, rationis particeps (quoniam ſuperſit angelus) non perimet. Iam differentia cum alia differentia componitur, nam hominem ratio mortalitasq; conſtituunt: ſpecies uerò cum ſpecie non committitur, ut alia quædam ſpecies exiſtat. Nam cum aſina aliqua equus quiſpiam coit, ac muli generationem: at ſi omnino cum equa aſinus coeat, nunquam mulum conſtituat.*

. Ad ea quæ ſpeciei cum differentia communia ſunt, & reliquis, progreditur: in eoq; inſiſtit, ac uelut obtento fine conquieſcit. Communitates itaq; differentiæ & ſpeciei duas tradit: diſtinctiones permulta. Ac primum differentiæ propriũ eſſe ait, in quæſtione dici qua quale quicq; ſit, ſpeciei uerò in ea qua quidque ſit, quæritur. Et quod ab aliquo in dubium uerti potuit, in progreſſu ipſe diſſoluit. Cauſam enim reddit quamobrem cum rogatur qualis res ſit, differentia poſſit reſponderi commodè: cum uerò quid ea ſit quærendo inueſtigatur, ſpecies. Quanquam & homo quale quodpiã animal nuncupatur. Si enim quid ſit Socrates rogemur, aptè animal reſpondebimus: at quale animal ſi ſit requiratur à nobis, hominem eſſe accommodatè reſpondebimus. Itaque ſpecies cum quale quid ſit quæritur, dicitur. Ait ergo ſpeciem qualitatem non eſſe propriè, ſed eò ſolum quod è differentiis eſt conſtituta. Dici enim in quæſtione qua rei uis & natura exquiritur, acceptas à generibus formas atque ſpecies habet: in ea uerò qua quale quid ſit quæritur, à differẽtiis. Quale enim animal ſit ſi quis rogarit, rationis particeps & mortale ſcitè reſpondemus. Species autem id ſunt à differentiis cõſecutæ.

IAM differentia cum alia differentia} Diſcrimen aliud differentiæ & ſpeciei exhibet. Nempè differentiam cum alia differentia copulari, ut aliud inde quippiam oriatur: quemadmodum quod rationis eſt particeps, quodque mortale, in hominis naturam atque eſſentiam concluſa ſunt. porrò uniuerſus homo ſi cum uniuerſo equorum genere coniugatur, nihil poteſt gignere. Ratio autem uniuerſa ſi cũ uniuerſa mortalitate cõponatur, hominem conſtituet. Quòd ſi ex equo & aſina mulus naſcatur, tum non ex uniuerſis, ſed ex ſingulis rebus exiſtet. Aſinam enim ſi equus contrectet, mulum creauit: non is communis quidem & generalis: ſed ſi cũ aſina hæc coeat & committatur hic equus. Præterea coniunctæ differentiæ ad ſpeciei unius generationem, ſi nihil inter ſe patiantur, ſuam quæque naturam nanciſcitur: ueluti, ad unius hominis procreationẽ ratio mortalitasq; cõcurrunt, itemq; id quod mentis atque ſcientiæ capax eſt, nec ab horum

quoquam

quoquam occulluntur. At ſi aſinam equus ineat, indeq́; mulus naſcatur, quia ſpecies nõ ſunt, ſed indiuidua: idcirco ſuam in producto mulo eſſentiam neutrum ſynceré conſer uauit. Sed aliud repentè quippiam, corrupta utriuſq; natu ra, extitit. Quocirca cum ſpecie ſpecies non copulatur.

DE COMMVNITATE ET DISCRI- *mine, differentiæ & proprij.*

DIFFERENTIA *autem & proprium commune habent, quód æquè illis participant ea, quibus communicantur. Aequè enim id omne quod particeps eſt rationis, ratione participat: & æquè, ad riſum apta ſunt ea, quæ ſunt ad riſum apta. Illud etiam commune eſt, ſemper, & omnibus iis conuenire, in quibus ipſa perſpiciuntur. Etſi enim bipes pede altero priuetur, tamen ad id quod natum eſt ſemper dicitur. Nam & aptum ad riſum ex eo id quod natum eſt intelligitur: nõ quód rideat ſemper. Sed proprium differentiæ eſt, ſæpè de formis dici pluribus, ut de angelo, & homine, rationis particeps: proprij autem, de una ſpecie, cuius eſt proprium. Inſuper differentia, ea quorum eſt differentia ſequitur: non tamen recurrit: propria uerò conuerſim de iis quorum ſunt propria dicuntur, propterea quód conuertuntur.*

Communitates duas differentiæ atque proprii tradit: quod æqua utriuſque fiat participatio: quodq́, ſemper ea conue niant iis, in quibus perſpiciuntur. Neq; enim Socrates ma gis eſt rationis particeps quàm Plato: neq; ad riſum aptior. Quòd ſi alium alio magis compotem rationis eſſe dicimus, aliud quippiam tum ex eo, quod maiore quadam ratione prædi tũ eſt, atque aliud ex eo, quod ratione utitur, intelligimus. Nec ratione inſtructam atq; ornatam hoc loco eſſentiã uo namus: ſed ad capeſſendas diſciplinas ratione præditam af fectionem, animiq́, adeò quaſi habilitatem. Homo autem ſemper eſt rationis particeps, ſemperq́, ad riſum ingenium aptum habet. Semper uerò aptus ad riſum eſt, non quod ſem per rideat: ſed quod natura ad ridendum ſit aptus ſemper. Iam duo affert diſcrimina. Differentia enim ſpecies multas continet. Proprium autem in una ſpecie cuius eſt propriũ reperitur. Illud etiam, quod differentia quanquam ſpecies comitatur, non tamen uiciſſim retrò commeat: ſiquidem iſta ſic reciprocantur, ut ſiquid homo ſit, ſit rationis particeps: non tamen ſic uiciſſim, ut ſi rationis ſit particeps, homo ſit. At uerò proprium & uiciſſim retrò commeat cum iis quo rum proprium eſt, & ea ipſa conſequitur. Siquid enim ho mo eſt, aptum eſt ad riſum: & ſiquid aptum eſt ad riſum, ho mo eſt.

DE COMMVNITATE ET DI- *ſcrimine, differentiæ & accidentis.*

DIFFERENTIÆ *autem id cum accidente commune eſt, quód de pluribus utrunque dicitur: commune uerò & cum accidentibus iis quæ ſeparari non poſ ſunt eſt, quód & ſemper, & omnibus, quæ complectitur, conue niat. Bipes enim ſemper homini competit, & coruis omnibus, & quod nigri ſint, ſimiliter. Differunt autem, quoniam differentia continet ſpecies, nec continetur (nam & angelum, & hominem particeps rationis comprehendit) accidentia uerò modo quidem quodã continent, eò quód in pluribus ſunt: aliquo uerò modo continentur, quoniam non unius modò accidentis capacia ſunt ſubiecta, ſed plu rium. Præterea nec contendi nec remitti differentia poteſt: at ac cidentia & augentur, & minuuntur. Inſuper permiſceri nequeũt oppoſitæ differentiæ: miſceri autem nonnunquam poſſunt & contraria accidentia. Et huiuſmodi quidem communitates ſunt ac proprietates, differentiæ, & aliorum. Species autem quid à genere dif ferat, & differentia, tum diximus, cum quid à cæteris genus differret, ac differentia oſtendimus. Reſtat igitur ut quid ſpecies à proprio diſtet & accidente doceamus.*

Accidentis etiam & differentiæ communitates duæ ſunt. Communis eſt enim differentiæ cum accidente de multis dicendi ratio, quodque ea ſemper formis conueniant. Sed prior quidem communitas tam fixis & inconcuſſis acciden tibus, quæq; elui funditus nequeunt, quam iis quæ poſſunt ab eo in quo inhærent ſeparari conuenit: poſterior in fixum & immobile ſolum cadit. Non enim ſemper homo ſedet, quemadmodum niger coruus ſemper eſt. Diſtinctiones au tem tres ſunt. Nanque ſpecies differentia continet. Latius enim rationis particeps quàm homo patet. Accidentia uerò & continentur, & continet. Nam ut ator non in Æthiope ſo lum, uerumetiam in coruo & aliis quibuſdam cernitur, con tinet: ut uerò & alia in Æthiopem cadere accidentia poſſunt cõtinetur. Iam uerò modo quodam adiecit, quoniam pro priè accidentia neque continentur, neque continent. Non eſt enim Socrates alio rationis particeps magis, niſi doctri na ſolum, quæ habilitas animi quædam eſt: rationis compo te eſſentia (ut ſupra dixi) non item. Præterea accidens intẽ tionem capit & remiſſionem. Etenim Æthiops alius alio Æthiope nigrior eſt. Inſuper contrariæ differentiæ miſceri iungiq́, inter ſe non poſſunt: non enim rationis particeps experſq́, rationis coniunguntur. Ator autem & nigror per mixta, rubidum colorem ruſumq́; conſtituunt. Quare poſ ſunt oppoſita inter ſe accidentia permiſceri.

DE COMMVNITATE *Speciei & proprij.*

COMMVNE *igitur ſpeciei cum proprio id eſt, quód de ſe mutuò enunciantur. Nam ſi quid homo eſt, aptum eſt ad riſum: & ſiquid aptum ad riſum, homo. Iam aptum ad riſum ex eo intelligendum eſſe quod ad ridendum natum ſit, ſæpè diximus. Commune etiam eſt, quód ex æquo in ſunt. Nam ex æquo ſpecies in iis inſunt, in quibus reperiuntur: & propria in iis quorum ſunt propria.*

Abſoluta differentiarum explicatione, ad ſpeciem acceſ dit: dicitq́, ſpecies quid a genere differat & differentia, quid que cum illis commune habeat, dictum eſſe tum, cum illa cũ hac conferrentur. Supereſt igitur ut quid a proprio & acci dente interſit, dicamus. Speciei igitur cum proprio commu nitates duæ ſunt. Quòd inter ſe reciprocentur, & retrò cõ meent. Siquid enim homo eſt ridendi habet facultatem: ac ridendi ſiquid habet facultatem, homo eſt. Riſus autem fa cultas ex eo quod natum quippiam ſit ad riſum, intelligen da eſt. Quodque æquè & ſpecies iis cõueniant quibuſcum communicentur, & propria iis quorum ſunt propria. Æquè enim (quod ad naturæ rationem attinet) & rationis particeps quiſq; eſt, & ad riſum aptus. Multas autem differẽ tias exponit. Nimirum quoniam ſpecies aliorum eſſe ge nus poteſt, ut animal, quod animati ſpecies eſt, hominis au tem ac equi genus.

DE EORVM DIFFERENTIA.

HOC *uerò differunt, quód ſpecies aliorum eſſe genus poteſt: proprium autem aliorum ut ſit proprium fieri non poteſt: quodq́; ſpecies antè cohæret, quàm proprium: proprium autem ſpeciei accidit. Hominem enim eſſe oportet, ut aptum ſit ad riſum. Adhæc ſpecies actu ſemper in ſubiecto ineſt: proprium interdum, & poteſtate. Actu enim ſemper Socrates homo eſt, ridet autem non ſemper: quanquam ad riſum ſemper natus eſt. Præterea quorum definitiones diuerſæ ſunt, ea interſe, diſcrepant: at ſpeciem eam dicimus, quæ ſub genere ſubiecta eſt*

quæque de multis numero differentibus in eo quod quid eſt dicitur, & ſi quid eſt eiuſmodi: proprium, quod ſoli, & omni, & ſemper, conuenit.

Speciem ὑπάλληλον hoc eſt ſubalternam barbaris appellatam, non ultimam, intelligit. Proprium autem alterius eſſe proprium non poteſt. Ac ſpecies proprio prior eſt, ſiquidē nuſquam niſi in homine eſſe poſſit riſus facultas: propriū uerò ſpecie eſt poſterius. Deinde, ſpecies in ſubiecto reipſa actuq; ſemper eſt (ſemper enim Socrates homo eſt), proprium autem in re ſubiecta ſemper non ineſt reipſa, ſed ſola interim facultate. Non enim ſemper ridet homo, quanquam ſemper ad riſum aptum animum habet. Tum uerò, quorum diuerſæ adſeruntur definitiones, ſunt omnino & ipſa diuerſa. Hoc autem reliquis etiam uocibus quatuor accommodari poteſt. Etenim in genere & reliquis dicere etiā poſſumus, Quorū definitiōes diuerſæ ſūt, ea iter ſe differre.

DE COMMVNITATE
ſpeciei & accidentis.

SPeciei autem cum accidente commune quidem eſt, de multis enunciari. Raræ uerò ſunt aliæ communitates, quoniam accidens, & id cui accidit aliud, diſtant inter ſe plurimum.

Speciei cum accidente communitatem unam tradit, diſtinctionesq; uarias. Porrò cauſam etiam affert, quamobrē conuenientiam unicam multasq; differentias explicet: de qua & nos paulò antè diximus. Nempè quia inter quæ latum ſit diſcrimen, in iis raras conuenientias, multaq; diſcrimina reperiuntur. Contra autem quæ intima naturæ ſocietate conſtricta ſunt, paucas diſſimilitudines, multasq; communitates ſortiuntur. Vtriuſque igitur id commune eſt, q̄ in multis dicantur. Nam homo, & de Socrate, & de Alcibiade reliquiſq; enunciatur. Itemq; nigror de Æthiope, & de coruo, & de aliis præterea multis.

DE EORVM DIFFERENTIA.

PROPRIA uerò ſunt utriuſque: ſpeciei quidem in eo quòd quid eſt de iis quorum eſt ſpecies dici: accidentis autem in eo quod quale quid eſt, aut quomodo ſe habet. Et quòd unaquæque ſubſtantia ſpecie una participet: accidentibus uerò multis, iis quæ ſeparari poſſunt, & quæ non poſſunt. Præterea ſpecies antè intelligitur quàm accidentia, etiam ſi ea ſeparari non poſſint. Prius enim conſtare ſubiectum decet, ut ei quippiam accidat. Accidentia autem poſterius naſci ſolent, habentq; ſuam omnem naturam in ſubſtantia cohærentem. Adde, quòd ſpeciei æqua ſit participatio: accidentis autem, etſi id ſeiungi non poſſit, non item. Æthiops enim Æthiope habebit colorem uel intenſum magis uel remiſſum iuxta nigrorem. Nam Æthiops alius alio nigrior reperitur. Nunc reſtat ut de proprio & accidente dicamus, Nam quid à ſpecie, & differentia, & genere differat proprium, diximus.

Proprium autē ſpeciei eſt in quæſtione qua quid quidque ſic quæritur, de iis dici quorum eſt ſpecies: accidentis autem in ea qua quale quid ſit, aut quomodo affectum ſit. Vt enim affectus ſit Æthiops ſi rogemur, ægrotare eum uel ualere dicimus. Species autem quanquam in quęſtione qua qualitas inueſtigatur dicitur, id tamen a differentiis hauſit, ut ſupra diximus.

QVOD unaquæque ſubſtantia ſpecie una participet, accidentibus uerò multis} Vt, narium aduncitate, ſimitate, nigrore. Præterea prior eſt ſpecies, atque poſterius accidēs: hominem ſiquidem prius eſſe oportet, ac nigrum eſſe deinceps. Inſuper ſpeciei æqua eſt parq; communio. Nam ratione eadem Socrates ac Plato homines ſunt: atri autem & candidi, non item.

REPERITVR enim Æthiops alius, alio Æthiope nigrior} Ad ea quæ proprio ſunt cum accidente communia pergit, ac diſputationem abſoluit. Ait ergo quid proprium a ſpecie, quid a differentia & genere differret, dictum eſſe, quando illa cum eo comparabantur.

DE COMMVNITATE PRO-
prij & accidentis.

COMMVNE autem proprio cum accidente quod ſeparari non poteſt eſt, quod præter ea nunquam illa conſiſtant in quibus perſpiciuntur. Vt enim ſine riſus facultate non conſiſtit homo, ſic nec ſine nigrore conſtare Æthiops non poteſt. Ac quemadmodum ſemper & omni adeſt proprium: ſic et indiſcretum accidens.

Meritò fixum accidens, quodque ſeparari non poteſt annexuit. Hæc enim ſi ſecernantur, facile illud (accidens inquā mobile) ſecerni etiam poterit. Quod ad alia uerò pertinet, nulla penè proprio cum accidente quod ſeiungi poteſt cōmunio eſt. Itaque commune hoc proprio cum indiſcreto accidente eſt, quòd illa in quibus cernuntur, conſtare ſine ipſis nullo modo poſſunt. Nam ut ſine ridendi facultate hominem, ita ſine nigrore coruum non reperias: Et quemadmodum ſemper homo ad riſum aptus eſt, ſic niger ſemper coruus eſt. Porrò autem nec in formis quoque omnibus ſemper illud ineſt accidēs quod reuelli de ſubiectis poteſt, neque enim homo ſemper ſedet, & eo interdum nudus deſtitutusq; cernitur. Socratem enim, ut non ſedeat, intelligere poſſumus. Ad eas igitur res, quarum inter ſe ſocietate proprium & inconcuſſum accidens coniunguntur accidens qđ abeſſe poteſt non accedit. In iis uerò quibus differunt, maximè & illud a proprio diſcrepat.

DE EORVM DIFFERENTIA.

Differunt autem quoniam proprium uni ſoli ſpeciei adeſt, ut homini aptum eſſe ad riſum: indiſcretum uerò accidens, ut nigrum, non ſolum Æthiopi, ſed etiam coruo adeſt, & carboni & ebeno, & quibuſdam aliis. Præter ea proprium conuerſim de eo cuius eſt proprium dicitur, & æquè patet: accidens autem quod ſeparari non poteſt conuerſim non dicitur. Et propriorum quidem æqua eſt participatio, accidentium uerò alia maior, & alia minor. Sunt quidem aliæ communitates & proprietates eorum quæ dicta ſunt: ſed hæc ſufficient ad diſcretionem eorū, communitatiſq; comprobationem.

Differt autem ab accidente perpetuo proprium, q̄ proprium uni modo ſpeciei conuenit. Id enim quod ad riſum aptum eſt, in homine ſolo ſpectatur: nigror autem, quod accidens eſt immobile, non ſolum homini conuenit, ſed coruo etiam, aliiſq; permultis. Atque proprium quidem, & id cuius eſt proprium reciprocantur, quò fit etiam ut in omnibus æquè inſint. Nam ſiquid homo ſit, etiam aptum erit ad riſum: & ſiquid aptum ad riſum, homo. Æquè enim ad riſum Socrates & Plato proni procliuesq; ſunt. Accidens autem id quod ſeparari non poteſt, non reciprocatur: ob cāq; cauſam, nec æqua quidem eius ſit participatio. Nam ſiquid coruus eſt, atrum eſt. non ſiquid atrum, coruus. Atq; etiā (ut antè dixi) Æthiops alius alio colore nigro pōt magis imbui & infici. Alius uerò alio ad riſum non eſt aptior. Intelligendum eſt autem, Porphyrium non dicere illa in quibus proprium atq; accidens perſpiciuntur, conſtare abſq; illis non poſſe (nam eſſentia ui ſua cohæret,) ſed ſine proprio & accidente conſtare naturas nullo modo poſſe: non quia naturæ ſint, ſed per ſeſe, propria, inquam, & accidentia. Nam muſicus Socrates, ut Socrates eſt, ſine muſico cohæret: ut autem muſicus, ſine muſico conſtare nullo modo poteſt.

FINIS.



ARISTOTELIS GENVS ET VITA.

ARISTOTELES fuit genere Macedo, ciuitate Stagiris oriundus, filius Nicomachi, Amyntæ Macedonum regis medici. Vnde & filium quem ſuſcepit, patris memoriæ gratia commendandi, appellauit Nicomachum. ad quem & libros de moribus, quibus titulus eſt Nicomachea, conſcripſit. matre autem natus eſt Phæſtide. Horum porro uterque & Nicomachus & Phæſtis ab Æſculapio genus ducebant. id quod dictum in Ariſtotelem epigramma teſtatur hunc in modum habens.

Nicomacho genitore ſatusq;, & Phæſti de matre
Eſt Aſclepiadis diuus Ariſtoteles.

Poſt obitum uero Nicomachi & Phæſtidis Ariſtoteles apud hoſpitem quendam Atarnenſem educatur. cuius etiam nequaquam immemor officij, non eius filium modo uiciſſim aluit Nicanorem, omniq; imbuit literarum genere, uerum ipſum ſibi quoque filium adoptauit. itaq; decedens legauit, ut nuptui Pythais eius filia Nicanori collocaretur. Ariſtoteles igitur per teneram adhuc ætatem liberalibus diſciplinis erudiebatur: ut oſtendunt quæ ab eo de rebus poeticis, & aduerſus poetas ſcripta ſunt, nec non Homeri problemata, Rhetoriceq; artes declarant. Annum uero natus decimumſeptimum, Pythia quoque ei philoſophari iubente, Athenas concedit. ubi Socrate utens præceptore, cum eo triennium agit. Cæterum extincto Socrate ad Platonem uentitat: quicum per uiginti annos uerſatur. adeoq; ſtrenuam nauauit operam, ut Plato Ariſtotelis domum, Anagnoſtæ, id eſt Lectoris domum uocaret. Non enim Ariſtoteles Lyceum, uiuente adhuc Platone, ut quidam ſuſpicantur, ad eius æmulationem aperuit. quomodo enim efficere id potuit, cum tunc potentes admodum eſſent Chabrias & Timotheus Athenis Imperatores, & Platoni genere coniuncti? Nonnulli ſane Ariſtotelem uiuo etiamnum Platone Lyceum aduerſus hunc aperuiſſe dicere ex eo conantur, quod in pluribus Platoni refragetur, quibus reſpondendum, non contra Platonem ſimpliciter pronunciare, ſed aduerſus eos, qui minus Platonica intellexere. Quod ſi uel Platoni ipſi reclamet, nihil eſſe abſurdum: cum & in his Platoni conſentiat. ſunt enim ipſius Platonis uerba, Veritatem magis curare quam aliud quidquam oportere. Nimirum hæc quoque ad uerbum inquit, Amicus quidem eſt Socrates, ſed ueritas amiciſſima. & alibi, paulum quidem Socratis habenda ratio eſt, ueritatis uero quamplurimum. Fecit hoc ergo & Ariſtoteles, tametſi nec quæ ſunt à Platone dicta ſubuerterit. quippe & hic conſentanea illi pergit, cum deſpicere ueritatem nollet. Denique quod Platonem uidelicet magna beneuolentia proſecutus Ariſtoteles fuerit, ex eo compertum eſt, quod aram Platoni dicauerit, in qua ſic inſcriptum reliquit.

Ipſe Platonis Ariſtoteles hanc condidit aram,
Laude malis quem fas nec celebrare, uiri.

Vſus eſt Ariſtoteles Platonis familiaritate annos uiginti. uita autē defuncto Platone, ſcholæ ſuccedit nepos ipſius ex ſorore Speuſippus (fuit enim is filius ſororis eius Potones) Ariſtoteles uero in urbem ſeſe Macedonum contulit: ubi Alexandrum conditorem inſtituit bonis artibus. magnaq; huius pars imperij fuit. nam plurimum apud regem ualuit, potentiaq; opportune eſt uſus, tum ſingulis, priuatim, tum omnibus publice promerendis. Et quidem quod beneficia priuatim in multos cōtulerit, declarabunt quæ eius commendatitiæ feruntur de quibuſdam ad regem epiſtolæ. Quod uero & publice iuuerit multos, perſpicuum ex eo fit, quod Stagirorum oppidum ſolo æquatum Alexandro ut de integro conderet ſua fit. unde & feſtum diem Stagiritæ celebrant Ariſtoteli, quem Ariſtoteleum uocant. menſem uero in quo ſolenne id agunt, nominant Stagiritem. Quin Ereſſum quoque Theophraſti ciuitatem cum ab rege Alexandro male tractanda eſſet, ab iniuria uindicauit. Cæterum poſt hæc cum diem ſuum obijſſet Speuſippus, accerſunt Athenienſes Ariſtotelem. duoq; hi ſcholam Platonis excepere Ariſtoteles atq; Xenocrates. docebatq; in Academia Xenocrates, Ariſtoteles in Lyceo. Poſtmodū uero Ariſtotele ſeditione inter Athenienſes coorta, in Chalcidem ſeceſſit, utiq; cum hoc Athenienſibus dixiſſet, Non patiar uos bis in philoſophiam peccare. etenim morte iam Socratem Athenienſes damnarunt. Significauit quoque Antipatro regi difficile eſſe Athenis agere. Porrò & uerſum illum dicebat Homericum,

Inque piro pira, fico ficus, inque ſeneſcunt.

Quaſi Athenienſium ex his calumnias arguens. Rurſus uero in Macedoniam reuertitur Ariſtoteles: multumq; apud eius tempeſtatis reges Alexandrum, & Olympiadem eius matrem, & Antipatrum, ac Philippum ualuit. Scripſit uero unico libro & ad Alexandrum de regno: quo ipſum quonam pacto regnum adminiſtrari conueniat docet. Denique cum eo, uel uſque intra Brachmanas penetrauit: ubi reſpublicas quinquagintaquinque ſupra ducentas conſcripſit. Hunc comitatus eſt & in Perſidem: unde bello confecto, atq; Alexandro uita perfuncto, in patriam ſuam rediit. Fuit hic uir moribus pluſquā ſatis moderatus. exceſſit in philoſophia humanos limites, de ea nihil omittendo commentatus. Atqui ex eius ipſius ingenio ac ſolertia compluribus additis, totam Philoſophiam methodum abſoluit. Nam logicæ quidem adiecit, cum regulas diſcreuerit à rebus, et demonſtratiuā rationem ac uiam confecerit. Norant enim ueteres demonſtrare: ac demonſtrationes facere haudquaquam ſciebant. quibus idem cum iis accidit, qui corium ſeccandi artem exercere non poſſunt, uti uero calceis poſſunt. Phyſicæ quintam eſſentiam adiunxit. Theologiæ uero etſi nihil accreuit, nihil de ea tamen tractauit in quo quidquam deſideres. Non enim, ut arbitrantur nonnulli, ſola ea quæ mundi ambitu continentur, ſed & quæ ſupra mundum ſunt norat: ut octauo quoque palàm facit uolumine naturalis auſcultationis: primam inquiens cauſam neque per ſe mobilem, neque per accidens eſſe. ex hoc ſane indicans, diuinitatem ſupremam ac moderatricem neque corpus eſſe, neque obnoxiam affectibus. Vixit Ariſtoteles uniuerſo tempore annos tres & ſexaginta. Nanque annum agens decimumſeptimum Socratem audit, eiq; per triennium adhæret, fuit & cum Platone annos uiginti: uixit uero à Platonis interitu tres & uiginti. Hæc de uita Ariſtotelis habuimus dicenda.

Norant ueteres demonſtrare, at demonſtrationes facere haudquaquā ſciebant.

QVÆSTIO VTRVM PARS AN INSTRVMENTVM PHILOSOPHIÆ SIT LOGICE.

Adde quod habet Ariſt. 1 Topico eo loco in quo Triplicia ponit problemata, ſ. moralia quæ ad fugā electionē uel relationē habent quædā uero ſunt q̄ ſpecta cognitionem ueritatis in ſeipſis habent, ut hæc quidem ſunt contemplatiua quædā autē alia ſunt quæ nec ut agibilia q̄runtur, nec p̄ ſe ad cognitionem ueritatis in ſe ipſis habēt ſed uelut adminiculatiua ad eligibilium & non eligibilium cognitionem, uel ad ueritatem & falſitatem inueniendam quæruntur, & hæc quidem ſunt problemata rationalia, nam rationalis facultas habet locum organi in philoſophia, cū ipſam per ſe quidem nolimus cognoſcere ſed aliorum gratia, quare nota eſt [illegible] ipſum logicæ ſubſidia accepit uidelicet [illegible] ad falſandum [illegible] partem eſſe ſcientiæ, partim uero organum, quæ quidem in ſe [illegible]. Amplius Diſquiritur, nū logica ſit pars an inſtrumentum philoſophiæ. Idem diſputat ab Alexandro in præfatione ſua in priora reſolutoria Ariſt.

QVONIAM autem propoſitus liber Logicæ principium eſt commentationis, ut in orationis ſerie explicabitur, neceſſe eſt utrum pars an inſtrumentum Logice philoſophiæ ſit, diſquiramus. Haud enim ignorandum eſt, philoſophatus tam pridem uiros, quoſdam philoſophiæ partem eſſe, qualis Stoicus chorus fuit uniuerſus, alios inſtrumentum, ut Peripatetici omnes, Logicen pronunciaſſe. Plato autem Logicen partem ſimul atq; inſtrumentum dixit partem quidem in Phædro, inſtrumentum uero in Parmenide: ubi iuuenes inquit, quoad iuuenili ætate fruuntur, in garrulitate præexerceri oportere, ut poſtmodum à falſo diſcernere uerum poſſint. Ex quo igitur Logicen garrulitatem uocant, ex hoc inſtrumentum ab eo dictam coniicimus. non enim garrulitatem appellare eam auſus fuiſſet, ſi partem putaſſet philoſophiæ ne philoſophiam garrulitatem nominaret. Fieri uero poteſt ut idem par inſtrumentumq; ſit, ut manus. Eſt enim hæc tum dandi, tum accipiendi inſtrumentum, pars autem corporis uniuerſi. Suam igitur opinionem Stoici duabus aſſerunt argumentationibus, quarum prima hunc in modum progreditur. Si omne id inquiunt, quo utens utitur neque pars alterius cuiuſquam neq; particula eſt, ipſius neceſſario utentis aut pars eſt, aut particula. Sicuti & medicina præfinitrice uictus ratione utitur (græci hanc διαιτητικὴν uocant, quaſi uictuariam latine appellaueris) quæ quoniam neque pars alterius neq; particula eſt, ob id medicinæ pars eſt, aut particula uerum pars quidem curatricis, particula uero practices ſiue actiuæ exiſtit. Porrò additum orationi eſt, ſi illud neq; pars neque particula alterius eſt, ob aſtronomiam hanc enim uſurpat gubernatoria. ac quoniam prius philoſophiæ pars & particula eſt aſtronomia pars nimirum mathematicæ: cõtemplatricis uero particula, eam ob rem gubernatoriæ neque pars eſt, neq; particula. Quare ſi Logicen uſurpat philoſophia, hæc autem ſcientiæ alterius pars aut particula non eſt, philoſophiæ igitur eſt. Prima itaque ipſorum eſt huiuſmodi quidem argumentatio, ſed quam facile redarguas nam ego quoq; retorto dicam ſermone, quoniam grãmatica & rhetorica & medicina ratiocinandi utuntur facultate, alia ut ſuas ipſius regulas recte ſeſe habere demonſtret, alia ut placita ſua conſtituat, ac neque pars neque particula alterius eſt artis plane dictarum artium pars erit aut particula. Præterea ſermonem quoq; imperfecte protulerunt. ſiquidem dicere eos oportebat, Si id omne quo utens utitur, artis alterius uel ſciētiæ neq; pars eſt, neq; particula, neq; inſtrumentum: ipſius uel pars, uel particula, uel inſtrumentum erit utentis. quoniam igitur philoſophiæ neq; pars eſt, neque particula ratiocinandi facultas, eius neceſſario erit inſtrumentum. Nam quod uerbum hoc neq; inſtrumentum, addi ſermoni opus ſit, hinc datur intelligi. utitur enim medicina phlebotomo, quod alterius neq; pars neq; particula eſt artis, ergo medicinæ. At ſi uera ſunt hæc, quandoquidem phlebotomum corpus eſt, erit & medicina corpus, quaſi ex corpore quoq; conſiſtens: id quod abſurdum eſt, cum habitus animæ ſit ac ſcientia. Secunda uero ipſorum argumentatio id genus eſt. Nulla inquiunt, ars proprium inſtrumentum molitur. ſi ergo Logicen facit philoſophiæ, non eius inſtrumētum, uerum pars erit. Cæterum hanc quoq; euertimus aggreſſionem ex euidentibus, dicimusq; & artes alias ſuorum inuentrices inſtrumentorum eſſe complures, ut incudis excuſoriam, quod ipſius inſtrumentum eſt. eodem modo & materiarum mallei. Quid ergo uel hic incõmodum ſit Logicen philoſophiæ inſtrumentum eſſe dicere: tametſi opus effectusq; eſt? At uero Peripatetici inſtrumentum, ut ſupra dixi, philoſophiæ Logicen eſſe uolunt. pluribusq; utentes argumentis, partes non ſe mutuo complecti aiunt, uerbi cauſa non cõtineri in naribus manum. Quod ſi Logicen quoq; in contemplatiua & actiua comprehendi uideamus, non pars tamen erit ipſius ſed inſtrumentum. Item, ſi quæ parti inſunt ea non Logicæ inſunt: quæ uero competunt inſtrumento, ea Logicæ quoq; ipſi competunt, conſtat non, ut partem eſſe, ſed uti inſtrumentum. Eſt enim partis ob ſeipſam non ob aliud factam eſſe. ut cõtēplatiua, cum pars philoſophiæ ſit, ſui, non alterius gratia facta eſt perinde uero & actiua. At inſtrumento datum eſt, ut ad aliud, non ad ſe uſu referendo fabricatum ſit. Logice ergo non ſuiipſius, ſed alterius cauſa conflata eſt nempe ut in contemplatione uerū à falſo, bonum autem à malo in rebus agendis diſcernat. Hæc porrò ſic ſi habent, inſtrumentum ergo philoſophiæ Logice eſt. Præterea ſi partē eſſe philoſophiæ logicen ſuppoſuerimus, quoniam pars omnis eandem toti materiam finemq; obtinet, logice autem neq; materiam eandem cum philoſophia. neq; finem habet eius igitur nequaquam pars erit. Nam res quidē philoſophiæ materia ſunt finis autem, ſimilem ſeſe Deo præſtare. At logices materia, uoces & propoſitiones finis. demonſtrationes concluſionesq;. Item pars alijs coniuncta partibus totum cõplet: adēpta diminuit. at logice horum efficit neutrum. non pars igitur, ſed inſtrumentum. Atq; hæc quidem Peripatetici: quibus minime eſt refragandum. Plato autem, ut ante diximus, & partem eius & inſtrumentum pronunciauit. Quēadmodum enim duplex inquit ſextarius eſt, alter quo metiris, alter quē mentiris: ac metiens quidē, inſtrumentū metiendi eſt, quē autem metiris, totus is pars eſt humoris: eodē pacto et Logice ſemota quidē à rebus, philoſophiæ inſtrumentū: rebus uero accõmodata, pars eſt philoſophiæ.

LECTORI.

Quoniam Interpres in uertendo Ammonio ea tantum Ariſtotelis uerba, quæ in impreſſo Ammonii græco exemplari nactus eſt latina fecit, nos ſtudioſorum utilitati conſulentes, integram abſolutamq; Prædicamentorum dictionem ubique ſuis locis ex Boethii translatione adiiciendam curauimus, ne quid tibi præterea requirendum eſſet. Vale.

AMMONII COMMENTARIORVM
IN PRAEDICAMENTA ARISTO.

PRÆFATIO.

Supra, uolẽ- ti logicã pe- nitus inſtru- menti locũ habere, nam ſi ipſa in ſe ſumpta ſciẽ tia eſt habe nt quidẽ ꝓ- pria proble mata, qua- ha aũt ſunt i- ſta proble- mata, nulli alteri magis credendũ eſt quã Ariſtote- li, illa expo nenti, ex cu- iuſquidẽ ex põne liqui- do conſtat, logicã omni no eſſe orga num. Cæte- rũ nec illud obſtat, quĩ a cõtrariæ o- pinionis fau toribus ad- duci ſolet, i- ſtud ãn hu- iuſmodi eſt, logica ẽ ha- bitus intelle ctiuus, ergo eſt ſcia, ꝓbare ãn cõtrariã hanc immo dũ, nõ quic- quid eſt in quopiã gene re, neceſſa- rio ĩ aliqua ipſius ſpẽ cõ tinetur, at clarũ eſt ip- ſam nõ eſſe ſapientiã ne que prudẽn- tiam, neque intellectum, neque artẽ, quare dere- linquitur eſ- ſe ſciam. hic quidẽ aggreſ ſionem cuer- timus negan do logicam eẽ habitũ in tellectiuũ, ſi- quidẽ Ariſt. 6. Ethi. agit de habitu, quo cõtingit dicere uerũ & falſum at quẽadmodũ ſupra diximus iuxta Ariſt. mentẽ ꝓblema- ta rõnalia nec ut agibi lia nec ut ꝑ- fectã cogni- tionẽ ueritã tis in ſe ipſis habẽtia quæ runtur qua- re ipſa logi- ca non erit habitus in- tellectiuus eo mõ quo Ari ſtoteles de ipſo agit. Ea

quo ſit quoc cum ſ aliqua ſpẽ ipſius ha bitus quo ſe mõ ſoluatur Achilles Scoti quo a- ſtruit logicã eſſe ſcientiã uidete Zi- marram in ſua tabula.

QVEMADMODVM cũ A introductiones auſpicaremur, ea dicebamus quæ ad omnem philoſophiam ſpectarent, deinde propoſiti nobis intentionem libri definiebamus: ita nunc quoque exordientes, priuſquam Ariſtotelis tractatũ aggrediamur, dicamus ea quę ad Ariſtotelicam omnem philoſophiam pertinent: tum ſic quem præ manibus habemus Prædicamentorum libri intentionem decernemus. Decem autem ſunt quæ præmitti debent capita. Primum, quot modis philoſophorum ſectæ nominentur, ut qualis etiam fuerit ſectæ Philoſophus dignoſcamus. Secundum, de Ariſtoteli operum diuiſione. Tertium, unde Ariſtotelicorum operum ſumendum initium ſit. Quartum, quis fi- B nis Ariſtotelis philoſophiæ. Quintum, quæ perducat ad finem uia. Sextum, quod'nam genus ſit Ariſtotelicæ elocutionis. Septimum, cur obſcuritati ſtuduerit. Octauum, qualis ſit oporteat auditor. Nonum, qualem interpretem eſſe conueniat. Decimum, quot ſint capita ſingulis Ariſtotelis commentationibus præfanda. Hæ itaque ſummæ ſunt quæ quæri debent. Cauſa uero etiam exploranda eſt ob quam ſolas has, atque nec plures nec pauciores indagamus. Etenimuero eam plane didicerimus ſi ſermonem ex diuiſione complectamur. Itaque philoſophorum ſectas ſeptem modis dici ſciendum eſt, aut a ſectæ principe, ut Platonici & Pythagorei, aut a principis patria, ut Cyrenaici ab Ariſtippo, & ab Euclide Megarici, aut a loco in quo commorabantur, ut Academici a Xenocrate, & Stoici a Citieo Zenone, aut a iudicio in philoſophando, ut qui Ephectici, id eſt inhibitores, uel Hæſitatores nominantur, aut a uitæ ge- C nere, ut Cynici, quibus præfuit Antiſthenes, aut a fine philoſophiæ, ut Hædonici, hoc eſt Voluptuarii, qui Epicurei ſunt, aut ab accidente, ut ab ambulatione Peripatetici, nimirum ab Ariſtotele deducti. Inhibitores ergo huiuſmodi de cauſa dicebantur, Pyrrho ſectæ princeps incomprehẽſibilitatem hoc eſt certitudinem nullam eſſe in rebus aſſerebat, taliq; exemplo utebatur. Quemadmodum (inquit) fieri nequit ut in fluuium bis eundem introeas (ante enim elapſus eſt quam ſecundo irrupetis,) ita nec de rebus planè enunciare quidpiam licet. quippe cum earum quoque ſit fluxilis natura, atque in eo quod fiat ac corrumpatur ipſum eſſe obtineat. quamobrem interrogati annuebant ſolum aut abnuebant, mutatas antea res eſſe q̃ reſponderent putantes. At uero diſcipulus eius Heraclitus abſurditatem intendens, ne ſemel quidem licere in idem flumen ingredi affirmabat, prius enim quam totum ſit demerſum corpus qua præterfluxit iam plurima, ita ſeſe habere & rerum na- D turam. habent enim eſſe in motu ac fluxu omnia, quare & Inhibitores nominabantur, ꝙ reſponſiones de rebus inhiberent atque ſupprimerent. Plato autem cum hanc ſententiam pluribus confutaret rationibus, poſt multa hoc quoque infert ipſis argumentum, Heus homines qui eſſe indeprehenſibilitatem dicitis, num indeprehenſionem eſſe an non, deprehendiſtis? Nam ſi deprehendiſtis, eſt deprehenſio, ſin minus, habenda uobis fides non eſt, ut qui indeprehenſionem eſſe non deprehendiſtis. Cæterum Cynici ſic nocabantur ob loquendi fiduciam, ac reprehendendi: Nã cani philoſophum quiddam ineſſe, ac diſcernendi uim quidam aiunt, quippe externis latrat, blanditur domeſticis, ſic ii quoque, uirtutes, quiq; uirtuti addicti uiuerent, agnoſce-

bant amplexabanturq;: uitia uero, atque eos qui obnoxiã A uitiis agerent uitam, uel ſi reges fuiſſent, inſectabantur atque allatrabant. Voluptuarii ex eo nominabantur ꝙ uoluptatem finem ſtatuerent, uoluptatem autem non corporalem, ſed tranquillum ſtatum animi, & perturbationibus uacantem, ac ſtudioſæ uitæ comitem. Porrò ii male ſentiebant cum accidens uirtutis ſiue umbram finem conſtituerent. Peripatetici autem eiuſmodi de cauſa ſic dicebantur, Plato enim exercitationis gratia deambulans, ſodalibus ſeſe ad docendum dabat, cui cum ſucceſſiſſet Ariſtoteles, actionis ſiue accidentis cognomen adeptus eſt. Age ergo diuiſionem quoque Ariſtotelicorum operum faciamus. quorum aliqua particularia ſunt, ut Epiſtolæ, quædã uniuerſalia, ut Phyſica, liber de Anima, & alia, nonnulla in medio ſunt, ut Reſpu & Hiſtoria de Animalibus. Vniuerſalium uero alia ſunt ordine accurateq; cõſcripta (ſυνταγματικὰ græci uocant) alia commentaria, in quibus ſola ca- B pita deſcribuntur. Commentariorum alia ſunt uniformia nimirum quæcunque ei de uno ſcripta ſunt ſpeculamine, nonnulla uaria, quæ ſcilicet de pluribus confecit. At ordinariorum ſeu ſyntagmaticorum quædam ex ipſius autoris perſona (αὐτοπρόσωπα græci appellant) & auſcultatoria ſunt, aliqua collocutoria (græcè διαλογικὰ) atque extraria. Scripta autem ea quæ ex autoris perſona atque auſcultatoria dicuntur, partim contemplatiua habentur, partim actiua, partim inſtrumentaria. Contemplatiuorum nonnulla phyſiologica, nempe in quibus de natura tractatur: alia qua mathematica, alia theologica. Actiuorum quædam, ad mores colendos, quædam ad domus, nonnulla ad reipub. adminiſtrationem pertinent. Priora illa græcè Ethica, altera Politica, poſtrema Oeconomica nominantur. Inſtrumentaria tum in ea diſcernuntur quæ methodum antecedunt, tum quæ de ipſa agunt methodo, tum quæ alter ad methodum conducũt. Sunt ergo par- C ticularia quæ ad aliquem ſcripta priuatim ſunt, ut Epiſtolæ. & quæcunque rogatus ab Alexandro Macedone, de Regis officio, ac quo pacto colonias deducere oporteat, perſcripſit. Vniuerſalia uero, ut Naturales tractatus, & de Anima, uel qui de Generatione atque interitu docent, de uniuerſalibus enim rebus in id genus diſſerit libris. Media uero, ut Reſpub. & de Generatione animalium commentationes. quatenus enim de animalibus agitur, uniuerſale habent, quoad uero non de omni ſimpliciter generatione, particulare ſibi uendicant. Porrò Commẽtaria nominant illa, quę ad res memoriæ ſuggerendas ſibi annotabant. Conſueuerunt enim ueteres cum antiquiorum libros perlegerent, ipſorum de quauis re ſententias excribere, & argumenta quibus ea aſſerentur communirẽturq;. neque id ſolum, ſed quæ ipſis quoque legẽtibus placerent, ſcriptis ſæpenumero memoriæ gratia mandabant, ut ſi quando de re aliqua ſcribendum eſſet, ueruſtiorum de D ea opiniones in promptu haberent, ueluti propriorum librorum materiam. Ex Commentariis ea uniformia nuncupabant, in quibus de ſola re una obſeruabatur, ut de Anima, de Cælo, uel quopiam alio. Varia autem, in quibus de pluribus collectum eſt rebus. Cæterum Syntagmatica ea dicunt, quæ elocutionem habent erudito operi conſentaneam, & capitum diuiſionem ordine decenti diſpoſitam. At Syntagmatica tum collocutoria ſunt, tum autoris ipſius perſonam referunt. Sunt ipſius perſonæ ea, in quibus ex perſona ſua docebat, quæ & auſcultatoria nominãt, quod ad ſuos legitimosq; auditores uerba faceret. Collocutoria, autem quæ non ex propria perſona conſcripſit, uerum quemadmodum Plato aliorum perſonas introducẽs, quæ

A & extraria nuncupabant, quod ad uulgi utilitatem ſcripta
eſſent. Plurimum uero differunt ab Auctoris perſonam re
ferentibus collocutoria. in illis enim tanquam ad iuſtos ue
roſq; auditores ſermonem faciens, & quæ ipſe ſentiat di=
cit, & exquiſitiſſimis fulcit argumentis, quæ aſſequi uulgus
non poteſt. In Collocutoriis autem, uelut ad communem,
ac multorum utilitatem ſcriptis, ea quibus ipſe aſſentitur
pronunciat: idq; non per demõſtratiua, ſed ſimpliciora ar=
gumenta, quæque percipi a pluribus ualeant. Diuiduntur
quæ ex Auctoris perſona ſunt, in Contemplatiua, & Acti=
ua, & Inſtrumentaria. quoniã in hæc duo diſtincta eſt phi=
loſophia, Contemplatiuum, atque Actiuum. Contempla=
tiua ſunt in quibus de ueritate mendacioq; conſiderat. Acti
ua in quibus de bono & malo ſcrutatur. At uero quoniam
de bono & malo, & uero & falſo non leuis eſt hominibus
cõtrouerſia. aliiq; aliud bonum, & malum, & uerum, & fal=
ſum eſſe arbitrantur, inſtrumentum quo hæc diſcernerẽtur
nobis oportuit tradere, id quod eſt demonſtratio. Porro
B aliud nihil demonſtratio eſt quam demonſtratiuus ſyllogiſ
mus. Vt enim lignarius faber amuſſi utitur inſtrumẽto cur
uis ac rectis lignis diſcernendis, necnon ædificator perpen
diculo quo rectos atque obliquos dignoſcat parietes, ſic
philoſophi demonſtrationem habent regulam rectam cer
tamq; rerum diiudicandarum. Diuidunt Contemplatiua in
naturalia, & mathematica, & theologica. Sunt theologica
quæ ipſi poſt naturalem tractationem ſcripta ſunt, eaq; ſic
τὰ μετὰ τὰ φυσικά, ideſt Poſtnaturalia nuncupauit. Omnia
enim quæ ſupra naturam ſunt, theologiæ docere propriũ
eſt. Naturalia uero, ut ex ipſæ tractationes quę phyſicæ uo
cantur, & quæ de Generatione & Corruptione inſcripta
ſunt, ac ſimilia. Mathematica horũ media habẽtur, partimq;
a materia ſeparabilia ſunt, partim ſeparari non poſſunt. ſcri
pſit enim & lineas quaſdam. Actiua quoque in moralia
(habet enim moralem tractatum) & in Oeconomica, ac ci=
uilia diducuntur. Inſtrumentariorũ autem quędam de ipſis
methodi principiis ſunt, ut prædicamenta, & liber de Inter
C pretatione, & duo Priorum Reſolutoriorum uolumina.
alia de ipſa pertractant methodo, ut poſteriora Reſoluto=
ria, in quibus de Demonſtratione præcipit. Topica uero,
& ſophiſtici Elenchi, & artes Rhetoricæ, & ut placet non=
nullis, quæ de poetica prodidit, ex ſe quidem ad metho=
dum nequaquam conferunt, faciunt tamẽ & ipſa aliter ad
demonſtrationem, cum per ea methodos ſecundum quas
paralogiſmi hoc eſt mentitæ ratiocinationes fiunt doca=
mur. Tertium deinceps erat caput: unde Ariſtotelica ope=
ra auſpicari conueniat. Itaq; Boethus atque Sidonius à na=
turali tractatu inchoandum putant, utpote familiariore ac
noto. ſemper autem à manifeſtioribus incipiendum ac co=
gnitis. Huius uero præceptor Andronicus Rhodius dili=
gentius exquirens, initium à Logica ſumi oportere affir=
mabat, quæ circa demonſtrationem uerſatur. Quando igi
tur Philoſophus in libris ſuis omnibus demonſtratiua do=
cendi ratione ac uia utitur, egregiè nobis hæc prius elabo
randa eſt, ut ſcripta eius reliqua facile aſſequamur. Sunt qui
D à morali incipiendum arbitrentur: prius enim mores excol
lere, & ita adire alios tractatus oportet, ne turbata ab af=
fectibus ratione non exactas de rebus ſententias fera=
mus. Quòd ſiqui a Logica malint, ut quæ nos ad prin=
cipia ducant, ac qualis uirtus id genus exiſtat cum demon=
ſtratione intelligamus, dicimus primum rectè opinando id
ſcire nos, dein poſt etiam demonſtratiue debere. Quare ta
metſi demonſtrationes non intellectu percipimus, ipſa ta=
men prius opera moralis ſcientiæ edocti, uiuere ſecundum
ea recta opinione conuenit. tum demonſtratiuas dehinc ag
gredi methodos. Quis uero finis eſt Ariſtotelicæ philoſo
phiæ? omnium inquam principium noſſe omnium opifi=
cem cauſam, ſempiternam, atque eodem ſe modo haben=
tem. Omnium enim principium idemq; incorporeum de=
monſtrat, deduci autem ex illo uniuerſa. Sed quænam hũc
nos ad finem perducunt? nempe doctrina eorum quæ in
tempore ac mutatione conſiſtunt eiuſmodi ſunt generabi=
lia corruptibiliaq;. Ab iis enim nos ipſi ad ſempiterna & eo

Quid demõſtratio. Vt materiarius faber regula, ædificator perpẽdiculo, rectis ac non rectis utitur diſcernendis, ita philoſophus demõſtratione ut ueritatem & falſitatẽ, bonumq; & malũ diſcernat. Idem infra fol. 2. l. p hoc etiã uidere Philon. in principio ſuæ expoſitionis ſuper lib. poſteriorum.

A dem modo ſe habentia mathematicarũ interuentu ſubduci
mus (id genus cæleſtia ſunt) & ita poſt incorporeas ſubſtã
tias, ad primam omnium cauſam tranſcendimus. Nam cũ
motus omnis aut ad ſubſtantiam, aut ad quantitatem, aut
ad qualitatem, aut ad locum pertineat, generationi interi=
tioniq; addicta motus genere omni, cæleſtia uero locali dũ
taxat cientur. Quamobrem decenti ordine pergendũ eſt,
ab iis quæ multiplici genere ad ea quæ uno ac ſolo agitan
tur, atque ita ad immobile, quodq; eodem pacto ſeſe per=
petuo habet principium, neq; ut eſt in oraculo pes eſt trãſ=
greſſor mittendus. Si enim à corporibus ad primum om=
nium principium repente accedere uelimus, illud quoque
corpus eſſe arbitraremur, ac figura deſcriptum. Quare tra
denda inquit Plotinus iuuenibus mathemata ſunt, ut incor
poreæ aſſueſcant naturæ. Ariſtotelis autem ſcribendi ge=
nus ubiq; eſt elocutione exactum: fugit enim ſemper Phi=
loſophus rhetoricas exornationes, ſolum explicandæ ac
ueluti oculis ſubiiciendæ rerum naturæ intentus. Sæpe etiã
B compreſſum, atque obſcure diſſertum, non ea ſcribentis
natura, ſed ipſe data opera id egit. nam topica, meteora,
aliaq; dilucide ſtilo eſt perſecutus. Ergo obſcuritatem affe=
ctauit, ut legentes ingenioſiores magisq; idoneos redde=
ret iis quæ dicerẽtur, compoſitè audiẽdis: utq; ignauos au
ditores ea primordiis auerteret. Siquidem legitimi iuſtiq;
auditores quo ſunt obſcuriora dicta, eo magis certando
euincere atq; intima ſubire contendunt. Itaque obſcurita=
te propter profanos, rerum inuoluens dignitatem obſcuri
tate, perinde ac uelamine, eſt uſus. Auditor uerò eſſe iuſtus
debet, ingenio perſpicaci, literarum ſtudioſus, moderano=
ne animi præditus, ac undequaq; ornatus. Horum autem
librorum enarrator, neque beneuolentia ductus conari de=
bet, quæ perperam dicuntur, conſentanea facere, eaq; uelu=
ti à tripode excipere: neque rectè prodita, prauo ſenſu per
odium carpere: ſed eorum eſſe incorruptus iudex, atq; au=
toris ſenſum aperire in primis, illiusq; placita interpretari,
tũ quid ipſe ſentiat afferre. Capita autẽ quæ libris Ariſto.
C omnibus antefari oportet. hæc ſunt, intentio ſcopus ue uti
litas, inſcriptionis ratio, an legitimus Philoſophi liber ſit,
ordo lectionis, diuiſio in partes. Intẽtio, tractatus naturam
dilucidat, & legenti, quomodo intelligẽdum quidq; ſit, ue=
luti habitum præbet nam quicquid dicitur, ad operis inten
tionem id parat dirigere, quam qui ignorat, ſimilia cæco
eſt, quonam feratur, neſcienti: ac quæcunque ad inentio=
nem pertinent, ab autore temerè dici putabit. Vtilitas, ſtu=
dium alacritatemq; inuehit auditori. Qui enim inceptu=
rus quicquam eſt, quem fructum ex ipſa illius utilitate ac=
cepturus ſit, prius oportet condiſcat. Quoniam uero in li=
bris quibuſdam titulo minus dilucescente à ſcopo aberra=
mus, cauſam cur inſcriptum ita ſit, quærere conuenit, ut in
prædicamentis ac libro de Interpretatione, atque aliis. nã
in commentatione de Cælo, uel de Anima, non eſt inſcri=
ptionis ratio ſcrutanda: quippe cũ ea ſe ipſa perſpicuitatẽ
hẽat. Quærimus etiam an ſuus legitimusq; ſit Philoſophi
liber. tres enim cauſæ ſunt cur Ariſtotelici libri adulteren=
D tur: una, æquiuocatio autorum: fuere nanque & Ariſtote=
les alii, quorum ſcripta ob æquiuocationem nonnulli hu=
iuſce Ariſtotelis eſſe exiſtimarunt. altera, librorum æqui=
uocatio. Eudemus enim & Phanias ac Theophraſtus eius
diſcipuli, præceptoris exemplo prædicamenta, & de Inter
pretatione, & reſolutoriam artem ſcripſere. tertia huiuſ=
modi eſt: Ptolemæum Philadelphum Ariſtotelis conqui=
rendorum operum perinde ac reliquorum perſtudioſum
fuiſſe tradunt, pecuniasq; iis perſoluiſſe, qui Philoſophi
ad ipſum libros afferrent. quo factum eſt, ut quidam quæ=
ſtum conſectantes, libros, Philoſophi nomine inſcribentes
comportarent. ſanè libros in magna bibliotheca Reſolu=
toriorum quadraginta, Prædicamentorum duos inuẽtos
affirmant. ſuntq; hic prædicamentorum, Reſolutoriorum
autem quatuor ueri legitimiq; Ariſtotelis iudicati ab inter=
pretibus, tum ex ſententiis, ſtilo uerbisq;, tum φ huiuſce li
bri Philoſophus alibi identidem meminerit. Lectionis or=
dinem exquirimus, ne maiora primum attingamus, atque
ea

ea quibus cognoſcendis alia præcedere anticipariq́; oportet, ignari quæ nobis cognoſci in primis debeant. Diuiſionem uero in partes, quoniam totius diſcere exacte naturã uolenti, huius partes diligentius inſpectandæ ſunt. ut ſi hominem noſſe exquiſitius uelis, huius caput, & pedes, & manus, parteſq; cæteras cognoſcere perinde debes ſic ergo & operis partes cuiuſq; prius in quot ac qualia diuidantur, operæprecium eſt intelligas. Cæterum id ſciendum, nõ ubique omnibus iis explorandis opus eſſe, uerum in quibus occulta eſt perſpicuitas. ſæpe enim cum intentione ſimul utilitas dilucefcit. uerbi gratia in commentatione de Cælo uel de Anima manifeſta intentio eſt, & utilitas, atq; inſcriptio: in topicis ne unum quidem ex iis conſpicuũ eſt, ſed neque ilico ſimul quoq; utilitas, cognita patet intentione. nam eius in Topicis intentio eſt, dialecticam nobis tradere methodum. Eſt porro Dialectica, uti ipſe definit, methodus quæ de propoſito omni problemate ex opinabilibus ratiocinatur. Quòd ſi de omni propoſito, non ſolũ autem uera, ſed falſa etiam in quæſtionem uocantur, qualis hoc loco utilitas? methodum noſſe qua falſa etiam colligemus. Itaque pergens ipſe utilitatem nobis detegit, commẽtationem ad tria utilem eſſe inquiẽs, ad exercitationem, ad uulgares diſputationes, & philoſophię methodos. at in prędicamentis ac libro de interpretatione emicat ſimul cum intentione utilitas, ut deinceps oſtendemus. atque hæc quidem de Ariſtotelica omni philoſophia prodita ſint. Sed dicamus & de propoſito Prædicamentorum libro, quæ intẽtio, quæ utilitas, quæ inſcriptionis ratio ſit, quis ordo lectionis, utrum ſuus iuſtusq; Philoſophi liber exiſtat, quæ diuiſio in capita. Hæc, uti diximus, Ariſtotelis tractatibus ſingulis præmitti oportet dicenda. Quidam de Prædicamentorum intentione in diuerſas abiere ſententias, atque alii de uocibus ſolis intẽtionem eſſe prodiderunt, qualis fuit Alexander, nimirum ex Ariſtotelicis dictiunculis decepti ſic habentibus, Eorum quæ dicuntur alia per complexum dicuntur, alia ſine complexu. quod ſi uoces ſunt quæ dicuntur, patet eſſe ei de uocibus intentionem. Qui uero de ſolis rebus eſſe intentionem putarunt, qualis Euſtathius fuit, de rebus à Philoſopho diuiſionem fieri aiunt dicente, Entium alia de ſubiecto dicuntur. q́ ſi entia res ſunt inquiunt, ergo de rebus ipſi intentio eſt. At de ſolis concepubus diſſerere philoſophum rati, qualis fuit Porphyrius, de decẽ generibus ſermonem eſſe affirmant: hæc autem conſiderari in multis, poſteriuſq; eſſe genita, quæ ſcilicet animo noſtro inhærent: proinde hoc libro uerba de conceptibus ab Ariſtotele fieri. Cæterum falſus quoque is eſt ex Ariſtotelis uerbis ad finem poſitis dicentis: De propoſitis ergo generibus hęc dicta ſufficiant: genera autem ubiq; Ariſtoteles nocat quę ſunt in pluribus, ac mente concepta. Verum qui exactius loquuntur, inter quos uel Iãblichum cenſeas, neq; de ſolis ei concepubus eſſe, neq; de uocibus ſolis, neque de rebus duntaxat ſermonem ferunt, ſed de uocibus res conceptuum interuentu ſignificantibus, prædicamentorum intentionem eſſe. Verum enimuero non recte priores definiuiſſe, ſic licet perdiſcamus. Dicant ii qui de rebus ipſum diſſerere aiunt: quoniam rerum nonnullæ in ſola cogitatione poſitæ ſunt, ut Cẽtaurus, & Hircoceruus, quædam ſunt ſubſiſtentes, de quibus et ſermo eſt: de iis dictum procuidubio ſunt quæ in natura exiſtunt. Vtrum ergo capta harum notione nos ita per uoces de iis edocet? omnino ſanè confitebuntur: fieri enim haud poteſt, quin à uocibus res per medios ſignificentur conceptus: ergo, & de omnibus diſputabit. Dicant & qui tractare eum de uocibus ſolis, aut ſolis, conceptibus perhibent: quoniam uoces conceptuſq; partim aliquid ſignificant, partim ipſum eſſe uoce tenus obtinent ac cogitatione, de quibus agere ipſum cenſebitis? nimirum de iis dicent quæ res ſignificant: nullus enim philoſophis uel de uocibus uel de cõceptibus ſermo eſt ſignificatu carentibus: ergo cum de uocibus res ſignificantibus uerba faciat, res quoque ipſas per medios conceptus attingit. cumq; de cõceptibus agat res indicantibus, de ipſis per uoces conceptus interpretãtes diſputabit: nudi enim ſi animi eſſent, nec corporibus impedirentur, nudis inter ſe agerent conceptibus congrederenturq;: nunc coerciti corporibus, non aliter quã per uoces, ſuos mutuo ſignificare conceptus ualent. Quoniam uero res quędam ſimplices ſunt, quædam compoſitæ (ſimplex res Socrates eſt, compoſita Socrates ambulans): eodem modo mentis quoq; conceptiones & uoces partim ſimplices, partim cõpoſitæ ſunt: ſimplex enim uox, eſt Socrates ſimpliciter: & cõceptio ſimplex, de Socrate: compoſita autem uox, quę dicit Socrates currit: & conceptio compoſita, de Socrate currente, utrum de ſimplicibus hoc loco diſſerit rebus uocibuſq;, an de compoſitis? atq; de ſimplicibus inquam: Idcirco prædicamentorum intentionem exquiſitè definientes, hic diſputari de ſimplicibus uocibus affirmamus, quæ ſimplices res per medios ſimplices conceptus ſignificant. Verum ut luculentior ſermo noſter euadat, quædam nobis nulla, ad eorum quæ dicturi ſumus dilucidam repræſentationem, aſſumamus. Quoniã enim Philoſophiæ, ſicuti prodidimus, pars altera contemplatiua eſt, altera actiua: contemplatiuæ finis eſt ueritatis cognitio, actiuæ boni adeptio, utriq; autem obſtant contraria, ueritati falſitas, & bono malum, noſter uero animus, ut qui imperfectus eſt, ſæpe pro ueritate mẽdaciũ eligit, uerum id eſſe exiſtimans: & pro bono malum, quod bonum eſſe id putet. Philoſophis igitur aliquo inſtrumento opus fuit, quo ueritatem à falſitate, & bonum à malo diſcernerent. Sed quodnam eſt hoc? demonſtratio. quicquid enim bonum eſſe demonſtratum fuerit, id ex neceſſitate eſt bonum: & quicquid malum probatum euidenter fuerit, id malum eſt. Similiter & uerum ac falſum. Quo enim pacto materiarius faber regula, ædificator perpendiculo rectis ac non rectis utitur diſcernendis, ita Philoſophus demonſtratione, ut ueritatem falſitatemq;, & bonum & malum diſcernat. Porrò demonſtratio ſyllogiſmus eſt ſcientiam pariens: latius enim quàm ſyllogiſmus ſcientiam pariens patet is, qui ſimpliciter eſt ſyllogiſmus. nam ſimpliciter ſyllogiſmo accedens certa aptaq; materia, eodem modo perpetuoq; ſe ſimiliter habens demonſtratiuum ſyllogiſmum cõſtituit. Verum quoniam docere de demonſtratione nõ poterat, niſi prius quid eſſet ſimpliciter ſyllogiſmus docuiſſet: quemadmodum nec rectam aut curuã figuram deſcribere quiſquam ualet, niſi ſcribere ſimpliciter prius didicerit: curſus uero ſimpliciter ſyllogiſmus ſine propoſitionibus tradi non poterat, eſt enim collectio multarum orationum, ut uel nomine ipſo indicatur: propoſitiones autem ſine nominibus ac uerbis, nam ex iis compoſitæ ſunt: at nomina & uerba citra ſimplices uoces, etenim ſignificatiua uox eſt nomen & uerbum, de uocibus prius ſimplicibus iure diſſerit. Vniuerſaliter enim contemplationis finis ſit actionis principium: contraq; actionis finis principium contemplationis: uerbi gratia ædificator domo propoſita ſecum ait, domum inſtitui fabricandam, quod operimentum eſt imbribus æſtibuſq; arcendis: uerum hoc niſi tectum fiat ædificari non poteſt: hic igitur contemplationem inchoat: procedens uero inquit, ſed hoc fieri nequit non extructis parietibus: neque extrui poſſunt ii non iactis fundamentis: neq; hæc rurſus iaci non effoſſa terra. Hic cõtemplatio deſiit, inde ergo initium capit actio: nam primum terram defodit, tum ſic iacit fundamenta, deinde parietes erit, poſtremo faſtigium imponit, quod finis eſt actionis: at actionis principium, finis eſt contemplationis. Perinde igitur & Philoſophus facit. Nam demonſtrationem conficere cogitans ſecum inquit, libet de Demonſtratione dicere: uerum quoniã demonſtratio ſyllogiſmus eſt ſcientiæ opifex, non poteſt is de eo uerba facere, qui antea quid ſyllogiſmus ſit non prodiderit: neq; ſimpliciter ſyllogiſmum edocebimur, niſi quid propoſitio ſit didicerimus: propoſitiones enim orationes quædam ſunt, quarum collectio eſt ſyllogiſmus. Quare non cognitis propoſitionibus ſyllogiſmum perdiſcas nequaquam licebit: ſiquidem ex iis conſtat: ſed neq; propoſitionem ſine nominibus ac uerbis, ex quibus omnis conſtituta eſt oratio: nomina autem & uerba ſine uocibus ſimplicibus: ſiquidem horum quodlibet ſignificatiua

Quid ſit dialectica ad quot'q; utilis exiſtat. propter quæ uide Ariſto. 1. Top. in princ.

Cur philoſophus opus habuit demonſtratione?

Idem ſupra. a. b.

Aduerſum aſſerentes librum prædicamentorum non eſſe partẽ logicę quorum quidem Achillea quomodo diſſoluatur, uide in indice.

uox eſt: proinde ante de ſimplicibus eſt uocibus dicendũ. A Hic ergo ceſſauit contemplatio, fitq; hoc actionis initium. Nam in Prædicamentis de ſimplicibus primum agit uocibus, tum ita in libello de Interpretatione, de Nominibus, Verbis, Propoſitionibusq;: poſtea de Syllogiſmo ſimpliciter in reſolutorijs Prioribus: deinũ in Poſterioribus Reſolutorijs de Demonſtratione. Hic ergo finis eſt actionis, quod erat contemplationis principium. Iure igitur primum hoc loco de ſimplicibus uocibus diſputat. Homines enim publicè conuenientes ſuum cuique rei nomen mutuò indiderunt, id ſolum nimirum curantes, ut res inter ſe per uoces ſignificarent, non tamen ut dicerent quid nomẽ ſit aut uerbum. De ijs igitur in Prædicamentis edifferit. Sed quoniam non de uocibus agit ſignificatu carentibus (neq; enim harum rationem habent Philoſophi ullam) conſtat de uocibus conceptus ſignificantibus haberi ſermonem: neceſſe eſt enim ut ſi ſit res, eius quoque nomen exiſtat, & ante hoc notio quam de re habemus. ut Socratis nomen, eſt uox Socrates: res autem, Socrates ipſe: notio quæ in animo hæret, cognitio de Socrate. B Eſt igitur intentio Ariſtoteli de ſimplicibus uocibus res ſimplices per medios ſimplices conceptus ſignificantibus dicere. Atque hæc quidem de intentione. Quod autem utilis liber ad partem philoſophiæ contemplatiuam actiuamq; ſit, ex prædictis manifeſtum eſt, ſi demonſtratio quoque, ut oſtẽdimus citra ſimplices uoces nequit cognoſci. Et quoniam de communitatibus, in quas entia omnia diuiduntur, edifferit (cauſa uero inſcriptionis id genus eſt) Categoriæ hoc eſt prædicamenta inſcriptus eſt liber: non quòd de Categorijs hoc eſt accuſationibus quæ in foro agitantur, diſputet: (non enim Rhetorem agere inſtituit) ſed quemadmodum in introductionibus quoque didicimus, duplex eſt generum differentia: nam quædam generaliſſima ſunt, & genera duntaxat: nonnulla ſubalterna, quæ ſpecies generaq; dicuntur, ſuperiorum quidem ſpecies, genera autem inferiorum: ac prædicantur ſolũ quidem generaliſſima, ſubalterna uero prioribus ſubiacent, de poſterioribus prædicantur: hic autem de decem generaliſſimis agit generibus, quæ prædicantur tantum, ſubiacent nunquam: C ob id igitur Categoriæ, id eſt Prædicamenta librum inſcripſit, quaſi dixerit, de generibus ijs, quæ duntaxat prædicantur. Ordo lectionis ex intentione clareſcit. quoniam enim contemplatio huc uti diximus terminauit, inde inchoanda eſt actio: ac quoniam ſimpliciora oportet compoſitis anteire, ſimplicior autem eſt decem Prædicamentorum præceptio, ſi ut proditum eſt de decem uocibus tractat, quæ ſimplices res conceptuum ſimplicium interuentu ſignificant. Librum omnes Ariſtotelis legitimum eſſe teſtantur, id quod & locutio declarat, quodq; in alijs commentationibus Philoſophus libri meminerit. Enimuero duobus inuentis (ut dictum eſt) Prædicamentorum uoluminibus, tum in cæteris, tum in exordio prope conſimilibus (eſt enim alterius initium, Entium quædam æquiuoca ſunt, quædam Vniuoca: quod idem ferme eſt cum huiuſce libri principio) hic uerus iuſtusq; eſſe philoſophi iudicatus eſt liber ab interpretibus omnibus. Diuiſio libri in capita tripartito diſtincta eſt in Antepræ dicamenta, Prædicamenta, Poſtprædicamenta. D In prima ſectione docet utilia ad Prædicamentorum doctrinam. Vt enim conſueuerunt Geometræ utilia ſpeculaminibus tradendis quid punctum, quid linea, quid circulus ſit prius docere, ne inter docendum aut peregrinis uti nominibus, aut de ijs quicquam præcipientes digredi, ac propoſiti ſeriem abrumpere cogerentur, perinde quoque hic Philoſophus, quoniam futurum erat ut in Prædicamentorũ doctrina dictiones quaſdam aut uoces nobis ignotas cõmemoraret, eam ob rem de ijs primum edocet, ne ſermonem confundere uideatur. In ſecundo ſegmento de ipſis docet Prædicamentis. In tertio rurſus de quibuſdam agit uocibus, quarum in Prædicamentorum præceptione cõmeminit, ut de uerbo Simul, Prius, atque Habere. At quam ob cauſam ante Prædicamenta non una de omnibus docuit? quoniam inquam uoces hæ partim incognitæ omnibus ſunt, ut æquiuocum, uniuocum, (horum enim notionem nullam habet bona pars hominum) partim nota quidem ex uſu, ſed quæ aliqua tamen articulata declaratione egeant, ut Simul, Priusq;. Quæ ergo ignota plane ſunt, ea doctrinæ prædicamentorum neceſſario præmiſit: quando ſi ignorarentur illa, utique eramus ea quæ de Prædicamẽtis traduntur haud quaquam intellecturi: utitur enim ijs ad Prædicamentorum præceptionem. Reliqua uero, inarticulatè inquam nobis cognita, poſt Prædicamenta edocemur, ne longum faciat exordium, atque inſtituto operi acceſſorium prolixius reddat. Porro adinuenta eſt in partes diuiſio ad operis perſpicuitatem. Vbi enim quot libri capita ſint, ac de quibus uerba fiant didicerimus, dicta aſſequemur facilimè, nec ea confuſè atq; indiſtinctè capiemus. *Cur ad luculenta ſit opera in partes diuiſio ſeſe habeat.*

DE ÆQVIVOCIS.

B *Æquiuoca dicuntur quorum nomen ſolum commune eſt, ſecundum nomen uero, ſubſtantiæ ratio diuerſa. Vt animal, & homo, & quod pictum eſt. Horum enim ſolum nomen commune eſt, ſecundum nomen uero, ſubſtantiæ ratio diuerſa. Si enim quis aſsignet quid ſit eorum utrunque quo animal eſt, propriam aſsignabit utriuſque rationem.* Textus.

Æquiuoca dicuntur quorum nomen ſolum cõmune} Si nudi noſtri eſſent ſolutiq; corporibus animi, res inter ſe ſignificare per ipſos cõceptus ualerent: uerum quoniam deuincti ſunt corporibus nebulæ inſtar intellectricem uim eorum obtegẽtibus, indiguere nominibus, quibus mutuò res indicarent. Sciendum itaq; eſt, nos adinuicem res uel per nomina uel per finitiones declarare, uerbi gratia & per uocem homo, & per finitionem dicentem animal rationale mortale, hominem declaramus. Sed cum per uocem homo deſignamus hominem, comprehenſam ipſius declaramus naturam: C cum notamus finitione, quæ particulatim homini adſunt contemplamur. Res igitur inter ſe aut communicant nomine definitione uero differunt, nocanturq; æquiuoca, aut communicant definitione, & differunt nomine, quæ multiuoca nuncupantur: aut & nomine, & finitione cõueniunt, hęc appellant uniuoca, aut demum finitione ac nomine diſſident, quæ diuerſiuoca nominantur. Cæterum aliud diuerſum eſſe, aliud diuerſiuocum oportet intelligas. Sunt quidem diuerſiuoca, res quæ circa unum idemq; ſubiectum conſiderantur, nomine autem impartiuntur diuerſo, ut aſcenſus in ſcalis deſcenſusq;. Atque aliter quidem aſcẽſus definitur, aliter deſcenſus. nomina quoq; diuerſa ſunt aſcẽſus enim atque deſcenſus. hæc igitur propriè diuerſiuoca nominant: diuerſa autem quæ in omnibus alia ſunt tum ſubiecto tum nomine, ut homo & equus. Porrò de ſolis æquiuocis ac uniuocis præceptionem facit, quòd ſolis ijs in prædicamentorum explicatione egeat, nimirum in hoc quoque æmulans geometricum genus docendi: nam & illi D ſola ea a quibus in propoſito libro iuuantur uel theoremate in principio aſſumere conſueuerunt. Vel etiam aliter dixeris, nempe cum amator ſit perpetuus breuitatis, per hæc de cæteris quoque nos poteſtate edocere. Siquidem cognitis ijs, manifeſta et reliqua erũt, utpote oppoſita: eſt enim oppoſitorum ſcientia eadem. Nam qui æquiuocũ quid ſit nouit, huic quoque oppoſitum nouerit, multiuocum inquam. Si enim æquiuocum id eſt quod communicat nomine, re autem eſt differens, ut mus, & marinus, & terreſtris: ergo multiuocum eſt id quod huic ex aduerſo eſt poſitum, quod re ſcilicet idem eſt, nomine diſcrepat, ut enſis, gladius, ſpatha. Similiter qui etiam quid uniuocum ſit intelligit, nempe quod finitione conſentit ac nomine, ut homo, Socrates, & Plato: is etiam quid ſit diuerſiuocũ callebit, nimirum quod finitione nomineq; diſcordat, ut aſcenſus ac deſcenſus, etenim & nomine, & re diſtat, tam

eti

A eſt idem utrique ſubiectum rei ſit. Vt enim eſſe aliud fru-
mento eſt, aliud ſemini, aut fructui, ita eſſe aliud ſcalis eſt, a-
liud aſcenſui deſcenſuíq;: quandam enim habitudinem a-
ctionis circa ſcalas hæc iudicant nomina. Præpoſuit autẽ
in docendo Ariſtoteles æquiuoca, quoniam ſimpliciora
ſunt, communicantq; uno duntaxat nomine: quodq; prio-
ra natura ſint æquiuoca uniuocis: ens enim, æquiuocè de
prædicamentis dicitur, nec uniuocè. Cæterum niſi hæc cõ-
uenerint omnia, nequit æquiuocum fieri: identitas nomi-
nis, toni, generis, caſus, ſpiritus, terminationis. nam ſi aliud
atque aliud nomen ſit, conſtat non eſſe æquiuocum: quod
ſi idem ſit nomen, tonus autem diuerſus, neq; id æquiuo-
cum eſt, ut ἄργος & ἀργός. primum enim penultimam acuit
& Vlyſsis canem ſignificat: alterum acuta ultima ſocordẽ
deſignat. Et ſi maſculinum ſit ἄργος, ſignificat uel canem
Vlyſsis uti diximus, uel Herois eſt nomen: ſin neutrum, no-
men ciuitatis. Similiter βίος & βιός. habente enim tonum
penultima, uita eſt: βιός autem eſt arcus, ſi ultimam acuas.
B Et rurſus ſi ſint hæc, idem uero caſus non ſit, non facit æ-
quiuocum, ut ὁ ἐλάτης & τῆς ἐλάτης Illud enim recti eſt, &
aurigam ſignificat, aut alium quempiam qui agit equum,
hoc uero & fœminini generis eſt, cum illud maſculini ſit,
& genitiui caſus (nam ἡ ἐλάτη τῆς ἐλάτης) eſtq; arboris no-
men. Spiritum quoque eundem habeat oportet. Si enim
diuerſus ſit ſpiritus, non erit æquiuocum, ut in uerbo οἷος,
enim qualis ſignificat: ſed & ſolus ſignificat: ac cum quale
indicat, aſpirationem habet, cum ſolum, tenuatur. Eadem
quoque opus eſt terminatione, id quod perſpicuum arbi-
tror: ἐλάτης enim & ἐλάτη terminatione differentia, nõ ſunt
æquiuoca. Quærunt uero nonnulli cur non æquiuocum,
ſed æquiuoca dixerit. Quoniam æquiuocum, inquam, nõ
eſt unum: non enim ipſum ſibiipſi quicquam eſſe æquiuo-
cum dicitur, uerum plura nam aliud alii æquiuocum eſt.
quoniam ergo unum eſt nomen, res autem multas decla-
rat, idcirco pluraliter dictum eſt. Sed rurſus addubitant cur
græcè ſcriptum ſit ὁμώνυμα λέγεται, id eſt æquiuoca dici-
tur, non λέγονται, hoc eſt dicuntur. Quoniam æquiuoca, in-
C quam, etſi multa ſunt, quatenus tamen æquiuoca, ſunt unũ
(unum enim eſt, quod de multis prædicatur nomen) pro-
pterea dicitur ſingulariter protulit, plurale eſt enim dicun-
tur. Alia ratio. Græcis mos eſt in neutris nominibus ſi ter-
tiæ perſonæ uerbis iungantur, ſingularem numerum pro
plurali uſurpare, ut τρέχει τὰ παιδία, id eſt currit pueri: ἐπὶ

ÆQVIVOCORVM.

A fortuna, ut ſiquis hic eſt alibi eodem uocatus ſit no-
mine.

A conſilio, ut ſicui libeat ſe-
uos quibusvis appellare no-
minibus.

A CONSILIO.

A memoria ut ſiquis aui me-
moriam ſeruãs filium aui no-
mine uocauerit.

A ſpe, ut ſiquis filium ſuũ fo-
re Platoni ſimilẽ ſperans Pla-
tonem appellabit.

A proportione, ut cũ pedes Idæ, aut montis uerti-
cem, aut lecti pe-
des dicimus.

Ab uno ut cũ o-
ſi ab aliquo quæ-
cũq; ab eo proue-
niũt illius appel-
latione nuncupa-
bimus.

Ad unũ cũ remediũ
ſalubre ac ſalubria ci-
baria dicimus. hæc. n.
ut ad finẽ reſpiciẽtes
ſanitatẽ, æquiuocè u-
camus ſalubria.

AB VNO.

Ab aliqua exemplari cauſa ut homo in tabula pictus ab homine uero.

Ab aliqua efficiente, a qua & cognomen habent, ut me-
dicũ ſcalpellũ eſt muſica lira a medica ſcientia & muſica.

Quod factũ eſt a memoria, ſæpe nomini a ſpe indito concurrit: ut ubi quis filium ſperans auo ſimilem fore, aui nomen ipſi impoſuerit, tum memoriæ cau-
ſa, tum quod talem ipſum ſperet futurum.

A φιλοῦσι τὰ δένδρα hoc eſt libri deprauatus eſt: & ἵνα δένδρα
γαμεῖ τὰ δένδρα, non geminauit arbores: cauſam tradunt
grãmatici: ſic plurali quoq; hic recto, qui eſt æquiuoca, ſin-
gulare illatũ eſt uerbũ, qđ eſt dicitur. Neq; uero nos præte-
reat, tria hæc eſſe inter ſe differentia, æquiuoca, æquiuoca-
tio, æquiuocè. Sunt æquiuoca, res ipſæ æquiuocatio, reſpe-
ctus is, ſm quẽ nomine cõmunicarunt, æquiuocè, ipſa q̃ de
rebus eſt prædicatio. Illud quoq; intelligendũ, ſtatim de-
claratã ex proœmiis libri intentionẽ (ait. n. æquiuoca dicun-
tur) nam p̃ uerbũ æquiuoca, res: p̃ dicuntur, uoces ſignificat:
res aũt à nobis p̃ medios conſiderantur conceptus. Æqui-
uocorũ aũt præceptionẽ p̃ æquiuocas uoces confecit, nã
idipſum quoq; æquiuocũ, æquiuocũ eſt, cũ pluribus mo-
dis dicatur. Sunt enim æquiuoca q̃dã a fortuna, nonnulla
a conſilio. A fortuna, ut cum in locis quidã diuerſis idem
nomen habentes fuerint, ut Alexander Paris, & Alexander
Macedo. A conſilio, ut ſicut libeat ſeruos quouis nole ap-
pellare. Horũ q̃ a præelectione conſilioq; proficiſcuntur, ali-
B qua a memoria ſunt, ut cum quis filium ſuũ maiorum no-
mine uocauerit. Alia a ſpe, ueluti ubi filium ſuum philo-
ſophum fore quiſquam expectans, Platonẽ nominauerit.
Ac ſepenumero uſu uenit ut quod factũ a memoria eſt, in-
dito a ſpe nomini concurrat, utiq; cũ cõpertus auus fuerit
tale ſtudii genus tractaſſe. Alia ab analogia ſeu proportio-
ne, cũ ab alicuius rei proportione, quid quã nũcupabimus
ut pedẽ lecti, ac montis uerticem. Quã enim pes ad homi-
nem, eam quoq; pes lecti ad lectum rationem obtinet. Sũt
etiam quę ab uno dicantur, uerbi cauſa cum orſi ab aliquo
illius appellatione quæcunq; ab eo deducuntur, uocabi-
mus. ut medicum uolumẽ, medicum pharmacum. Sunt &
quæ ad unum, ſicut quando ad finem quempiam futurum
reſpicientes, ad illum ea nominabimus, ut ſalubris exerci-
tatio, ac potio ſalubris. Cæterum differunt hæc ab iis quæ
ab uno denominantur, q̃ ab aliquo principio dicantur il-
la, hæc ad finem aliquem ſpectent. Quæ autem ab uno p̃-
ueniunt, partim ut ab exemplari cauſa appellantur, ut ho-
mo in tabula depictus ab aliquo uero homine, partim ab
C efficiente, ut medicum ſcalpellum. Porro quærendum hoc
loco eſt, quoniam Æquiuocorum ſignificatu de æquiuo-
cis doceat Ariſtoteles. Itaq; eo dicimus qui ab uno eſt. No-
minatus. n. pictus a uero eſt hõe. Quidã aũt cur æquiuoco
a p̃portione uſus non ſit, indagarunt, id quod eſſe melius
uidetur. Quoniam inquam quod in proportione eſt, id in
quatuor minimum ſpectatur. Dicimus enim, exempli gra-
tia, duo ad octo proportionem habere, ut decem ad qua-
draginta (quadruplam enim rationem utraq; obtinent,)
æquiuoca aũt ẽt in duobus ſpectantur, iure igitur de æqui-
uocis ſecundum proportionem non diſputat. Sunt uero
qui dicant multiuocorum mentionem non ideo, factã q̃
eadem nomine æquiuoca inueniantur, definitione differãt
contra multiuoca, proinde Philoſophum quaſi de rebus
differentem nomina neglexiſſe, quippe cũ ea ſcrutari grã-
maticos deceat. Aliter quoq; de ſolis agit his in præſen-
tia (id quod iam dixi) quæ ipſi ad prædicamentorum do-
ctrinam ſunt utilia. {Dicuntur.} Subaudiendum eſt res, ut
D ita ſit, æquiuocæ res dicuntur, quarum nomen ſolum com-
mune. At cum dici ea inquit, apud ueteres quoq; circun-
ferri nomen indicat, neque ſuam eiuſmodi eſſe nominis
impoſitionem, etenim Plato quoque eorum meminit, &
Poeta, cum de Atacibus dicit, æquali nomine appellati.
Vbi autem nomen ipſe impoſuerit, ait uoco, uel ſit, ut in
reſolutoriis, Terminum autem uoco, & in libro de inter-
pretatione. Sitq; hoc contradictio. {Quorum ſolum no-
men commune.} Nunquid igitur non eſt in uerbis æqui-
uocatio? certè eſt, dicimus enim fero, ſignificatq; hoc & por-
to, & dico. Quonam pacto ergo æquiuoca eſſe ea inquit
quæ ſolum nomen commune obtinent? Reſpondebimus
ad hoc, dici dupliciter nomen, partim ut uerbo oppona-
tur, partim communiter de omni dictione, qua ſignificatio-
ne uox omnis ſignificatiua nomen uocatur, ut in libro de
interpretatione, inquit. Ipſa igitur, quæ per ſe dicuntur
uerba, nomina ſunt, atque aliquid ſignificant. Hic ergo

Qualem igitur hoc loco Ariſtoteles æquiuoci ſignifica A
tionem aſſumit:nempe forma ſimilem. Quidam eam pu-
tant quæ eſt ab uno:eſt enim ab homine ut a cauſa imago.
Vtrunque autem uerum eſt. {Vt animal, & homo, & id quod
eſt pictum.} Horum enim communis nominatio eſt, nam
utrunque animal dices:non eſt autem finitio eadem, quan
doquidem ſi alterum definias, dices ſubſtantiam, animatá
ſentientem:alterum, ſimulacrum ſubſtantiæ animatæ ſen-

ÆQVIVOCA A CONSILIO.

A ſimilitudine.	A Proportione, ut dicimus pedes montis aduerticem, & pedes lecti ut.n ſe habent pedes at totum animal, ſic & lecti partes inferiores ad lectum.
Ab actione ut cũ patris nomine quempiam uocauerimus, quod in actionibus ſimilis ei fuerit.	A forma, ut cum Socratis imaginem illius nomine uocauerimus.
A ſpe, ut cum ſperantes aliqui filios Platoni ſimiles fore ipſos illius nomine appellauerint.	Vt a cauſa effectrice, ut muſica ſcientia & mulier & cithara. a ſcientia enim & mulier & cithara.
A fine, ut ſiquis alimentũ ad id quod eſt reſpirare nominet uitam, quoniam ad uitam, ut ad finẽ conducũt aut flebotomum bonum & purgatorium, medicamen quod ad bonũ quoddam hoc eſt ſanitatem referatur.	A memoria, ut cum aliqui patris memores, filios aut nomine appellauerint, ut illius memoria cuſtodiatur.

B

C

tientis. {Siquis enim aſſignet eorum utriq;, quid ſit propter quod animal eſt, propriam utriuſque rationem aſſignabit.} Cum hæc tria ſint:materia, & forma & compoſitum, definitiones rerum quãdoque a materia conficimus, nonnunquam a forma, interdum a compoſito. Atque ex materia quidem, iram eſſe dicimus, ſanguinis cor ambientis feruorem (is enim materia eſt iræ:) a forma autem, appetitum dicimus ulciſcendi:a compoſito, ſanguinis feruorem cor ambientis, ob ulciſcẽdi appetitum. Cæterum quę propriè habetur finitio, a forma deſumitur, nam rebus communionis cauſa eſt materia, forma autem, differentiæ: nos uero finitionibus res a ſe inuicem diſcernere uolumus. Quamobrem cum hic etiam a forma ipſarum finitionem promere Ariſtoteles uelit, non quid ſit eorum utrunque eſſe animal dixit (hoc enim compoſitum ſignificat, nimirum materiam ac formam) ſed quid ſit eorum utrique eſſe animali, hoc eſt quid in utroq; eorum ſit propter quod ſunt animalia, ut finitionem ex forma declararet: huius enim ra- D
tione ſunt, animalia. Qui autem, quare horum utrunq; animal dicatur, expoſuerit, propriam utriuſq; aſſignabit rationem, ut ſupra diximus.

DE VNIVOCIS.

VNIVOCA *uero dicuntur, quorum & nomen commune eſt, & ſecundum nomen eadem ſubſtantiæ ratio, ut animal, & homo atq; bos.cõmuni.n.horum nomine utrunque animal nuncupatur, & eſt ratio ſubſtantiæ eadem. Siquis enim aſſignet utriuſque rationem, quid utrumque eſt quo animal eſt, eandem aſſignabit rationem.*

Vniuoca} Abſoluto de æquiuocis ſermone, deinceps de uniuocis tractat. Patet autem & uniuocorum præceptio ex æquiuocis, eadem enim dicenda, quæ & in æquiuocis recenſuimus, nempè quod non in nominibus tantum uniuocatio, ſed in uerbis quoque conſiſtat, quod item ſit & in accidẽtibus uniuocatio. Nam uerbum alterare uniuocum eſt: alterare enim dicitur & qui dealbat, & qui denigrat, eandẽ uero & definitionem admittunt, nam ipſum alterans definientes, id eſſe dicimus, quod in aliud mutandi qua ratione aliud eſt, in ſeipſo principium obtinet. Hoc & in dealbãte dicere, & in denigrante conueniet, ſiquidem quoduis alterans, eorum in ſeipſo principium habet, quæ alterantur mutandorum, eſtq; aliud ab iis quæ alterantur. Nam niſi aliud eſſet, ne alteraret quidem. Idcirco, qua ratione aliud additum eſt. Porrò exemplo eodem animalis data opera utitur, ut idem poſſe alia atque alia ratione & æquiuocum & uniuocum eſſe appareat. In homine enim uero & picto, æquiuocum animal eſt, in homine autem & boue, uniuocum.

DE DENOMINATIVIS.

DENOMINATIVA *uero dicuntur, quæcunque ab aliquo differentia caſu, ſecundum nomen habent appellationem:ut à grammatica grammaticus, & à fortitudine fortis.*

DENOMINATIVA} Poſtquam de Æquiuocis præcepit atque Vniuocis, de Denominatiuis meritò differit, ſiquidem hæc difficiliorem minusq; extricabilem habent complexum. Cum enim ſolo nomine ſocientur æquiuoca, finitione uero diſſideant, ruſus uniuoca, & nomine, & finitione communicent, hæc nec omnino conueniunt nomine, nec planè diſſentiunt, ſimiliter & finitione partim communicant, partim differunt. Enimuero hæc
C ſub quatuor coniugationum quas enumerauimus complexum haudquaquam rediguntur, æquiuocorum inquã, & multiuocorum, & uniuocorum, & diuerſiuocorum. Nã cum illa uel ex nominis ac finitionis ſocietate, uel utriuſque differentia, uel unius communitate, alterius differẽtia propriam notam ſortiantur, hæc nec in utroque omnino conueniunt, nec penitus diſcrepãt, ſed nec in altero exactè conueniunt, in altero diſſident, uerum in utroque aliquatenus congruunt, aliquatenus diuariant. Quidam ſtatuenda ea cenſent inter æquiuoca & uniuoca, ſiquidem cũ nomine ſolo concordent æquiuoca, finitione diſcordent, uniuoca autem utroque conſocientur, hęc nec nomine ſimpliciter nec finitione conſentiunt. Verum iis commodius inter uniuoca & diuerſiuoca locum dabimus. Cum enim in utroque conueniant uniuoca, diuerſiuoca in utroque uarient, hęc modo quodam in medio ſunt, atque in utroque partim communicant, partim diuerſa ſunt. Porrò in Denominatiuis quatuor hæc adſint neceſſe eſt, communitas rei differentia rei, communitas nominis, circa finalem ſyllabã
D differentia, ſi enim horum unum aliquod deſit, denominatiuum non erit amplius. Sit communitas circa nomen ac differentia, ſit circa rem quoque communitas, differentia ne ſit, denominatiuum non eſſe aio. ut in πλάτανος & πλατάνιστος, id eſt platanus, & παρθένος & παρθενική hoc eſt uirgo, res enim ab ambobus indicatur eadem, eſtq; παρθενική & πλατάνιστος poeticum, πλάτανος autem & παρθένος, proſæ orationis. Rurſus cætera omnia ordine ſint, ne ſit circa rem communitas, pariter quoque Denominatiua non erunt, ut in Helena & Heleno. Sint iterum deinceps omnia, abſit finalis differentia ſyllabæ, ut in muſica & muſica muliere, nã hæc ſunt æquiuoca, non Denominatiua. Rurſus alia ſint, nec ſit aliq̃ in nomine cõitas, neq; erunt Denominatiua, ut in uirtute & ſtudioſo, neq;.n. a uirtute dicitur uirtuoſus. ppterea quod huius uocabuli ueteres ne p ſomnii q

dem ueſtigium meminerunt.ſed contra,nomen inauſpica
tum norunt portæ.Quiſnam alius te, ſit iunior quanquam
ille,iuuabit inarete.hoc eſt compos in malam partem uir
tutis.Sed neque à ſtudio deducitur ſtudioſus,quod ſimili-
ter de uitio ac uirtute dicitur:ſtudioſus autem ſolus eſt uir
tute prædıtus. Quamobrem ſtudioſus,quod ad uocem
attinet,à ſtudio deriuatum eſt:quod uero ad ſignificatum,
non item,ſed a uirtute eſt deductum. Per id autem quod
dixit{Secundum nomen appellationem habent}commu-
nitatem declarauit nominis. Vel hoc modo, Cum quan-
dam ea cum illo ab aliquo ſocietatem habere pronuncia-
uerit,penes rem communicationem ac diuerſitatem aper-
ruit.Nam ſi ab aliquo,conſtat quandam ea cum illo, qua-
tenus ab eo prodeunt,ſocietatem obtinere: quòd ſi omni
no ab aliquo ,ea quoque differre compertum eſt,nam niſi
differrent,minime ab aliquo dicerentur. Cum dixit diffe
rentia caſu,finalis ſyllabæ diuerſitatem indicauit.Docet au
tem de Denominatiuis Ariſtoteles,ꝙ ea quoque ad doctri
nam de Prædicamentis uſum afferant.

DE IIS QVÆ DICVNTVR.

*E*ORVM *quæ dicuntur,alia quidem ſecundum cō*
plexionem dicantur,alia uero ſine complexione. Ea
igitur quæ ſecundum complexionem dicuntur, ſunt
ut homo currit,homo uincit. Ea uero quæ. ſine complexione di-
cuntur,ſunt ut homo,bos,currit,uincit.

EORVM quæ dicuntur}Hinc ad doctrinam de præ-
dicamentis ingreditur. Verum quoniam Prædicamenti no
men,& de rebus,& de conceptibus,& de Vocibus intelli-
gitur(nam Prædicamentum, & res ipſa, & conceptus de
er,& ipſa uox dicitur)uocis prius diuiſionē tradit. Quod
ſi de Vocibus hoc loco diſputat,& Vocibus non ſignifica
tione carentibus, paulopoſt autem de rebus,cum ait: En-
tium alia de ſubiecto dicuntur:de conceptibus quoq; qui
C in medio ſunt,ſermonem haberi,perſpectum eſt. Quare
uel ex ipſis autoris dictis perſpicua eſt libri intentio. Diui-
dit autem uoces in ſimplices atq; compoſitas. Simplices
eas,dicit,quæ rem ſimplicem declarant, uel ſubſtantiam,
uel actionem,uel paſſionem. Compoſitas,quæ compoſi-
tum quidquam ſubſtantiæ,uel actioni,uel paſſioni ſignifi-
cant,ut Socrates currit:hoc enim compoſitum eſt: & So-
crates,uel bos:hæc enim ſimplicia. Porrò nō ſimplex uox
omnis rem ſimplicem notat,nec compoſita duplicem.Cō
poſita uox eſt Areopagus,id eſt Martiuſuicus,& Corupe
tra,& Neapolis,hoc eſt Nouaciuitas,ſed quod ab iis ſigni
ficatur eſt ſimplex. Vox autem ſimplex, ut curro, curris,
omniaq; primæ ac ſecundæ perſonæ uerba, & quæ tertiæ
de certa perſona feruntur,ut tonat,fulgurat,pluit: Iuppi-
ter uidelicet:nam hæc omnia pronunciatione ſimplicia, ſi
gnificato compoſita ſunt:ſignificant enim ſubſtantiam ꝗ-
dam actioni complexam. Enimuero aiunt in tertiis perſo
nis non admodum apparere ſubſtantiam, ob uerbi incer-
D titudinem: proinde ea ſola accepimus quæ præfinitam cer
tamq; perſonam indicarent. Verum tametſi non definitā
ſubſtantiam tertiæ perſonæ uerborum deſignent, ſignifi-
cant tamen prorſus aliquam agentem uel patientem ſub-
ſtantiam. Quapropter indicatiuorum tertiæ uerborum ꝑ
ſonæ uoce omnino ſimplices ſunt, ſignificatu compoſitæ.
nam ſiquis dicat currit uel uincit,nimirum de aliquo præ-
dicat id quod eſt uincere aut currere. Prorſus ergo & in
tertiis perſonis,quamuis indefinitè,ſubſtantia dilucet. Ari-
ſtoteles tamen eiuſmodi perſonas aſſumpſit ueluti ſim-
plices,quoniam non diſtinctè in iis apparet ſubſtātia. Pro
priè autem ſimplicia fuerint uerba, quæ uel actionem ſo-
lam uel paſſionem declarant,citra id quod agit aut pati-
tur,ut uerberare,uerberari. Ergo nec uocum compoſitio-
ne aut ſimplicitate res ſimplices aut compoſitas oportet,
ſed ex ipſis ſignificatis æſtimemus. Quin & uoces ip-

A ſæ tametſi compoſitæ ſunt, ſi rem ſimplicem oſtendant,
ſimplices appellandæ: non ſecus & ſimplices, com-
poſitæ ſi compoſitam declarent. Si enim de ſolis a-
geremus uocibus, ac ſyllabarum quantitate,compoſitio-
nem iuxta quantitatem iure definiremus quomodo & grā
matici faciunt:at ſi ceu de ſignificantibus diſſerimus, opus
eſt uoces ſecundum ſignificatum iudicare. Eques enim nō
ſimplex quidquam deſignat(equum enim ſignificat,inſidē
temq; hominem,atque equitandi artem) non ſimplex er-
go uox appellanda,ſed compoſita: Vti Neapolis quoq;
quoniam unum ſignificat,nō compoſita ſed ſimplex uox
eſt dicenda. Porrò uerbum{Dicuntur} in rebus,& con-
ceptibus,& uocibus quadrat. Nam & res dici perhiben-
tur,ſed ut ſignificatæ,& conceptus dici,ſed ut enunciati:uo
ces quoque dici aiunt,ſed ut prolatas. Quam igitur ob
cauſam per complexionem dicta præponit complexione
carentibus? Dicimus propterea quòd amat humana natu-
ra ab imperfectioribus atq; compoſitis ad ſimpliciora per
fectioraq; progredi:nam compoſita familiaria nobis no-
B tioraq; ſunt. Sic & puer orationem nectere, ac dicere So-
crates ambulat nouit: cæterum reſoluere eam in nomen
& uerbum,atque hæc in ſyllabas,tum illas in elementa, nō
etiam nouit. Sic nos quoque ambulantem intuentes homi
nem,prius totum hoc,hominem ambulantem cognoui-
mus,ipſum deinde in ſubſtantiam atque actionem reſolui
mus. Quomodo ergo incipere a ſimplicioribus oporte-
re,ſuperius pronunciabamus,quaſi futurum nō ſit, ut ſim
plicibus non præcognitis cognoſcantur compoſita: pro-
inde opus eſſe ut ſimplicium uocum præceptio, doctrinā
antecedat ſyllogiſmorum? Dicimus,in quibus æque,ſimpli
cia compoſitaq; ignorātur in iis incipere à ſimplicioribus
oportere. Illic autem ſyllogiſmus ſimiliter ac ſimplices i-
gnorabantur uoces:hic ea notiora quæ compoſitiora ſunt,
idcirco ſumendum a ſimplicioribus docendi initium.
Quamobrem illic propter docendi modum,a ſimplicio
ribus,hic a compoſitioribus, ob modū cognitionis exor
diendum eſſe dicebamus. Eſt & alia cauſa cur hic antepo-
C ſita ſimplicibus compoſita ſint. Quoniam enim futurum
eſt,ut complexione carentia diuidat, hæc ob id poſterius
commemorauit,ut de ipſis protinus doceat. Eſt autem tū
hæc diuiſurus cum dicet. Eorum quæ citra complexionē
dicuntur. Porrò ſtatuit in his de induſtria duo nomina
duoq; deinceps uerba,nequis poſt error ſequatur.

Diſcrimen inter logicū ac grāmaticū ipſis uocibus cōſiderationem.

DE IIS QVÆ SVNT.

*E*ORVM *quæ ſunt,alia de ſubiecto aliquo dicun-*
tur,in ſubiecto uerò nullo ſunt,ut homo de ſubiecto
quidem dicitur quodam homine,in ſubiecto uerò nul
lo eſt. Alia autem in ſubiecto quidem ſunt,de ſubiecto autem nul
lo dicuntur. In ſubiecto uerò eſſe dico,quod cum in aliquo ſit nō
ſicut quædam pars,impoßibile eſt eſſe ſine eo in quo eſt.ut quæ
dam grammatica in ſubiecto quidem eſt in anima, de ſubiecto
D *uerò nullo dicitur. & hoc album in ſubiecto quidem eſt corpo-*
re(omnis enim color in corpore eſt)de ſubiecto autem nullo di-
citur. Alia uero de ſubiecto dicuntur,& in ſubiecto ſunt.ut ſciē
tia in ſubiecto quidem eſt in anima,de ſubiecto uerò dicitur, ut
de grammatica. Alia uero neque in ſubiecto ſunt, neque de ſu-
biecto aliquo dicuntur.ut quidam homo,& quidam equus. Ni-
hil enim talium,neque in ſubiecto eſt,neque de ſubiecto aliquo
dicitur. Simpliciter autem quæ ſunt indiuidua,& unum numero,
de ſubiecto nullo dicuntur.in ſubiecto autem nihil aliqua pro-
hibet eſſe,quædam enim grammatica,in ſubiecto eſt,at de ſubie-
cto nullo dicitur.

EORVM quæ ſunt}Diuiſionem rerum in decem no
bis traditurus,harum prius diuiſionem in quatuor expo-
nit:

nit:tradita enim in duo prius uocum partitione, iure ad quaternariam hanc ſectionem pergit. Nam numerus Duo in ſeipſum multiplicatus quatuor facit. Poſt hanc uero, eã quæ in decem fit diſtributionem docebit. Ab unitate enim incipiens numerus, ſi ad quatuor uſq; componatur, decem conficit, unum, duo, tria, quatuor, & decem ſiunt. Aliter quoque. Complexam hic rerum diuiſionem facit, copulat enim uniuerſale ſubſtantiæ atque accidenti, ſimiliter iiſdem & particulare: illic articulatim ac ſimplicisſimam hanc facit ſectionem, nullum ulli coniungens, uerum quodlibet uti naturam obtinet docens, peculiariter de ſubſtantia, pecu

Subſtantia.		Accidens.
De ſubiecto & non in ſubiecto.	Vniuerſale.	In ſubiecto & de ſubiecto.
Inconſi-		ſtentes.
Inconſi		ſtentes.
Non in ſubiecto nec de ſubiecto.	Particulare.	In ſubiecto & non de ſubiecto.

liariter nec communiter de iis quæ unicuiq; accidunt. Cũ igitur pro intentionibus diuerſis fiat entium diuiſio, merito & diuiſionis ſegmenta diuerſa extitere. Eſt ergo id genus propoſita diuiſio entium. Entium inquit nonnulla ſubſtantia ſunt, nonulla accidentia. Rurſus ſunt quædam entium uniuerſalia, quædam particularia. Cum quatuor hæc itaq; ſint entium ſegmenta, binaq; comprehendantur, ſex coniugationes ex horum ſiunt complexu: duæ inconſiſtẽtes, quæ iungunt contraria, conſiſtentes quatuor reliquæ. Nam entia partim uniuerſales ſubſtantiæ, partim uniuerſalia ſunt accidentia: & quædam particulares ſubſtantiæ, particularia quædam accidentia ſunt, prout habet ſubiectæ figuræ deſcriptio. Verum ſi uocibus iis quibus nos, uſus fuiſſet Ariſtoteles, atque uniuerſalem ſubſtantiam, uniuerſale accidens, particularem ſubſtantiam, particulare accidens nominaſſet, utiq; nobis non faceſſeretur negocium: nam perſpicuum id eſſet quod traditur: at is ob quam diximus cauſam obſcuritati ſtudens, alia uſurpauit nomina, eorum quæ ſignificantur naturæ accommodatiora, quidẽ, cæterum a multitudinis uſu remota, ac proinde obſcuriora. Accidens igitur, in ſubiecto uocat: ſubſtantiam, non in ſubiecto: uniuerſale, de ſubiecto: particulare, non de ſubiecto. Conſtatq; quamobrem accidens in ſubiecto nominet: id enim per ſe ſubſiſtere non ualet, ſed aliud, hoc eſt ſubſtãtiam, ut exiſtat requirit. Subſtantiam autem, non in ſubiecto appellat: neque enim alio eget ut ſit. Vniuerſale, de ſubiecto, quoniam particularia non ad ſubſiſtentiam poſtulat, uerum ad prædicationem, nam niſi ſint particularia, uniuerſale de quo prædicetur non habet. Particulare, non de ſubiecto: quandoquidem particularia de nullo alio prædicantur. Quamobrem uero non ſubiectum, ſed non in ſubiecto uocauit ſubſtantiam, ſi ad ſubſiſtentiam ſubiacet accidentibus? Ad hoc itaq; dicemus primum, ſubſtantiam non omnem ſubiectum eſſe, nam diuina ſubſtantia ſubiectum nequaquam eſt, cum in ipſa nihil accidat, ergo ſubiectum non uocabitur. Quapropter ſi ſubſtantiam communiter uocaſſet ſubiectum, diuinam ſubſtantiam non ſimul comprehendiſſet. Secundo, hæc potisſima ratio eſt, quoniam cum in oppoſita diuiſiones fiant, quædam uitabiles ſunt, quædam ineuitabiles. Sunt uitabiles, quæ in contraria

Obſcuritas Ariſt. familiaris.

Quæſtio. Acutam iſpice nam potuiſſet abſque ulla reprehenſione hoc in loco Ariſt. uocare ſubſtantiã id quod eſt ſubiectũ. niſi ut ex Ammonio infra ã a patebit Ari. non agit niſi de ſubſtãtia cõpoſita, at ſubſtãtia cõpoſita quæque ſubiectũ eſt.

A ineuitabiles, quæ per contradictionem ſiunt. Cum enim alia medio prædita contraria ſint, alia careant, diuiſionem quæ in contraria fit ineuitabilem non eſſe in medio præditis neceſſe eſt. Sunt Porrò contraria medio prædita, ut album & nigrum, ſanitas & morbus, ſunt enim inter album ac nigrum, colores fuſcus, ruber, ac cæteri omnes, inter ſanitatem & morbum, quod medici neutrum appellant. Cõualeſcentias enim ex morbo, neque ſanitates eſſe aiunt, cũ ſanorum actionibus non perfungantur qui conualeſcunt, neque morbos, quidem a cauſa ægrifica liberati ſunt ii, q ſanitati reſtituuntur, ergo inter ſanitatem & morbum medium quoddam eſt conualeſcentia. Medio carent par & impar, ſi hæc planè ut contraria ſunt oppoſita, nam nos alibi oſtendimus non eſſe contraria. Rurſus rationale & brutum oppoſita ſunt ſine medio, cum contraria nec ipſa ſint. Quare ſunt propriè contraria quæcunque obtinẽt medium. Siquis igitur entia in contraria diuidat, atque entiũ alia alba eſſe dicat, alia nigra, colores ab eo medii omnes relinquãtur neceſſe eſt, neque uero ſolum ii, ſed etiam ſub

B ſtantiæ quæ colores nõ admittunt, ut aer, angelus, anima. Verum nec cæteræ in ſpecies oppoſitorum diuiſiones ineuitabile habent, iis duntaxat exceptis quæ per cõtradictionem ſiunt, uerbi cauſa ſiquis dicat entia tum dextra eſſe, tũ ſiniſtra: uel partim dominos, partim ſeruos, alia patres, alia filios, ſunt enim quæ ex iis nullum exiſtant. Verum enimuero nec ſi per priuationem & habitum fiat diuiſio: ut ſi quiſquam entium dicat alia cæca eſſe, alia cernentia, & q̃dam docta, quædam indocta. Habitus enim & priuatio in ſolis capacibus dicitur. Quod autem habitum indipiſci natura aptum non eſt, neque priuatum eo eſſe perhibetur. Quocirca non omnia quæ ſunt, habitus & priuatio diuidit, niſi in quibuſdam, tantundem quantum contradictio ualeat, ut ſe habet corpus & incorporeum, nihil enim inter hæc medium eſt, ſiquidem incorporeum idem cum negatione poteſt, quæ eſt non corpus. Ergo diuiſio ea duntaxat quæ per contradictionem fit, ut ſiquis inquiat eorum quæ ſunt alia eſſe alba, alia non alba, entia omnia comprehendit. Nam & fuſcum non album, flauum quoque & ru

C brum ſimiliter, ſed & anima non alba, & angelus nõ albus, neque enim colori ſuſcipiendo aptitudinem naturæ obtinent. Porrò & Plato uiam rationemq; diuidendi quæ p contradictionem efficitur, effert laudibus. ſe enim elabi nihil, inquit, quod ſit. glorïabitur diuiſio. Proinde igitur cũ & Ariſtoteles accidens in ſubiecto appellauerit, per huius negationem indicauit ſubſtantiam, quam non in ſubiecto nominauit, ut omnem ſubſtantiam aſſumeret. Ad hæc duplex eſſe ſubiectum dicemus, alterum ad ſubſiſtentiam, alterum ad prædicationem. Ad ſubſiſtentiam quidem ſubſtantia, nam hæc accidentibus, ut exiſtant, ſubiecta eſt. Particularia uero ad prædicationem, uniuerſalibus enim ſubiacent hæc, non quo exiſtant illa, (neque enim uniuerſalia, ut ſubſiſtant, egent particularibus) ſed ut habeãt de quibus prædicentur. Contra uerò uniuerſalibus particularia non ad prædicationem, ſed ad hoc ut ſint, non eſſet enim Socrates & Plato, niſi eſſet homo ſimpliciter. Eorum autem

D quæ ad prædicationem ſubiacent, alterum ſubſtantia, alterum accidens eſt: ſubdita enim eſt particularis ſubſtantia uniuerſali ad prædicationem, ut dictum eſt, exempli gratia, Socrates ei qui ſimpliciter homo eſt, & ſimpliciter animal, particulare accidens uniuerſali, ut inhærens huic lapidi album, ſimpliciter albo, ac colori, dicimus enim lapidẽ hunc eſſe album, & ſimpliciter album, colorem eſſe. Quoniam igitur utrunque eodem modo ſubiectum nuncupatur, ſi entium alia in ſubiecto, alia ſubiecta eſſe dixiſſet, utique eſſet & particularia accidentia complexus, quæ & ipſa ſubiecta ſunt, tametſi non ad ſubſiſtentiam ſed ad prædicationem. Vult autem per hæc uerba, non in ſubiecto, ſubiectam ſubſtantiam dicere, quæ ipſius eſſe initium ſuppeditat, eamq; ab accidentibus è diuerſo diſtinguere. Harum porrò diuiſionum altera eſt à ſubſiſtentiæ, altera à prædicationis modo. Illa, Entium, inquit, alia in ſubiecto eſſe, alia non in ſubiecto: hæc dici,

Entium aliqua de ſubiecto, aliqua non de ſubiecto dicuntur. Quædam enim prædicari, quædam ad prædicationẽ ſubijci ait. Atque Ariſtotelis diligentiam contemplare, quomodo in ſubſiſtendi modum ſignificante, Eſt, dixerit: uerbum autem Dicitur, pro eo quod eſt prædicatur, in ea quæ prædicationis modum indicat, uſurpauerit. { In ſubiecto autem nullo eſt. } Pro non in alio ineſt. Ex quatuor autem coniugationibus uniuerſalem ſubſtantiam ueluti digniorem præponit: ac quoniam particularium ſcientes per uniuerſalia reddimur. In Particularibus enim a brutis nihil differrimus animantibus, imò eorum nonnulla acrioribus quam nos præſtant ſenſibus, quibus particularia apprehendimus. Dein ſecundam ponit huic obiacentem: particulare id accidens eſt: oppoſitum enim ſubſtantiæ eſt accidens, uniuerſali autem particulare. Poſtea uniuerſale accidens particulari ſubſtantiæ prætulit, quoniam de uniuerſalibus eſt ſermo philoſophis { In ſubiecto autem id dico, quod cum in aliquo nõ ceu pars inſit, ſine eo in quo eſt eſſe non poteſt. } Quoniam uocibus quibuſdam nobis ex conſuetudine ignotis uſum ſeſe Philoſophus ſenſit, eæ ſunt, de ſubiecto, & non de ſubiecto, in ſubiecto, & non in ſubiecto, uult deinceps nos ipſas docere. Cæterum non omnes exponit, ſed duas duntaxat, quæ ſunt, in ſubiecto, et de ſubiecto, nam iis cognitis, reliquarum quoque ſignificatio conſtabit. Qui enim quid ſit in ſubiecto eſſe nouit, quid etiam ſit non eſſe in ſubiecto cognouerit. Et qui de ſubiecto dici quid ſit, didicit, is etiam quid non dici de ſubiecto intellexit. Et prius quid eſſe in ſubiecto ſit præcipit, id quod facit finitione, nam finitiones, ut ſæpe commemorauimus, naturam nobis exhibent rerum, ut quæ ex genere ac conſtitutiuis differentijs conſiſtunt. Cum autem ex genere ac conſtitutiuis differentiis conſtetur finitio, hic illud in aliquo aſſumit Ariſtoteles quod generi proportione reſpondeat, reliqua differentiis. Dicetur enim in aliquo modis undecim, uel ut pars in toto, ut manus in toto corpore eſſe dicitur, & caput. uel ut totum in partibus, ut in capite manibus, alijsq; eſſe corporis ſertur integritas. Porrò totum non in parte, ſed in partibus dicitur, quandoquidem non in parte una integritas, ſed in omnibus conſideratur igitur una parte adempta, totum minutum ſolet mácumq; eſſe, nec poterit totum uocari. Vel ut ſpecies in genere, ut hominem eſſe in animali dicimus. Vel ut genus in ſpecie, ut in homine animal. hic uero genus in ſpeciebus dicamus neceſſe non eſt, ut totum in partibus dicimus. non eſt enim a partibus exempta integritas, ſed ipſum eſſe in iis obtinet, at genus exceptam habet eſſentiam, eſtq; in ſpecie qualibet totũ. Vel ut in tempore, ueluti cum ita loquimur, fuerunt ea tempeſtate Troiana bella. Aut tanquam in loco, uti dicimus in lyceo, uel in foro. Aut tanq̃ in uaſe, ut uinum in dolio, ſiue in modio triticum. Enimuero locus & uas æquali quodammodo conuerſione commeant, nam locum uas quod moueri ac transferri nequit, uas autem, locum qui mouetur ac circunfertur, appellabis. Vel ut forma in materia, ut ſtatuæ forma in ære. Aut ueluti res ſubditorum in principe, ut quando res ciuium dicimus in principe ſitas. Vel ut in cauſa finali, cum medicum, uerbi gratia, in medicina dicimus, aut militem in re militari ſpẽ collocare. Vel tanquam in ſubiecto, ut accidens in ſubſtantia. Ariſtoteles igitur illud in aliquo, ceu genus accipit prædicatum de pluribus, quæ dehinc ſequuntur, differentiarum loco adiicit, ut ab alijs ipſum diſcernat, de quibus dictum in aliquo prædicatur. Atque per uerba hæc, quod non ceu pars ineſt, ab eo quod tum ut pars in toto ineſt, tum ut ſpecies in genere, ipſum diſtinguit. Nam hęc quoque uti pars quodammodo eſſe totius ipſius animalis uidetur, & animal totum eſſe quidpiam: idq; Porphyrius in introductionibus affirmat, cum tria ſint hæc inquiens, generaliſſima genera, ſpecialiſſimæ ſpecies, & ſubalterna, generaliſſimum, totum ſolummodo: ſpecialiſſimum, pars eſt duntaxat, ſubalternum & totum & pars, uerum pars alterius: totum nõ alterius ſed in alijs. Per id uero quod dixit, ſine eo in quo eſt eſſe non poteſt, a cæteris ſeiunxit. Porrò non-

A nulli finitionem, alij ex eo quod redundet, alij quod deficiat, uitioſam aſſeuerant. Finitionis enim uitium eſt, ad id quod definitur nequaquam reflecti, ſed uel plura, uel pauciora aſſumere. Qui abundare eam dicunt, non ſola accidentia a finitione aiunt, ſed corpora quoque comprehendi. Cum enim (inquiunt) Socrates in loco ac tempore ſit, eſt in alio quo, nec ut pars in toto, non enim loci pars eſt, aut temporis. Nec fieri poteſt, ut ſit a loco uel tempore ſeiunctus. Itaque ſimilem dicimus collationem non eſſe. accidens etenim ſeparatum eſſe ab eo in quo eſt nequit, ſed ſimul ac ſeparatum eſt, etiam interit, at corpora quamuis ab omni loco ſemota non ſint, ab hoc tamẽ ſi disiuncta ſint loco, ſunt nihilo minus. Nam corpus qua ratione corpus eſt, loco uel tempore quo ipſum ſubſiſtat, non indiget, habet tamẽ hæc conſequentia, quemadmodum is qui in luce ambulat umbram habet conſectantem, qua nihil ad ſubſtantiam iuuatur, at accidenti ad ipſam ſubſiſtentiam conferunt corpora: quando ſine iis haudquaquam conſiſteret. Præterea nec corpus omne eſſe in loco, eſt neceſſe. Sphæram B enim minimè uagantem Ariſtoteles in loco non eſſe demonſtrat, ſi locus terminus eſt ambientis, quatenus id ambit, quod continetur, ut ſeria locus eſt uini, quod capit, nõ ſe ipſa quidem tota, ſed interiore ſuperficie, qui eius eſt terminus, nemirum ſi foris excindatur, uinum nihilominus continet, quaſi ſola interiore ſuperficie ſit locus. Ergo ſi id ut diximus locus eſt, & Ariſtoteles extra ſphæram immobilem nihil eſſe demonſtrat, ut eius quoque ſine claudatur, non locus, non tempus, non corpus, non uacuum, neque aliud quidpiam, non eſt ſphæra immobilis in loco. Quare corpus omne eſſe in loco non eſt neceſſe, uerum ſectamen magis corporum uti diximus eſt locus & tempus. Porrò & illud in quæſtionem uocant, quomodo & quod uelut totum in partibus eſt, finitio non comprehendat. Nam & in aliquo eſt in partibus enim, neque ut pars ineſt, ipſumq; eſſe abſq; eo in quo eſt haudquaquam poteſt. Dicimus itaque deſcriptionem quãuis in cæteris communicet, hac tamen in parte, quæ eſt in aliquo, differre. Totum enim in parte eſſe non dicitur, quippe non in parte totum, ſed in quibuſdam magis, nam in partibus perhibetur. Sic Porphyrius quoque, totum autem dicebat non C alterius, ſed in alijs, totum enim in partibus. Quòd ſi inter eius ſignificata quod in aliquo dicitur, id etiam aſſumebamus quod uelut totum in partibus eſt, non quoad tamen eſt in uno, ſed ſola ea ſignificatione, quod per ſe non ſubſiſtat, idipſum quoque in aliquo eſſe dicebamus. Illam quoque pręter eas quas recenſuimus difficultates in medium afferunt, nempe id etiam quod uelut forma eſt in materia, a finitione comprehendi. Formam enim, aiunt, in aliquo eſſe, in materia, neque ut eius partem ineſſe, fieriq; non poſſe ut ipſa ſine materia exiſtat. Itaque formam etſi materiæ non ſit, tamen compoſiti partem eſſe affirmamus, ſic ergo & manum non corporis totius, ſed omnis partem eſſe arbitramur. Deinde uero formam aſſerimus cuiuſq; eſſe rei ſubſtantiæ completiuam, ſublataq; forma ſubiectum tolli, at accidens neque ſubſtantiam complet ſubiecti, neque corrupto eo ſubiectum interit. Aliter quoque. Propoſitum eſſe hoc loco Ariſtoteli dicimus expli- D care de entibus, non qua ratione ſunt entia, ſed qua ſignificantur ab hominum multitudine, neque eſſe de iis ex propria ipſius ſententia diſſertum. Id uerum eſſe oſtendit planè in ſermone de ſubſtantia, primam ſubſtantiam eam eſſe inquiens, quæ ſpectatur in indiuiduis, ſecundam, quæ in ſpeciebus generibuſq;, cum res contra ſeſe habeant. Nam prima eſt ea, quam in ſpeciebus ac generibus contemplamur, ut quæ indiuiduis cauſa eſt, atque incorporea, ſemperq; ſecundum eadem atque eodem pacto ſe habet, quæ autem in indiuiduis cernitur, ſecunda eſt, ueluti ut ita dixerim cauſata. Verum quoniam huius notitiam obtinet hominum multitudo, idcirco ex eorum opinione præceptionem faciens, primam ipſam appellauit. Quandoquidem igitur formæ notio ac materiæ, uulgò nequaquam conſtat, ſed ſolum ex iis compoſitum

poſitum, idq; ut unum, ea propter quanuis dicti in aliis quo ſignificata enumeraſſet Ariſtoteles, non eius tamen quod ceu forma in materia eſt meminit: quaſi non de entibus qua ratione entia ſunt ſed ut de iis uulgo placet, ſermo habeatur. Sicut enim punctum definiens geometra, id ipſum eſſe ait, cuius pars nulla eſt: nec punctum ſolum hæc finitio, ſed & unitatem, & ipſum nunc comprehendit (partibus enim nullis horum quodlibet conſtat) nec quiſquam culpauerit geometram, ut pote finiendo puncto hęc quoq; amplectentem: prorſus enim dicet, quanquam unitas ac ipſum nunc partibus non diſtinguuntur, nulla tamen ſubiecta mihi res eſt præter punctum quæ partibus careat. Sic Ariſtoteles quoq; quod ad inſtitutæ et doctrinæ intentionem attinet, eſſe in aliquo, id quod eſt ut forma in materia non nouit: ſiquidem huius notionem non habet bona pars hominum. Vult autem, uti diximus, non de entibus qua entia ſunt uerba facere, ſed quatenus ab id genus uocibus ſecundum uulgi placita ſignificantur. Atq; hæc aduerſus eos, qui finitionem iuſto ampliorem eſſe contendunt.

B Qui autem defectionem in ea accuſarunt, non accidentia aiunt omnia, ſed inſeparabilia duntaxat comprehenſa. Dixit enim, inquiunt, abſque eo in quo eſt eſſe non poſſe: at ſeparabilia, non poſſibile ſolum, ſed neceſſarium quoque eſt ſeparari. Quid igitur reſpondemus? nimirum probè à uobis dictum, ſi ſeparari nequaquam poſſe pronunciaſſet: nunc uero dicit, ſine eo in quo eſt, eſſe non poſſe, pro ſubſiſtere atque conſtare: ſeparabilia autem ut ſubſiſtant, nequit ſine ſubiecta eis ſubſtantia fieri. Hærent item nonnulli atque aiunt, quomodo eſſe abſque eo in quo eſt, non poſſe accidens dicetur. Nam ecce odor eſt accidens, ſeiunctusq; à ſubiecto etiam eſt: ſæpenumero enim cum malum longè à nobis abſit, huius ad nos ſuaueolentia peruenit: quare poteſt odor mali, cum ipſius accidens ſit, abſque mali eſſe ſubſtantia. Nec ſecus in id genus uniuerſis. Hoc itaque duplici ratione ſoluimus: Primum, quod non in quo erat, ſed in quo eſt Ariſtoteles dixit. Non poteſt igitur odor mali abſque eo loco in quo eſt eſſe: ſiquidem aut in malo eſt, aut in

C aere. Deinde quod mali fragrantia non ſola, ſed cum tenui quadam ipſius mali ſubſtantia ad nos redundat. Id compertum ex illo eſt, quod ſæpe fœtidum locum tranſeuntes ſudario circumſeptis naribus, aerem quidem reſpiramus (fieri enim nequit, ut hunc non reſpiremus) odoris uero fœditatem non percipimus: quòd ſubſtantia illa quæ defluxit, ſi aeri conferatur, craſſioribus partibus conſiſtat, nec ſubire meatus ſudarii poſſit: aer uero ob tenues ſui partes ingreditur. Quòd ſi, progreſſu temporis, quanuis ſudarium impoſitum ſit, odoris tamē grauitas ſentitur, nihil eſt mirum: nam forte & ex ſudarii poſitu id prouenit cum à loco dimoueatur, atque aditum craſſiori ſubſtantiæ præbeat, quando nimio motu concitata tenuatur magis, penetratq;. Nimirum admodum uentilata partes quoq; tenuiores adipiſcitur. Enimuero emanare cum quadam ſubſtantia odorē, argumento id maximo eſt, quod pomum temporis longiore ſpacio rugoſius redditur, perinde quaſi eius ſubſtantia in qua odoris gratia ſuberat, per halitum digeratur. Declarant id quoque exhalantes ex incenſis uapores, qui inde ob ſubiectæ ſubſtantiæ craſſitudinem ſub ſenſum cadunt. Quo etiam fit, ut aerem manibus ſæpius mouentes ad nares pellamus, nitq; cum ex ſuffitu æditus uapor craſſioribus partibus conſtat, nec ad ſenſorium facile peruenit. Id quod facto opus non erat, ſi qualitates ea iis quæ adolentur, in aerem citra corpus prodirent. Illud ſcitu dignum eſt, Platonem affirmare pomi fragrantiam ad nos cum quibuſdam defluuiis euadere, minime à ſubiecto disiunctam: Ariſtotelem cauſam ad aerem referre, ut qui obſequio facilis ſit, atque odores tranſmittat: ſiquidem qua ratione uiſui ac ſono, eadem quoque eſt odori peruius: nam odoris ſuauitatem accipiens, nobis impertit. Plotinum uero mutari partem aeris in odorabilem qualitatem arbitrari: nam manens in pomo ſuaueolentia partem inquit quam ſentimus aeris immutat, ac ſimilem aliam ſibiipſi qualitatem gignit: ut in igne etiam caliditas non igne relicto frigido ad

A nos concedit, ſed manens in igne, aliam ſimilem ſibiipſi in aere caliditatem creat. Cæterum nulla harum per ſe ipſam uera eſt opinio: neque Platonis illa, quæ odorem ad nos cum defluxu fatetur progredi, nam defluxus corpus eſt: omnis autem corporis ſecundum naturam eſt motus: nam aut leue eſt, & petet ſuperna: aut graue, & ad inferna declinabit: at odorem mali æque omnes ſentimus, ſupra, infra, antè, ponè, dextra, ſiniſtra. Patetq; ea hoc defluuia duntaxat non ſatis eſſe dicere. Neque ſola Ariſtotelis eſt uera ſententia: commentitium enim eſt, dicere aerem totum qui interiacet odore imbui, ut in uulturibus qui cadauera aliis in urbibus ſentiunt inhumata. Sed nec uerum ſolum Plotini placitum eſt, aeris partem qualitate infici ac mutari. Cęnum namque altius porci effodiunt, quò maximè defluxionibus potiantur: At tres ſimul ueræ ſunt: nam in hebetius olfacientibus cuiuſmodi porci ſunt, uſus quoq; expoſcitur defluxionum, in iis qui exactè odorant, quod genus uultures habentur, aer ſufficit odoribus permeabilis: in iis uero

B qui mediocriter ualent olfactu quales nos ſumus, ſatis aeris facit mutatio. Enimuero ſecundum opinionem ex iis nullam qualitates à ſubiecto in ſubiectum demigrant. Nā aut in inſtanti ſunt eodem tum in eo in quo ſunt tum in eo ex quo emanāt, ipſaq; à ſeſe qualitas diuelletur, aut in alio atque alio, ac quoniam duorum inſtantium omnium tempus eſt medium, citra ſubiectum illo tempore qualitates erunt. Poſſumus & hoc obiicere iis qui ſubſtantiam ſimul quandam migrare cum pomi qualitate arbitrantur: nempe motum quendam unum, hoc eſt in rectum à ſubſtantia fieri: nam uel ſurſum tendit, uel deorſum, uel antrorſum, uel retrorſum, uel dextrorſum, uel ſiniſtrorſum. Quandoquidem igitur contingit tum à dextris ſtantes, tū à ſiniſtris, tum à fronte, tum à tergo ſentire odoris iucunditatem, penes motus hos cietur uniuerſos. Afferenda igitur hoc pacto ſolutio eſt. Aer id genus poteſtate eſt cuiuſmodi qualitas mali, quòd qualitatum omnium accipiendarū, ut quarum expers ipſe eſt, naturam obtineat: ergo à mali

C fragrantia talis actu ſit, ac deinceps qualitates omnes nobis recipiendas tranſmittit, utpote carens ipſe qualitate. Porro ſiquis dixerit quomodo pendentia poma in arbore odorem nobis impertiuntur, nec gracileſcentia diminutionem ſuſtinent? quoniam eſt hic inquam quod influit aliud, eo quod diſſiatur copioſius. eſt enim influxus uberior effluxu. {Alia uero & de ſubiecto dicuntur, & ſunt in ſubiecto.} Cum particulare accidens declarauerit, quod in ſubiecto & non de ſubiecto appellabat, nunc eo uertitur ut uniuerſalis nobis accidentis tradat exemplū, quod de ſubiecto in ſubiecto nominat {Alia neque in ſubiecto ſunt, neque de ſubiecto quopiam dicuntur.} Vbiq; ita quæ ad uocem pertinent (ea ſunt de ſubiecto & non de ſubiecto) uerbum dicitur aſſignat: eſt autem attributus quæ ab ente proficiſcuntur, quæ ſunt in ſubiecto & non in ſubiecto. Cæterum traditis accidentium particularium atq; uniuerſalium exemplis, nunc particularis exemplum profert ſubſtantiæ. Non de ſubiecto autem eſt impræ dicabile, utiq;

D prædicatione de ſubiecto. non enim ſimpliciter imprædicabile: ſiquidem & particulare prædicatione in ſubiecto prædicari poteſt, ut grammatica quædam de Ariſtarcho. Idq; uel ipſe pergens docebit uerbis illis, in ſubiecto autem nihil prohibet eſſe nonnulla. Quòd ſi indiuidua quoq; prædicantur de ſubiecto, ut homo is qui aduenit, Socrates eſt, prædicatio eſt præter naturam, ut quæ particulare de uniuerſali prædicat: quomodo & ſubſtantia ſi de accidente prædicetur, cum dicimus, hoc album eſt Socrates. Prædicantur enim ſecundum naturam uniuerſalia de particularibus, & accidentia de ſubſtantiis: particularia uero de uniuerſalibus, ut in exemplo quod diximus, & ſubſtantiæ de accidentibus, præter naturam, ut album accedens, eſt Socrates. Nō de ſubiecto igitur eſt imprædicabile prædicatione de ſubiecto, ea ſecundum naturam ſeſe habente {Simpliciter autem indiuidua & unum numero de nullo ſubiecto dicuntur, in ſubiecto autem nihil prohibet eſſe nonnulla. etenim grammatica quædam è numero eorum eſt, quę ſunt in

ſubiecto, & de nullo ſubiecto dicitur.} Quoniam proximè particularium meminit ſubſtantiarum, ut quæ non de ſubiecto dicuntur, inquiens, alia uero neq; in ſubiecto ſunt, neq; de quoquam dicuntur ſubiecto, ut aliquis homo, uel aliqs equus: minime uero ſolæ particulares ſubſtantiæ non de ſubiecto dicuntur, ſed particularia quoq; accidentia, ob id uniuerſalem hoc loco ſermonem conficit atq;, Simpliciter autem, hoc eſt, uniuerſali uero quodam ſermone indiuidua omnia, quæ & unum numero ſunt, ſiue ſubſtantiæ, ſiue accidentia exiſtant, de nullo dicuntur ſubiecto. Verbum autem ſimpliciter tribus dicitur modis: uel uniuerſaliter, uelut cum ita loquimur, ſimpliciter omnis homo, pro in uniuerſum, uel unicè, ut ſimplex ueritatis eſt ſermo, id eſt non uarius, uel propriè, ut cum ſimpliciter uirtus dicimus, pro eo quod eſt propriè uirtus. Tribus modis quoq; appellatur unum, atq; in ſumma identitas ac diuerſitas. Dicimus enim uel genere unum, ut hominē & equum, uel ſpecie unum, ut Socratem ac Platonem, uel numero, ut Platonem, unum enim quiddam Plato eſt numero. Sed diuerſa quoq; ſimiliter uel genere nuncupamus, ut equum & plantam, uel ſpecie, ut equum & hominem, uel numero, ut Platonem Socratemq;. Numero igitur unum hoc loco accepit. Cæterum ſciendum eſt, quæ ſunt numero diuerſa, ea poſſe unum ſpecie eſſe ac genere, ut Socrates & Plato, quę autem diuerſa ſpecie ſunt, prorſus quidem & numero diuerſa, genere autem non prorſus, ſed eadem quādoq; eſſe, ut equus & homo: at quæ differunt genere omnino & ſpecie & numero diſcrepabunt, ut equus ficusq;, uel homo & album. {In ſubiecto autem nihil prohibet eſſe nonnulla.} Poſtquam uniuerſalem ſermonem confecit, cum dixit nullum ea indiuiduis quæ & unum numero ſunt, de ſubiecto eſſe, non ſolæ autem particulares ſubſtantiæ, ſed particularia quoque accidentia ſunt indiuidua, ueluti quædam, ut ipſe inquit, grammatica, hoc ſubiunxit, in ſubiecto autē eſſe nihil prohibet, id eſt accidens. Atque ut ſemel dicam, quæ unum ſunt numero, de nullo ſubiecto dicuntur, ſunt autem in ſubiecto.

DE PRÆDICANDI RATIONE.

Q V A N D O *alterum de altero prædicatur ut de ſubiecto, quæcunque de eo quod prædicatur dicuntur, omnia etiam de ſubiecto dicentur. Vt homo de homine quodam prædicatur, animal uero de homine. ergo & de quodam homine animal prædicabitur. quidam enim homo, & homo eſt, & animal.*

Quando} Abſoluta de eo diſputatione quod in ſubiecto eſſe, nunc ad docendum de ſubiecto ingreditur: ac modo quodā hoc inquit, aliud eſſe prædicari de aliquo, aliud ut de ſubiecto prædicari. Huic quod prædicatur ut de ſubiecto, id conſequens eſt, quęcunq; de prædicato dicuntur, ea quoque de ſubiecto huic nuncupari, ut prædicatur de Socrate, ut de ſubiecto, ſimpliciter homo. animal autem de homine ſimpliciter, hoc ergo & de Socrate prædicabitur. Nam ſimpliciter homo, per medium ſeipſum, animalis prędicationem traducit ad Socratem. Sed quid ſibi nolunt hæc uerba, ut de ſubiecto? nempe eſſentialiter, atque re ipſa. Si quid enim de prædicato per accidens dicitur, non id quoque de ſubiecto dici eſt neceſſe. Verbi gratia prædicatur re ipſa homo de Agamemnone, atque ut de ſubiecto de homine animal eſſentialiter, per accidens uero diſyllabum, idcirco de Agamemnone prædicatur animal, diſyllabum non prædicatur. Rurſus animatum ac ſentiens de animali ut de ſubiecto atque, ut de re dicitur, per accidens uero & in reſpectu, genus, uel triſyllabum. Perinde quoq; ſe habet res in accidentibus. Prædicatur enim exempli cauſa, de tribus uti de re numerus, de numero ut de re quantū, per accidens uero triſyllabum, ob id prædicatur numerus de tribus, triſyllabum non item. Vt ea igitur quæ eſſentialiter & ut de rebus prædicantur indicaret, ut de ſubiecto dixit. Triſyllabum enim de animali non ut de ſubiecto prædicatur, uerum ut de uoce ac ſyllabarum quantitate, & genus de reſpectu. Quæ igitur, inquit, dicuntur de altero ut de ſubiecto, hoc eſt ut de re ſubſiſtente, quæcunq; de prædicato dicuntur (eſt autem hic quoque ut de ſubiecto ſubaudiendum) omnia & de ſubiecto dicentur. Prædicamenta latitudinem profunditatemq; obtinet. Profunditatem inquam, progreſſum eorum in particularia. Latitudinem, diſceſſum in latera. Verbi cauſa ut ſic profunditatem capias, ſubſtantiam, corpus, animatum, animal, atque ita deinceps: latitudinem, cum ſubſtantiam in corpus & incorporeum ſecueris. Regulam igitur nobis Ariſtoteles tum latitudinis, tum profunditatis depromit. Nunc profunditatis dehinc latitudinis. eſt porrò hæc regula. Quando primum de ſecundo de ſubiecto prædicatur, & ſecundum de tertio de ſubiecto, tūc primum quoq; de tertio de ſubiecto prædicabitur. Prædicatur exempli gratia animatum de animali, animal de homine: animatum quoque de animali prædicabitur. Quod autem de ſubiecto dixit, regulæ rectè adiectum eſt. Nam ſi uera eſſe debet, utraque de ſubiecto ſit oportet propoſitio. Siue enim in ſubiecto ſint ambæ, nihil ueri concluditur: ſiue una de ſubiecto, reliqua in ſubiecto, ſitq; hæc uel prima uel ſecunda, nec ita quoque ueri quicquam colligitur. Ambæ igitur in ſubiecto ſumantur, ut Socrates albus, album diſyllabum (accidit enim albo diſyllabum) ſi concluſum ita ſit, mendacium eſt id quod conficis: nam Socrates non eſt diſyllabum. Rurſus primam in ſubiecto cape: alteram de ſubiecto: ut hō, albū: album, color: falſum colliges, neq; enim homo eſt color. Sumatur iterum prima de ſubiecto, ſecunda in ſubiecto: ut homo, animal: animal, triſyllabum: neq; hoc modo ueri quicquā concluditur. Habemusq; per hoc regulæ uicem conuerſam, quomodo ſub decem prædicamenta quæcunque ſunt omnia, queant referri. Vt enim regula primum ſecundo, & ſecundum tertio ineſſe monſtrabat, ſic contra ſub prima redigi poſteriora ac ſecunda oſtendere eadem poteſt. Vt homo ſub animal confertur, animal ſub animatum, animatū ſub corpus, corpus ſub ipſam ſubſtantiam: & homo ad ſubſtantiam reuocabitur. In prædicamentis quoque aliis eodem pacto. Sunt uerò qui temerè dici affirmant, ea quatuor propoſitis, uniuerſali, & particulari, ſubſtantia, & accidente, duo ſola ab Ariſtotele deſcribi, eaq; deteriora, accidens, & particulare: cum hic & quid ſit de ſubiecto definiat, ſuniuerſale inquam, cum ait, ſi cōpetit primum ſecundo, & ſecundum tertio, tertio quoque primum competereq;. Sed & quod non in ſubiecto, ſubſtātiam inquam, cum propria ſubſtantiæ enumerat: nam deſcriptiones ea propriis deſumuntur. Atque ad hæc dubia reſpondemus, regulam eſſe quæ recitata eſt, non finitionem aut deſcriptionem. Quippe in nullam deſcriptionem finitionem'ne definitum uel finitionis nomen accerſiri. Nemo enim homo inquit ē homo animal rationale mortale, &c. Neque animal eſt animal ſubſtantia animata ſenſu ualens: nunc uerò ſæpe in regula id quod finitur, ipſum inquam de ſubiecto, aſſumptum eſt. Ad alteram difficultatem dicimus, ex propriis quæ nominat ſubſtantiæ, nullum eiuſdem deſcriptionem eſſe. Nam quæcunque ipſis recenſet propria, aut ſoli ſubſtantiæ ſuppetunt, ſed non omni, aut omni, non ſoli tamen: at deſcriptio & uerè propria ſoli & omni ac ſemper competere nolunt. Cæterum cum ſit duplex prædicatio, altera de ſubiecto, altera in ſubiecto, (de ſubiecto quidem dicimus, cum de particularibus prædicantur uniuerſalia: in ſubiecto autem, cum accidens de ſubſtantia proditur) prædicatio in ſubiecto, quæ aliud aliis ineſſe dicit, nullam exhibet quæſtionem. Quæ uerò de ſubiecto eſt, cum eſſe alterum oſtendere alterum uelit, hoc eſt prædicatum id quod ſubiectum eſt, quæſtionē prębet. dixerit enim quiſpiam quale prædicatum eſt animal de homine? num ipſum id quod homini concretum eſt, ac uniuerſale? ſi concretum idem de ipſo prædicabitur, eritq; nugamentum prædicatio: ſin uniuerſale, particulare uniuerſali adæquabitur idq; erit particulare quod uniuerſale eſt. Dicemus itaque prædicatum

dicatum de ſubiecto & communius eſſe, & ipſius propriũ uelle. Cum enim ita loquimur, homo eſt animal, nil ſanè aliud dicimus, quàm animalis formam, qua uniuerſa ſunt inſignita animantia, homini quoque ineſſe. Vt enim Præconis uox quæ auditur & omnium cõmunis, & cuiuſq; propria eſt: ut centrum & communis omnium rectarum linearum, quæ ab eo deducuntur eſt terminus, & cuiuslibet proprius: ut materia denique & publicè uniuerſis ſubſtrata eſt, & priuatim ſingulis: ſic prædicatum quoque & commune eſſe uult, & peculiare ſubiecti. Ergo qua ratione commune eſt, non eſt prædicatio nugamentum: quoad uero propriũ, particulare haud uniuerſali adæquabitur.

DE GENERIBVS DIVERSIS.

7 DIVERSORVM *generum, & non ſubalternatim poſitorum, diuerſæ ſunt ſpecie & differentiæ: ut animalis, & ſcientiæ. Animalis enim differentiæ ſunt, greßibile, bipes, & uolatile, & aquatile: ſcientiæ uero, nulla earum eſt. Neq; enim ſcientia à ſcientia differt in eo quod bipes eſt. Subalternorum uero generum nihil prohibet eaſdem eſſe differentias. Superiora enim de ijs quæ ſub ipſis ſunt generibus prædicantur. Quare quotcunque differentiæ prædicati fuerint, totidem & ſubiecti erunt.*

Diuerſorũ} Sumptiunculas quaſdam accipit ad propoſitam inſtitutionem commodam ipſi allaturas. Quoniam enim prędicamenta & generaliſsima genera ſunt & in unoquoque ſeriea quædam ſubalternorum edita eſt generum, regulam hic nobis tradit Philoſophus, qua genera prorſus diuerſa à ſubalternis diſcernamus: atq; diuerſorum generum nec ſubalternatim poſitorum differentiæ quoque planè diuerſæ tum conſtitutiuæ, tum diuiſiuæ, ut animalis ac ſcientiæ. Sunt enim conſtitutiuæ animalis differentiæ animatum & ſentiens: diuiſiuæ, rationale & brutum, mortale & immortale. Scientiæ uero, conſtitutiuæ, exempli gratia, rationum certitudo ac firmitas, aut ſcientiæ ſubiectas res ſecundum eadem atq; eodem pacto perpetuo ſe habere: diuiſiuæ, contemplatiuum & actiuum. Sunt ergo differentiæ diuerſæ ſi diuerſa ſint genera. Aliter uero diuiſit Plato in Gorgia, nempe alias tantum ſermocinales eſſe ſciẽtias, qualis eſt Dialectica: alias actiuas duntaxat, ut graphice: nonnullas mixtas, quæ ſimul ſermocinales actiuæq; ſunt, idq; tribus modis. Aut enim tantundem uerborum actioniſq; habent, ut citharœdia: ſimul enim & canit & cithara perſonat. Differt autem à cithariſtice: nam hæc pulſat citharam & canit: cithariſtice pulſat tantummodo: ut ars iaciendi talos, hoc eſt peritus aleator, declarat ante iactũ quibus egeat, & antequam tali mutentur, paciſcitur de lucro, quod ex iactu proueniet. Mixtæ ergo aut actionẽ cum ſermone æqualiter obtinent: aut ſermonis plus quàm actionis, ut hiſtrionica, iuxta id quod à quodã dictum eſt: Reddas mihi quæ à patre cæpiſti meo: illo uero per ſilentium renuente dixit, pecuniam non unquam: aut contrà actionis plus, minus ſermonis, ut medicina. Hæc enim ſic dicta eſt, quaſi medicatrix magis ſit quàm ſermocinatrix: nam & ſermone utimur ad dignoſcendum curandumq;. Qui enim nouit optimè, ia optimè curabit. Quoniam uero pluribus dicuntur modis diuerſa genera: (nam diuerſa cenſentur uel quę à ſe mutuo planè diſtant, ut ſubſtantia, & quantum: uel quæ ſunt haud prorſus diſiuncta, ex aduerſo tamen inter ſe ab eadem diuiſione diducuntur, ut uolucre & aquatile: hæc enim commune genus animal obtinent: dicuntur & ſubalterna diuerſa, ut ſubſtantia & corpus.) ea propter, dixit nec ſubalternatim poſitorum. Fieri enim poteſt, ut eædem horum differentiæ ſint, ut ſimpliciter animalis & rationalis animalis. Nam eædem ſunt utriuſq; tum conſtitutiuæ tum diuiſiuæ. Sunt conſtitutiuæ amborum animatum ac ſenties: ſed eædem quoque diuiſiuę mortale & immortale. At eorum quæ non ſubalternatim collocata ſunt, uerum ſunt diuerſa, nec conſtitutiuæ eædem ſunt, nec diuiſiuæ, ut in animali ac ſcientia diximus. Subalternorum tamen conſtitutiuæ uti prędictum eſt, planè eædem: at diuiſiuæ non omninò, ſed licet quoque eſſe diuerſas, ut in animali ac bruto animali: ſunt enim eædem ut monuimus conſtitutiuæ, non eædem diuiſiuæ: Nanque ſimpliciter animalis ſunt rationale & irrationale, & mortale & immortale: bruti, uolucre, aquatile, terreſtre. Eadem & in iis, ratio congruet generibus, quæ inter ſe diſtincta ex oppoſito ſunt. Nam eorum quoq; eædem ſunt conſtitutiuæ, diuiſiuæ diuerſæ. Bruti enim eæ ſunt, quas recitauimus: rationalia, mortale immortale, cæleſte terreſtre.

Decẽter autem uerbum ſpecie appoſuit, hoc eſt re, quò ſubſtantiales caperemus differentias. Nam generum diuerſorum eædem eſſe differentię per proportionem poſſunt. Dicimus enim domus inſtrumenta partim pedibus eſſe ſuffulta, partim expeda. Sunt expeda mortarium & eiuſmodi reliqua pedibus munita, ſella, lectusq;. Sed & animalium dicimus alia carere pedibus, alia iiſdem inniti. Verum differentiæ hæ non ſunt ſpecificæ, non enim ex eo exprimitur homo quòd bipes ſit: ſed neq; ſi uoce differentiæ eædem eſſe uideantur, iam ſpecie quoq; ſunt eædem: ſiquidẽ eiuſdem ſpeciei non ſunt lecti atque animalis pedes, quoniam nec idem eſt actus: ex proportione autem iidem ſunt, ſiqua modo ſimilitudo intercedat. Nam partes inferiores quæ animalis ac lecti uelut firmamenta ſunt, pedes uocantur: ut enim pedes ad animal ſeſe habent, ſic fulcra quoque ad lectum. Sed non præterea & uſus pedum reliquos præſtant, uerbi gratia non ambulant, nec ſecum corpus ſuo transferunt motu, nec ſimilia faciunt. Itaq; non iidem ſpecie ſunt, ſed uoce ac proportione. Animalis autem differentiæ ut pedeſtre, & uolucre, & bipes, & aquatile. Pluribus modis diuidi generum differentiæ poſſunt: ut ſubſtantiales differentiæ ſunt animalis, rationale & irrationale. A tempore autem ducuntur uitæ, ut mortale & immortale. Et à loco in quo commorantur, ut uolucre, pedeſtre, bipes, aquatile. Et à partibus corporis, ut pedibus ſubnixa & expeda. Sunt porrò & differentiæ aliæ, ex aliis quæ animalibus inſunt depromptæ. Ariſtoteles uero exemplo uſus à loco, ab alia quoque diuiſione, exemplum differentię à partibus deſumptæ in medio data opera interſeruit, docere uolens nihil in propoſito ſi differentias quoq; alias accipias explorandis generibus referre. nanq; inter ſe, nec differentia prima, nec ſecunda, neque ulla abſolutè, genere diuerſa conueniunt. {Subalternorum uero generum nihil eaſdem eſſe prohibet differentias.} Rectè dixit, nihil prohibet. Nam non eædem ex neceſsitate differentiæ ſubalternorum ſunt, generum, ut aperuimus: ſæpe tamẽ numero eaſdem eſſe contingit, nam conſtitutiuæ quidem ſunt eædem ſemper, quanquam non ſolæ habeantur: plures enim ſunt inferiorum. Quandoq; uero & diuiſiuæ, ut ſuperius enarrauimus.

DE INCOMPLEXIS.

EORVM *quæ ſecundum nullam complexionem dicuntur unumquodque aut ſubſtantiam ſignificat, aut quantum, aut quale, aut ad aliquid, aut ubi, aut quando, aut ſitum eſſe, aut habere, aut agere, aut pati. Eſt autem ſubſtantia quidem (ut in ſumma dicam) ut homo: equus. Quantum autem, ut bicubitum: tricubitum. Quale, ut album: grammaticum. Ad aliquid, ut duplum: dimidium: maius. Vbi uerò, in foro: in Lyceo. Quando autem, ut heri: ſuperiorum anno. Situm uero eſſe, ut iacet: ſedet: Habere autem, ut calceatum eſſe: armatũ eſſe. Agere uerò, ut ſecare: urere. Pati, ut ſecari: uri.* 8

Eorum quæ ſecundum cõplexionem nullam dicuntur.} Tradita uocum bipartita diuiſione in ſimplices atque complexas, eodem pacto & diuiſionem rerum ſecundũ utrunque ſegmentum conficere uoluit. Ergo cum prius ſectionem ut, complexorum in quatuor nobis præbuerit, uniuerſalis uidelicet ſubſtantiæ & particularis, atq; uniuerſalis par

A ticularisq; accidentis, nunc partitionem ueluti ſimplicium in decem tradit: priusq; per res tanquam umbratili pictura ea nobis deſcribit, ut in aliquam nos eorum notitiam deducat, poſtmodum articulatim nos de unoquoque docturus. Quamobrem uero eorum quæ ſecundum nullam cōplexionem dixit (quid enim, ſunt ne complexiones plures? maxime nā aut ſimplex uox eſt, ſignificatum cōpoſitum, ut curro: aut ſignificatum ſimplex, uox autem compoſita, ut Martiuſuicus, & Cornipetra, utq; finitiones & definita, aut & ſignificatum & uox compoſita ſunt, uelut cum dico Socrates ambulat: aut ſimplex utrunq;, ut prædicamenta. Hic ergo eorum quæ ſecundum nullam complexionem dicuntur diuiſionem facit, eorum inquam quæ nec uoce nec ſignificato complexa ſunt. Bene autem dixit eorum quæ dicuntur, propter coniunctiones, articulos, præpoſitionesq;, quæ per ſe non dicuntur, nec quicquam ſignificant, uerum ſimpliciter uoces ſunt, quæ cum alijs pronunciantur, resq; ita cum illis ſignificant. Atque hinc rurſus perſpicua eſt libri intentio. B Eorum enim inquit, quæ ſecundum nullam cōplexionem dicuntur ſingula uel ſubſtantiam ſignificant. Itaque de uocibus res ſignificantibus determit: ergo & de medus agi conſtat conceptibus. Cæterum ſciendum eſt, quòd is res oratione deliniana, obſcuram nobis prædicamentorum exhibet imaginem. Nam rudior eorum præceptio in nudis duntaxat exemplis ſita eſt: ſubtilior uero tum propria cuiuſq; enumerat, tum diuiſionem affert: ut & quæ inſunt prædicamentis, per propria, & quibus ea inſunt, per diuiſionem dignoſcamus. Verum ipſe in decem exemplis decem prædicamentorum enumerationem facit: nos uero in uno eodemq; exemplo doctrinam conficiemus, in Socrate. Eſt ergo Socrates ſubſtantia, ut homo: & quantum, ut bicubitus, uel tricubitus: quale autem, ut albus, muſicus'ue: ad aliquid, ut iuuenū curator, aut Sophroniſci filius: ubi, ut docens in Lyceo: quando, ut qui Peloponneſiacis fuit temporibus: & facere, ut qui cernit: & pati, ut qui cernitur: ſitum eſſe, uti ſtans, uel ſedens, uel ſub platano recubans, ut humilitatem orationum Lyſiæ audiat. C (Aut enim recta uniuerſa membra, ſunt, idq; ſtare dicitur: aut ſupina omnia, & recubare nuncupatur: aut partim erecta, partim ſtrata, quod ſedere appellāt:) habere autem, ut ueſtes circundatas. Nonnullos quoque hæc angit difficultas, quomodo ſimplicia eſſe prædicamenta affirmemus, ſi quatuor uti prædiximus ſimplicia, ſex compoſita habeantur (dicimusq; compoſita uocari ea, quod ſpeciem nobis inuehant compoſitionis, cū ſint ipſa ſimplicia. Non enim prædicamentum eſt in loco exiſtens, aut in tempore exiſtens: ſed eſt prædicamentū eſſe in loco, eſſe in tempore: ob id enim & nonnulla ex iis per infinitum nominauit, ne aſciſcendo perſonas compoſitionem quampiam induceret. Vt facere, & pati, & habere, & ſitum eſſe infinitiui ſunt. Quoniam uero decem prædicamētorum * ens genus eſt, digeri quoque in ordinem poſſunt. Prior ergo ſubſtantia eſt, ceu ſubiecta omnibus: ſecundum quantum, ſiquidem & in formis materia quantitatem prius induit, tum ſic qualitate afficitur: tertium quale, ac prius eo quod ad aliquid refertur, D quando & id quod per ſe exiſtit, eo quod alio ſpectat, prius eſt. At hæc ſi ſic habent, utique priora ea ſunt, quæ ex ſubſtantia & quanto iis quæ ex ſubſtantia & quali conſiſtunt: quæ item ex ſubſtantia & quali, iis quæ ex ſubſtantia & ad aliquid pertinentibus. { Eſt autem ſubſtantia quidem, ut formula dixerim. } Non omnium ſubſtantiam notant: non enim intelligibilis ſignificatur ſubſtantia, uerum ſenſibilis. Tu uero & reliquas res, quæcunque in natura per ſe ſunt, nec alio quopiam egent ut ſubſiſtant, ſubſtantias intellige. { Quale autem, ut album, grammaticum. } Hic operæprecium eſt adnotare, cum omnis in ſubiecto qualitas habeatur, non omnis autem ſit idem ſpecie ſubiectum ſortita, ſed partim conſiſtat in corpore, ut caliditas, partim ipſum eſſe in animo habeat, ut Geometria, uelitq; Ariſtoteles per exempla duplicem ſpeciem qualitatis oſtendere, protuliſſe eum, ac dixiſſe: Quale autem, ut album, grammaticum: utique album ſumens qualitatis exemplum in ſubiecto corpore inſitæ: eius uero quæ ipſum eſſe in animo obtinet, grammaticum. { Habere autem, ut calceatum eſſe, armatum eſſe. } De iis quoq; ſimplicibus intelligēdum eſſe liquido conſtat. ait enim. Eorum quæ ſecundum nullam cōplexionem dicuntur. Cæterum ſunt qui quærant, cur quēadmodū ſunt facere ac pati oppoſita, aliudq; patiendi prædicamentum ſtatuat, aliud faciendi, non idem & hoc loco agat (ſunt enim oppoſita habere atque haberi) nec ipſius haberi prædicamentum dixerit, ſed eius tantum quod eſt habere: Dicimus itaque poſſe hoc ſub ſitus prædicamentū referri, ipſum inquā haberi. Id enim haberi dicimus quod uſquam eſt, ſitum, ut in horto uerbi gratia arbores, uel ut in corpore arma, ſeu ueſtis, atque hæc ipſe haberi diceret. hortum quoque habere arbores, & eos ab ipſo haberi: quæ & per ſitum eſſe, uti diximus, pronunciare nobis licebit. unde & ſæpe ita loquimur, amictus pallio ſum, uel talis eſt armis circundatus, quod Græci dicunt [illegible]. Quemadmodum igitur in facere ac pati utrunque idem ſubiecto prædicamentum eſt, reſpectu autem diuerſum (nam facere dicimus cum à faciente, pati ubi à patiēte inceperimus) ita hoc quoque loco habere, & ſitum eſſe ſiue haberi, ſunt eadem ſubiecto, reſpectu diuerſa. Habere enim dicimus cum initium ab eo qui habet ſumpſerimus, cum autē ab illo quod habere quis fertur, ſitum eſſe, ſiue haberi.

Singula igitur eorum, quæ dicta ſunt, ipſa quidem ſecundum ſe in nulla affirmatione dicuntur uel negatione. horum autem ad ſeinuicem complexione, affirmatio uel negatio fit: Omnis enim affirmatio aut negatio uidetur uel uera uel falſa eſſe, eorum autem quæ ſecundum nullam complexionem dicuntur, nullum neq; uerum neque falſum eſt: ut homo, album, currit, uincit.

Singula igitur } Hic à ſequentis libri intentione, qui de interpretatione inſcribitur, propoſiti libri intentionem diſcernit. Quoniam in hoc de uocibus docet ſimplicibus, in illo de affirmatione ac negatione. Diſtinguit autem ſyllogiſmo in ſecunda utens figura: cuius medium terminum ſumit ueritatem ac falſitatem: ait enim, omnis affirmatio uel negatio ueritatem aut falſitatem ſignificat: nulla ſimplex uox affirmationem aut negationem deſignat: neq; enim ſi homo homo millies dixero, uerus ſum aut mentior, ſimiliter ſi ambulat ambulat ſexcēties proferam, nec uerum nec falſum enuncio. Quod ſiquis aſſeueret, dicentem ambulo uel uerum eſſe uel falſum, (nam ſi forte ambulet, uerus eſt, ſin minus, falſus) reſpondemus, eum qui ambulo dixerit, pronomen quoque. Ego poteſtate comprehendiſſe, perinde ac ſi ego ambulo dixiſſet. Quamobrem quicunq; ambulo inquit, poteſtate pronomen ego ad ueri & falſi generationem amplectitur, nec prædicamētum ſolum ipſum per ſe, nec ſimplicem uocem pronunciat. Iam enim commonuimus, ſimplices uoces non ſola prolatione æſtimandas, neque compoſitas, ſed uoces quoq; complexas, ſi ſimplex quicquam declarent, ſimplices eſſe, & quaſdam ſimplices, ſi id quod intelligitur complexum nec ſimplex habeāt, compoſitas haberi. Quocirca curro non ſimplex eſt, quoniam nec ſignificatum ſimplex. Ariſtoteles uero hāc ipſam prius dubitationem reprimens, dixit: Eorum quæ ſecundum nullam complexionem dicuntur, hoc eſt eorum quæ nec ſignificato complexa ſunt. Igitur uoces ſimplices, uti explicatum eſt, ſi per ſe proferantur ipſæ, nullam ueritatē aut falſitatem indicant: at affirmatio omnis uel negatio planè aut ueritatem aut mendacium declarat, ut ſi inquam, Socrates ambulat, ſi forte fortuna ambulet, uera locutus ſum, ſin ſedeat, falſa. Rurſus quoque cum dixero, Socrates non ambulat, ſi non ambulet, ueritatem ſum aſſecutus, ſin ambulet, mentitus ſum. Ergo prædicamenta, uti eſt proditum, cum uoces ſimplices ſint, ueritatem nullam uel falſitatem ſignificant: quòd ſi inter ſe conferantur, affirmationem faciunt uel negationem, in quibus ueritas ineſt & falſitas, ut homo currit, ex ſubſtantiæ & faciendi prædicamento conficitur, affirmatio autem, negatiua particula quadam in me

dium

dium aſcita, negatio fit, ut homo non ambulat. {In nulla affirmationa dicitur, uel negatione.} Multa exemplaria quæ quidem & emendatiora uidentur, non habent uel negatione: uerum id ſolú, in nulla affirmatione dicitur. Si enim prædicamentum nullam affirmationem ſignificat, multo magis, nec negationem: quoniam negatio particulam negatiuam inſuper deſyderat: magiſq; ſuſpicabitur quiſpiam facere prædicamentum aliquod affirmationem quàm negationem. {Omnis enim affirmatio uel negatio ueritatem ſignificare aut mendacium uidetur.} Verbum uidetur adiectum eſt, quoniam nec affirmatio uera eſt omnino, nec falſa prorſus negatio: ut ſiquis dicat curro, uel nó curro. Quãdoquidem igitur. Ego pronomen in uîce ſubauditur facultate, huius gratia dixit uidetur. Aut igitur hoc eſt, aut uacat uerbum uidetur: aut inſignis eſt error ſcriptorum, aut poſitur loco huius, ita omnibus uidetur. Quærunt aliqui ſub quod prædicamentum oporteat & punctum, & ipſum nunc, & unitatem referri. Ad ſubſtantiam quidem non poteſt: nam ea per ſe exiſtens quiddam eſt, horum autem nullum propriam ſubſiſtentiam obtinet: habet enim ſuum eſſe in linea punctum, cum lineæ finis atq; initium ſit: & nũc in tempore: nam tempus non eſt, ſed temporis principium finiſq;. Per nunc, temporis momentum intelligo, latitudine omni prorſus abiuncta. Vnitas quoque principium numeri, nec ullo pacto numerus eſt: quare nec ſeorſum eſt numerus, ſed ipſum eſſe in numero obtinet: aſt enim principiũ: at eſſe principii in illis habetur, quorum eſt principium. Neque uero hæc quanta dicere poſſumus: eſt enim æquale & inæquale proprium quanti: punctum autem & ipſum nunc cui erunt æqualia? nam nec punctum puncto æquale dicitur, nec nunc ſimiliter. Sed nec unitas unitati qua ratione unitas aſt, æqualia enim ea dicimus, quæ idem quantum, ac partes ſimiliter habent eaſdem: at hæc nec quanta ſunt, & partibus carent. Verum nec dici de iis poteſt inæquale, tametſi quis in ipſis æquale dici conceſſerit. Tempus enim tẽpori uel æquale fertur uel inæquale, & numerus numero æqualis uel inæqualis, & linea lineæ, ut quæ quanta ſunt: nam pro partium identitate uel æqualia uel inæqualia nuncupamus: hęc uero cum ſint ſine partibus, nihilq; ſint, ex iis quæ commemorauimus, non habent cum aliis ſimilitudinem. Præterea, quantum partim continuum eſt, partim diſcretum: hæc autem nec continua nec diſcreta ſunt, ſed partibus uacant. Id enim cótinuum uocamus, quod habet unitas partes: diſcretum, quod ſeiunctas. Porro illud ſciendũ, quoſdam redigere ſub ea hæc uelle quę ad aliquid referuntur, atq; hæc ſuorum conſequentium principia eſſe affirmare, punctũ lineę, unitatẽ numeri, nunc tẽporis. Principia igitur ſi ſunt quorundã principia, id genus autem ſunt quę ad aliquid pertinent (nam pater filii pater aſt, & dimidium dupli dimidium) ergo & hæc ſub ea quæ ad aliquid ſpectant referri debent. Sed reſpondemus ad aliquid ſe habentia (ut fatetur ipſe inferius,) quorundam reſpectus eſſe duntaxat, nec propriam habere ſubſiſtentiam: ſed ipſum eſſe in aliis obtinere prædicamentis. Nam aut in ſubſtantia, aut in quanto, aut in quali, aut in quopiam alio prædicamento cenſentur: eaq; ob id ſtolonibus aſſimilat, quorũ eſſe in aliis hoc eſt in ſtirpibus habetur. Licet igitur in prædicamentis omnibus ad aliquid ſpectantia contemplari. Cum enim dixero pater filii pater, ad aliquid relata in ſubſtantia dixi, cũ autem duplum dimidii duplum, eadem in quantitate pronunciaui, cum dicam albius albo albius, in qualitate, atq; in aliis ſimiliter. Hæc igitur ipſa per ſe quid ſint, quo'ue ſub prædicamento ponantur, ac ipſorum tunc mutuum reſpectum, opus eſt, exponamus. Quid itaque dicemus? Nempè ſub nullum hæc re uera prædicamentum, quantum ex præſentis operis intentione recipi, ſiquidem propoſitum eſt, ut ſæpe diximus, Ariſtoteli non de entibus qua ſunt entia diſſerere, ſed quatenus per id genus uoces ſignificantur ab hominum multitudine: uult enim in hiſce de uulgo notis tractare. Quoniam ergo nullam de his uulgus hominum notitiam obtinet, tametſi ea licebat ſub unum prædicamentũ quantum inquam referre, ac dicere quantum alterum ſeca

Propoſitum Ariſt. in prædicamentis non eſt diſſerere de entibus quatenus entia ſit, ſed quatenus ſignificantur ab hominum multitudine. Idẽ ſupra 7. B. & ii. in ſ. E. c. 13. L.

A ri ſit partes, alterum eſſe ſine partibus, ſectile aut cõtinuum eſſe, aut diſcretum: atque hæc ſub indiuiſibili quanti ſegmẽto ſtatuere, non tamẽ repoſuit, propterea quod de hiſce rebus inſtituto, propoſiti libri intentioni nequaquam cõueniat. Atque uelle ipſum non de entibus decernere, quatenus entia ſunt, conſtat ex eo, quod cum triplicem in naturali auſcultatione ſubſtantiam prodiderit, unam quæ ad materiã pertinet, alteram ad formam, tertiam ad utranq; ſimul, nuſquã hic neque materiam per ſe, neque formam, ſubſtantiæ nomine appellandam cenſet, nempè quod horum utpote ſimplicium, nullam cognitionem hominum multitudo habeat, ſed cõpoſitum ex iis duntaxat norit. Cæterum & illud diſquirunt, ſub quod prædicamentum referendę priuationes negationeſq; ſint? Reſpondemus quàm optimè ſub nullum, quando nec finitum quicquam declarant, at indicatiua certarum ſunt rerum prædicamenta. Quod ſi omninò prædicamento ſubiici eas opus ſit, ad idem ipſa priuationes ad quod & habitus recipient, & inficiationes ad quod affirmationes. Eſt enim genus idem contrariorum, ut albi & nigri, & calidi & frigidi, ac ſimilium. Rurſus quærũt motus & mutationes ad quod prædicamentũ reducere oporteat? atque ſub nullum inquam. Sunt enim prædicamenta earum rerum, quæ in natura exiſtunt, quæq; ſuam perfectè ipſarum formam receperunt, aſt autem imperfectum quiddam omnis mutatio; uia enim eſt ad formam atq; ens, mutatio, non ens ipſum. Aliter quoque reſpondeas, uidelicet ne fieri quidem poſſe ut ſub unum prædicamentum mutatio omnis redigatur, in pluribus enim, ut ipſa edocebit, uiſuntur mutationes. Nam & in ſubſtantia ſunt, ut in generatio & corruptio, & in quanto, ut incrementum & diminutio, & in quali, ut dealbatio & denigratio, & in prædicamento Vbi, ut aſcenſus, deſcenſus, reuolutio. Quamobrem mutationes uiæ ſunt, quæ ad prædicamenta deducunt, aliæ ad aliud, nec ipſæ prædicamentum complent. Nam mouere atq; omnino mutare ſub faciendi, moueri autem & deniq; mutari ſub patiendi prædicamentum referentur, ipſi uero motus mutationeſq;, cum uiæ ac generationes quædam ad prædicamenta ſint, ad ea modo quo diximus, ſi oporteat, redigentur.

Ad idẽ prædicamentum eſſe priuationes ad quod & habitus recipit idẽ Simplicius phyſi. Priuatio ergo ſubſtantiæ erit in prædicamento ſubſtantiæ, nec hoc ſunt, formæ corporeitatis genericam de prædicamento ſubſtantiæ per ... materiæ a formis ſpecificis realiter diſtinctã, defendemus, ut in noſtra de hoc contemplatione legere de conſtu. Pro his uide quod dicit Auer. 5 phyſico. cõ. 9.

DE SVBSTANTIA.

SVBSTANTIA autem eſt quæ propriè, & principaliter, & maximè dicitur, quæ neque de ſubiecto aliquo dicitur, neque in ſubiecto aliquo eſt: ut quidam homo, & quidam equus. Secundæ autem ſubſtantiæ dicuntur ſpecies, in quibus eæ quæ principaliter ſubſtantiæ dicuntur inſunt, & hæ quidem, & harum ſpecierum genera: ut quidam homo in ſpecie quidem eſt in homine, genus uerò ſpeciei animal eſt. Secundæ igitur hæ ſubſtantiæ dicuntur, ut eſt homo, atque animal.

D Subſtantia} Cum ea expoſuerit, quæ ad abſolutam prædicamentorum conferunt præceptionem, cumq; proximè nos rudius ac ueluti in exemplis de ipſis quoq; prędicamẽtis docuerit, nunc ad exquiſitam etiam ipſorum enarrationem conuertitur: docetq; prius de ſubſtantia. Nam primũ in prædicamentis locum ſubſtantia obtinet, eamq; ob id cęteris iure antepoſuit, ſiquidem hæc ſimul cum aliis infertur, nam ſi ſit quoduis ex accidentibus, erit omnino & ſubſtantia, cui id accidit, reliqua uero ſecum non infert, neque enim ſi ſit ſubſtantia, prorſus & aliorum quodq; eſt, & tollit quiddam ſecum alia, non ipſa tamen cum aliis tollitur. At quæ ſimul interimunt, nec ſimul interimuntur, quæque ſimul inferunt nec nó ſimul inferunt, ea priora eſſe naturam confeſſum aſt, itaq; natura prior eſt cæteris ſubſtantia. Alia ratio. Res partim per ſe, partim in ipſo, partim circa illud dicuntur. Per ſe eſt ipſa ſubſtantia in ipſo quantum & quale (in ſubſtantia enim ſpectãtur,) circa illud ſeptem reliqua habentur. Præterea, hæc per ſe ſubſiſtit, neque aliis ad exiſ

Pro intellectu horum uerborũ Ammonii ſciendum eſt, quod per uiã, quæ eſt motus paſſiuus, intelligere uiã ad quid & uiã per quid, uia ad quam eſt forma diminuta ſub qua reperitur mobile priuſquã recipiat formã perfectã, & ad hanc prius tranſmutatur quã ad perfectã, & ſic motus eſt ... uia eſt in prædicamento ... forma perfecta terminans motum ... eſt in pluribus prædicamentis, uia autẽ per quam eſt tranſmutatio ipſa qua mobile dicitur tranſmutari, quo ad tranſmutare eſt in prædicamento actionis, quo uero ad tranſmutari eſt in prædicamento paſſionis quatenus ad ſucceſſum

Ipſi 'conimdũ eſt de genere cõmunium in partes per Ariſt. 3. phyſi. te. 1. q̃ uero ad id quod eſt in mente eſt ad aliquid quandoquidẽ ẽ in quadã habitudine admouens ut patet 3. phy. te. 3. Hoc conſideratiõe dignũ eſt, quo mõ uerum ſit formam eſſe deteriorẽ ſubſtantia cõpoſita uerũ pro hoc uidete Indice q. M. Ite. 13. 1. At quo ſieri poteſt, ut genera & ſpẽs ſint naturæ priora, nobis aũ poſteriora, cum cõia ſint. Et cõia ſit nobis notiora ut 1. phy. 7. 4 patet, dicendũ cum Simplicio 1. phyſ. char. 2. Ite. 3 G. cõia atq; uniuerſalia ſumpta ut ꝓpeſtates rerum p ablationum facta ſic ſunt poſteriora particularibus nã ſunt poſterius genita, & per ablationẽ facta quidem ſublatis non tollũtur particularia, ſed ſi conſiderata fuerint ut cõtinentes, ipſa particularia ſunt poſteriora, ꝓ hoc ſi uidete Alex in lib. 1 difficultatũ & qõnũ naturaliũ c. xi & quia Simplic. obſcuriſſime ẽ iũ credo ipſum noluiſſe, quod animal bifariam cõſiderari põt, uno modo ut totum uniuerſale, & ſic ẽ poſterius. altero uero modo ut eſſentialis ſuperioris, & ſic erit prima. Per intelligibilem ſubſtãtiã audit primã ab omni materia abſtractã quæ duntaxat intellectu apprehenditur. Non intelligibilẽ ſubſtã

ſtentiam indiget: reliqua hærent in alio, nam ipſum eſſe in
hac habent. Si enim ſubſtantia ſit, aliis quoq; ſint prædica-
menta, eſt neceſſe: at niſi ſit, alia ſubſiſtere haudquaquã poſ-
ſunt. Porrò hæc ſubſtantia tum ſimplex eſt, tum compoſi-
ta. duobus enim modis ſubſtantia dicitur: nam aut exiſten-
tiam omnem declarat, quæ & de accidentibus fertur: quaſi
ea quoque propterea quòd in rerum naturã exiſtant, ſub-
ſtandiæ ſiue eſſentiæ nuncupentur. Aut naturam non in ſu-
biecto iacentem, quæ ex oppoſito ab accidentibus dirimi-
tur. Hæc in ſubiecto non hærens natura aut ſimplex aut cõ-
poſita eſt: ſimplex quædam deterior quàm compoſita, quę-
dam præſtantior. Eſt autem ſubſtantia compoſita, homo,
& id genus alia: ſimplex uero & quàm compoſita præſtan-
tior, Deus, angelus, mẽs, anima, & ſimilia: ſimplex & q̃ cõpo-
ſita, deterior, materia prima, formaq;. Diſputat autẽ hoc lo-
co Ariſto. neque de ſimplici atq; eo quæ præſtat compoſi-
tæ (non enim de rebus diuinis ſibi diſſerendũ propoſuit,)
neque de ſimplici ac deteriore quàm compoſita, quando
nec ſcrutari de natura inſtituit: ſed de ſola compoſita. Atq;
huius alteram primam eſſe ait, alteram ſecundam: primam
uocat particularem: ſecundam uniuerſalem, quæ ad ſpe-
cies ac genera pertinet. Nam ut proditum eſt ſępenumero,
non de entibus qua ratione entia ſunt tractat, ſed in quo ſi-
gnificato uulgus hominem de prædicamento loquatur.
Quandoquidem ſi naturam eſſet rerum ſecutus, primam
generum ac ſpecierum, ſecundam indiuiduorum dixiſſet,
utpote illam cauſam, hanc ut ita dixerim cauſatam: enim-
uero cauſa cauſato, & uniuerſale particulari potius eſt.
Item priora naturæ, poſteriora nobis: & nobis priora, na-
turæ poſteriora, ſunt. Quoniã igitur cum his qui introdu-
cuntur ei ſermo eſt, meritò particularem ſubſtãtiã primam
appellauit, eſt enim ſenſui hæc euidentior: ſecundam, quæ
in generibus ac ſpeciebus conſiſtit: à particularibus nanque
ad uniuerſalia, illuceſcente ſero in nobis ratione ſubuehi-
mur. Ideo quaſi dogma haudquaquam probans, non quę
potisſimum & primo & maximè eſt, ſed dicitur pronuncia-
uit. Atque quo planior ſermo noſter fiat, dicamus hoc pa-
cto, tranſpoſitis philoſophi aliquantulum uerbis. Subſtan-
tia autem quæ & potisſimum & primò & maximè dicitur,
hæc eſt, id eſt quæ uulgò dicitur. At ubi uelut ea propria
ſententia ſermonem profert, non amplius dicitur, ſed Eſt
uerbũ uſurpat. Quæ inquit nec de ſubiecto aliquo dicitur,
hoc eſt prædicatur, nec in ſubiecto quopiam eſt, & non nec
in ſubiecto quopiam dicitur: cum ipſe dogmati aſſentia-
tur. Enimuero cognitam Ariſto. & intelligibilem fuiſſe ſub-
ſtantiam ac compoſitis præſtantiorem, ipſe planè & in me-
taphyſicis oſtendit, & in libris de cœlo, atq; in octauo natu-
ralis auſcultationis: ubi per ſe inquit mobilia priora eſſe iis
oportere, quæ aliunde mouẽtur, & immobilia ſemper mo-
bilius. Nam niſi immobilis quędam ſemper mobilium cau-
ſa exiſteret, utique illa motu ſempiterno haudquaquã per-
duraſſent agitanda. Hanc autem incorpoream eſſe, ac par-
tibus carere dimẽſionibusq;, tali quodam demonſtrat theo-
remata: (nihil enim fortasſis ab re fuerit ſpeculaminis ue-
lut in digresſione meminiſſe) inquit enim hanc cauſam ui
infinita conſtare. Quod ſi eſt, planè quoque incorpoream:
nam corpus omne, ut ipſe ad calcem octaui naturalis au-
ſcultationis uoluminis probat, finitam obtinet poteſtatem.
Si enim infinita, demus inquit, eſſe infinitam: quando igitur
diuidi poteſt omne corpus, diuidamus corpus hoc in tria
uerbi gratia: utrum ergo ſegmentum quoduis, infinitã uim
an finitam posſidet: ſi infinitam, pars æquè ac totum uale-
bit: id quod abſurdum eſt, nec fieri poteſt. Si finitam, patet
id quoque quod ex finitis conſtat finitum planè eſſe: qua-
re & totius corporis finita uis erit, nec infinita: ergo corpus
nullum finitum ui infinita præditum eſt. Corpus uero nul-
lum infinitum eſt magnitudine (nam id quoque ipſe in phy-
ſicis oſtẽdit:) nullum itaque corpus infinitam uim obtinet,
hoc ſi ſit, ergo quod facultatis infinitæ cõpos ſit, corpus nõ
erit: incorporea eſt, igitur prima ſubſtantia, ſiquidem & in-
finita pollet facultate. Porro non intelligibilem ſubſtãtiam
ſolum compoſitis nouit præſtantiorem, ſed cogitatricem

A etiam quam Græci διανοητικὴν nominant: idq; in demõſtra-
tiuis probat commentatione. Ait enim, uti ſe habet ſenſus
ad ſenſibilia, ſic habere demõſtrabilia ad demonſtrationem:
ſic ergo & permutato ordine ut ſenſus ad demonſtratio-
nem, ita fore ut ſenſibilia ſeſe ad demonſtrabilia habeant:
ergo ſi ſenſus deterior propterea eſt demonſtratione, q̃
hic circa particularia, illa circa uniuerſalia uerſetur, deterio-
ra quoque erunt ſcibilibus ſenſibilia: quare non intelligibi-
lem duntaxat, ſed cogitatricem quoque præſtantiorem cõ-
poſitis ſubſtantiam cognouit. Hic autem quę ſecundę ſunt,
primas, uti diximus, nominat, iis de cauſis quas ſæpius re-
cenſuimus. {Quæ neque de ſubiecto dicitur aliquo, neque
in ſubiecto, quopiam eſt.} Quæritur cur ſubſtantiam reli-
quis prædicamentis præſtantiorem negatione finiuerit, ſi
negationes affirmationibus contẽptiores eſſe arbitramur.
Itaque dicimus, contrà finitiones per negationem aſcitas
maiorem ſubiecto dignitatem afferre. Sic enim & Deum ſi-
gnificare uolentes, non quicquam de eo, ut diuinus inquit
B Plato, affirmamus, ſed ad negationes uenimus. Interrogan-
te enim Timæum Socrate quid Deus eſſet, quid non ſit no-
ui quidem inquit ille, quid uero ſit haud noui. Nã nec cor-
pus, nec colorem, nec angelum, nec eius quidpiam generis
ſed his præſtantiorem eſſe intelligo: quid autem ſit non in-
telligo. Quapropter ſubiectum interdum magis eiuſmodi
exornant finitiones: cum ab inferioribus omnibus ipſum
ſeiungant. Solent quoq; materiæ finitionẽ negatione expli-
care hoc mõ, quæ nec hõ, nec lapis, nec ignis, nec corpus
deniq; eſt: ſed his deterius quidpiam. Quocirca deo diſſi-
militer aſſimilari materiam ferunt. Aſſimilari, quoniã utro-
que aliorum negatione indicatur, diſſimiliter uerò, quoniã
cum hic præſtantior exiſtat quàm ut entia omnia conferri
ei posſunt, uniuerſa abnegamus, deterior autem cum ſit ma-
teria omnium comparatione, illa negamus. Quærendũ ue-
ro eſt num hæc ſubſtantiis quoque intelligibilibus ut ange-
lo ac ſimilibus finitio quadret, ut dicere eas posſimus neq;
in ſubiecto eſſe, neque de ſubiecto dici, nam & ipſis quodã
C modo competere ratio uidetur. Sed aſſerimus non com-
petere, nã quæ acceptæ negationes in definitione ſunt non
ſublationem ſolum, ſed poſitionem quoque ſignificant, ſi-
quidem ad aliorum diſtinctionem dicuntur. Nam non in
ſubiecto quæ eſt ſubſtantia, ad eorum quæ ſunt in ſubiecto
hoc eſt accidentium differentiam dictum eſt, non de ſubie-
cto autem ad eius quod de ſubiecto fertur diſcrimen. Enim-
uero quẽadmodum duplex lumen eſt, alterum quod di-
ſtinguitur à tenebris, iis inquam quæ in aere offunduntur,
alterum quod ad nihil refertur, nec oppoſitum habet ullũ,
ut ſolare, ita negationes quoque hic per ſe ipſas quando-
que, nec ad diſcriminationem, interdum uerò ad oppoſito-
rum diſcretionem dici affirmabimus. Ergo ſi negationes
hoc loco non ad oppoſitorum diſcrimen acciperentur,
utique conuenire intelligibilibus ſubſtantiis finitionẽ, haud-
quaquam ratione omnino uacaret, quoniam nec in aliquo
inſunt ſubiecto, nec de ullo ſubiecto prædicantur: nunc ue-
rò aſſumptis ad differentiam negationibus, iure particula-
D ribus ſubſtantiis finitione dignitatem cõparamus, cum eas
per id quod dicit non in ſubiecto, ſeiungamus ab acciden-
tibus, per uerba autem hæc non de ſubiecto, ab iis quæ de
ſubiecto prædicantur diſcernamus. Et uero hic ipſis digni-
tatem adhibemus, cum uſum aliis præbere, nullius uero
egere eas affirmamus. Vniuerſalia enim ad prædicationem
opus habent particularibus, hæc uero illis non item. At in-
telligibilibus ſubſtantiis nullam per hæc dignitatem affere-
mus, nihil enim proditum magni eſſet, ſi has in ſubiecto nõ
eſſe diceremus: neq; enim aduerſus eas diſtinctum accidẽs
quodpiam eſt, ſiquidem nec capaces omninò ſunt acciden-
tium. Ac quid de intelligibilibus loquor ſubſtantiis, quan-
do nec ſoli animæ ratio congruet, utiq; cum abſolutam eã
à reſpectu quem habet ad corpus, ac ſimilem deo reddità,
bonumq; mundanum inſpicientem cõtemplamur: at cum
in generatione ſpectatur, corporibusq; cõplexa eſt, tunc &
ipſi finitio quadrabit, ut quæ ſubdita eſt accidentibus, nam
philoſophiæ, uel grammaticæ, uel alii cuiquam ſubiecta

ſcientiarum

tiam duntaxat cognouit Ariſt. ſed cogitatricem, de quo per qua cogitatricem uidere Themi. 2. lib. de memoria & reminiſcẽtia c. 14. ubi a ꝓp dicta audit, ſed hic aliud eſt, q̃ cum una cum intellectu dicta, & hanc quidã huius dicit ex ꝓpria de qua hic uidete Philop. 2. de anima in cõ pũr tex. 30. Quo modo uniuerſale ſit prima natura & ſubſtantia ra ſunt uide pro hoc quę diſputauimus ſupra in l. in margine.

ſcientiarum eſt, quæ circa ipſam contigere. Porrò duorum quæ in finitione accepta ſunt, alterum prius natura eſt, alterum doctrina. Cum enim ſint ſubſtantia & accidens, & uniuerſale & particulare, prior natura ſubſtantia eſt, quod per ſe ea ſubſiſtat, illa uero ipſum eſſe in hac obtineant. Quod autem ad propoſitæ intentionem doctrinę attinet, prius eſt particulare: etenim natura uniuerſale eſt prius. Itaque ex iis quæ in finitione ſunt accepta, alterũ ex rerum natura prius eſt, alterum ex doctrinæ intentione. Perpende item eum de ſubiecto & in ſubiecto docere non temere antè cœpiſſe: quandoquidem futura nobis obſcura finitio erat, ſi uoces quæ ignotæ eſſent, in ea aſſumerentur. {Secundæ uero ſubſtantiæ dicuntur.} Quærere hoc loco dignũ eſt, qualem in ſubſtantia modum uſurpauerit diuiſionis: nam eorum quę diuiduntur quædam uelut genus ſecantur in ſpecies, ut animal in rationale & brutum: alia ſicut totũ in partes, ut corpus in manus & pedes & caput ac reliqua: nonnulla uero ceu uox æquiuoca in ſignificata diuerſa, ut mus in marinũ terreſtremq́; nulla ne harum diuiſione ſubſtantiam in primam ac ſecundam diducit? Dicimus igitur primum, non eſſe ſectionem eorum quæ diuiditur uti genus in ſpecies: nam id genus diuiſioni conſequens eſt, una abolita ſpecie, non ſimul & reliquas aboleri: homine enim perempto, nõ ſimul & reliquæ intereunt animantes, quæ ſpecies ſunt animalis: at hic ſecunda ſi intereat ſubſtantia, ſimul auſertur & prima: nam niſi genus ſit ac ſpecies, nec erunt indiuidua. Præterea nulla ſpecies alteram ſpeciem cum in eadem à ſe inuicem diuiſione ſeiunguntur continere poteſt: neque.n. continet homo equum, ſi in hæc animal diuidatur. Sed nec rurſus à rationali animali brutum comprehenditur, aut cõtrà, ſi animalis item in hæc fiat diuiſio. At uerò nec ita planè diuidas licet, ut alterum in altero claudatur: uerbi gratia animal aliud eſt inops rationis aliud equus: nam & equus in bruto continetur. Neq; enim quod continetur id à continente ex aduerſo diſtinguitur, dicimus uerò animal aliud eſſe rationale, aliud irrationale: quoniam cum æquali à genere hæc diſtent interuallo, neutrum in altero includitur. At hic ſecunda ſubſtantia primam complectitur, ſpecies enim genusq́; adhuc magis, cõtentiuum eſt indiuiduorum. Non ergo uti genus in ſpecies ſubſtantiam in primã ac ſecundam diremit. Verum enimuero nec ſicut totum in partes, nec ſimilares, nec diſſimilares. Nec enim ex aduerſo partem à toto, ſed partes à partibus hac in diuiſione licet ſegregemus. Nam nec manus dicimus aliud manum eſſe, aliud digitum: continetur enim in manu digitus quoque, hic uerò è regione diſtinguitur à toto pars: quippe & ſecunda in prima concluditur. Quinetiam in iis quæ ceu diſſimilaria diuiduntur, totum propriæ parti nequaquam nomen impertit, ut in facie ſeſe res habet, non enim pars uerbi gratia os, facies nuncupatur: hic autem pars utraque totius nomine ſubſtantia uocata eſt. Rurſus quæ ut ſimilaria diſſecantur, totius habent nominationem finitionemq́;, ueluti in carne: ſimiliter enim pars carnis caro dicta eſt: & carnis finitionem admittit: at hic tametſi prima nomen cũ ſecunda commune habeat, non tamen & finitione conueniet: non enim unam edes animalis uel hominis finitionem ac Socratis. Nam ne finitio quidem planè eſt indiuiduorũ, hominis autem animaliſq́; eſt: ergo ſubſtantia neque ut totum in partes conſumitur, neque in diſſimilares, neq; in ſimilares. Verum nec ut in diuerſa ſignificata uox æquiuoca diſpertitur: nam eius generis diuiſio idem diſtribuit nomẽ ſegmentis, rei cõmunitatem non diſtribuit, ut homo & uerus & pictus. Hic uero eſt primæ ſubſtãtiæ & ſecundæ quædam uel penes definitionem cõmunitas: nã comune ambabus eſt, in ſubiecto non eſſe. Quid igitur dicimus? nempe diuiſionem non eſſe prorſus quæ nobis hoc loco traditur, ſed ordinem ſolum enumeratorum: ueluti ſiquis orationis principia alia elementa eſſe dicat, alia ſyllabas, alia dictiones, alia nomina & uerba: uel hominibus quibuſdam ordine ſedentibus, hunc eſſe primum aſſerat, illum ſecundũ: ordinis enim eſt id, non diuiſionis. {Secundæ uero dicuntur ſubſtantiæ, in quibus ſpeciebus eæ ſubſtantiæ ſunt quæ pri-

A mæ appellantur.} Quamobrem uero non in uniuerſum dixit, Secundæ dicuntur ſubſtantiæ ſpecies & genera, ſed in quibus ſpecibus eæ ſubſtantiæ ſunt quæ primæ appellantur? Dicemus, ſubtiliter admodũ ita diſſertum. Nam ſi genera & ſpecies dixiſſet, quoniam in aliis prædicamentis genera ſpeciesq́; habentur, ut color genus in quali, ſpecies albũ & nigrũ, eſſe in accidentibus quoq; ſecundas ſubſtantias ſuſpicari nobis liceret: ob id non ſpecies quaslibet, ſed in quibus primæ ſubſtantiæ inueniuntur ſpeciebus ſecundas ſubſtantias appellauit. Eſt uero hoc loco etiam adnotandum, in iis ipſum quæ non ex propria afferuntur ſententia uerbum Dicuntur protuliſſe: ſecundæ enim inquit, dicuntur ſubſtantiæ: quæ autem ex propria opinione afferuntur, in iis non Dicuntur, ſed Inſunt pronunciare. In quibus enim, inquit, ſpeciebus eæ ſubſtantiæ ſunt, quæ primæ appellantur. Neque in ſecundis duntaxat ſubſtantiis uerbo Dicuntur, ſed in primis quoque eſt uſus: eæ enim, inquit, ſubſtantiæ quæ primæ appellantur. Ipſi autem primæ ſubſtantiæ

B in ſpeciebus eſſe ac generibus ut in uniuerſalioribus uidentur. Veruntamen & genera & ſpecies, ut traditum eſt, perinde quaſi in indiuiduis ſint, licet ſumere. Cum enim ut communitates ea cepeꝛimus, tunc uniuerſaliora ſunt, quaſi in ſe indiuidua complectantur: at cum in Platone aut Socrate genus uel ſpeciem acceperimus, tunc ut elementa, ea capientes indiuiduorum, dicemus in indiuiduis ipſa ut partes in totis contineri.

In quibus ab Ariſt. per ſeratur uerbũ ſupra dicend. Lib. 10. D. Per hæc ſaluare poſſumus genera & ſpẽs eſſe priora quo ad nos, ut cõmunitates ut uero elemẽta erunt priora quo ad naturã uero poſteriora.

Manifeſtum eſt autem ex iis: quæ dicta ſunt: quod eorũ quæ de ſubiecto dicuntur, neceſſe eſt & nomen & rationem de ſubiecto prædicari, ut homo de ſubiecto quodam homine dicitur. prædicatur etiam & nomen. hominem enim de quodam homine prædicabis: & ratio quoque hominis de quodam homine prædicabitur: quidam enim homo, & homo eſt & animal rationale mortale: quare & nomẽ & ratio de ſubiecto prædicabitur. Eorũ

C *uero quæ in ſubiecto ſunt, in plurimis quidẽ neq; nomẽ neque ratio prædicatur de ſubiecto: in aliquibus autẽ nomen quidem nihil prohibet prædicari aliquando de ſubiecto, rationem uero impoſſibile eſt: ut album cum in ſubiecto ſit corpore, prædicatur de ſubiecto. (dicitur enim corpus album) ratio uero albi, nunquã de corpore prædicabitur. Alia uero omnia aut de ſubiectis dicuntur primis ſubſtantiis, aut in ſubiectis eis ſunt. Hoc autem manifeſtum eſt ex iis quæ per ſingula proponuntur: ut animal de homine prædicatur: ergo & de quodam homine animal prædicabitur, nam ſi de nullo quorundam hominum, neque omninò de homine. Rurſus color in corpore eſt, ergo & in quodam corpore, nam ſi non in aliquo eſſet ſingulorum, nec omnino in corpore. Quare alia omnia aut de ſubiectis primis dicuntur ſubſtantiis, aut in ſubiectis eis ſunt. Non ergo exiſtentibus primis ſubſtantiis, impoſſibile eſt aliquid aliorum eſſe.*

D Manifeſtum eſt autem} Vult hoc loco primam ſubſtantiam laudibus efferre & oſtendere dictam eſſe eam non inepte ſubſtantiam primo & potiſſimum & maximè, quandoquidem hæc nullo eget poſteriore: quæcunq; autem poſt primam ſubſtantiam ſunt, illam partim ad ſubſiſtentiam, partim ad prædicationem requirunt. Eſt igitur hæc intentio. Ad propoſiti autem probationem hæc prius aſſumit, atque inquit, ex dictis patere, eſſe neceſſe, eorum quæ de ſubiecto prædicantur, & nomen & rationem de ſubiecto prædicari. Ex quibus dictis? nimirum illis quæ ſuperius traduntur, de iis quæ de ſubiecto prædicantur, in quibus dicebat: Quando alterum de altero prædicatur ut de ſubiecto, quæcunque de prædicato dicuntur, de ſubiecto quoque dicentur omnia. Hæc autem aſſumit, cum primam, ut dixi celebrare ſubſtantiam uelit, nempe quæ de ſubiecto prædicantur & nomen & finitionem ſubiectis tribuere: quę uerò ſunt in ſubiectis, ipſum quidem eſſe in iis habere: uel nomen autem ſolum, uel neque no-

men neque finitionem ſubiectis impertiri. Enimuero de **A** prima ſubſtantia quæcunque præter eam ſunt prędicantur omnia. Ergo primæ ſubſtantiæ, uſum omnibus quæ pręter eas ſunt aliis ad hoc ut ſint, aliis ad prædicationẽ præbent. Nam quæcunque præter primam ſubſtantiam ſunt, aut de ſubiecto de ea dicuntur, quæ nomen ipſi & definitionẽ tradunt, qualia ſunt genera ac ſpecies (hæc enim de ea prædicãtur uniuocè,) nam & eiuſdem particeps nominis eſt prima ſubſtantia, ut dicitur uniuerſalis homo de Socrate: nomenq́; illi ac definitionem tranſmittit. (nam Socrates, & homo, & animal uocatur) horumq́; particeps eſt finitionis: eſt enim ſubſtantia animata ſenſus compos: & animal rationale mortale. Cætera præter ſubſtantiam, accidentia inquam, quæ in prima ſubſtantia ſunt in ſubiecto, finitionis eam nunquam, nominis uero quandoq; ſolius conſortem reddunt. Nam albedo eſt in corpore: nec finitionem unquam corpori impertit. Haud enim dicere nobis liceret, corpus eſſe colorem qui uiſum diſſipet: ſed ſic forte, quod triplici conſtat dimenſione, capax coloris qui uiſum diſpergat: no**B**men tamen impertit (album enim corpus appellamus.) Verum non ſemper: nam ecce uirtus: enimuero hæc neq; nomen neq; finitionem cõfert ſubiecto: non.n. qui uirtutis particeps eſt uirtuoſus, ſed ſtudioſus perhibetur. Quæ aũt nomen diſtribuunt: partim æquiuocè id faciunt, quæ & rara ſunt: partim denominatiuè. Æquiuoce, ut grãmatica mulier à grãmatica: & muſica mulier à muſica. Denominatiue aũt, q̃ etiam ſunt plurima, ut à fortitudine fortis: & à grãmatica grammaticus: & albus ab albedine: & quæcunq; eiuſmodi ſunt. {Alia nanque omnia uel de ſubiectis dicuntur primis ſubſtantiis,} Bene dixit, Dicuntur: non enim egent particularibus uniuerſalia ut ſubſiſtant: ſed ut de illis prædicetur. {Aut in ſubiectis ſunt ipſis.} Rectè, Sunt, dixit: nam accidentia ipſum eſſe in particularibus obtinent ſubſtãtus. {Hoc autem apertum ex iis eſt, quæ ſingillatim proponuntur.} Alia omnia quæ pręter primam ſubſtantiam ſunt, aut de ſubiecto ea dici, aut ipſi eſſe in ſubiecto uult inductione probare, quando uniuerſali ratione non potuit. **C** Oſtendit autem non in ſpeciebus ſermonem faciens: nam has perſpicuum omnibus eſt de indiuiduis prædicari: nimirum proprium aliquando non tenentes nomen, indiuidua ipſa ſpeciei nomine nuncupamus, ac, Voca hominem illum, dicimus: ſed in generibus demonſtrationem facit per ſpecies medias. Si enim demonſtratum eſt, eorum quę ut de ſubiecto prædicãtur, quæcunque de prædicato ui de ſubiecto dicuntur, ea de huic quoque ſubiecto nuncupari, prædicatur autem de indiuiduo ſpecies ut de ſubiecto, ruſusq́; de hoc genus, planè genus & de indiuiduo prædicabitur: uerbi cauſa ſi de Socrate homo, animal de homine, ergo & de Socrate animal. Similiter quoque in accidentibus facit: non enim eſſe album in corporibus monſtrat aut nigrum. (nam hoc euidens eſt) ſed eſſe in corpore colorem. Si enim colorem omnem eſſe ipſum in corpore habere confeſſum ſit, ergo & particularibus ineſſe corporibus conſentiemus. (nam corpus ſimpliciter, de particularibus prædicatur corporibus) ſi igitur in corpore eſt co**D**lor, corpus autem de corporibus particularibus dicitur, ergo & color de particularibus prædicabitur: quoniam in omnibus iis quæ de ſubiecto appellantur, quæcunque feruntur de prædicato ea de ſubiecto quoque aſſerentur. Quamobrem uero color dixit in corpore, ergo & in quopiam corpore: nam niſi in corpore aliquo, ne omnino quidem in corpore? quoniam in particulari corpore proprię ſunt uniuerſale album ac particulare. Quòd ſi dicas quonam pacto ea diſcernemus? non ſenſibilibus quidem oculis, uerum intelligibilibus. Ac quid tum? colores erunt? non uniuerſalis enim quoniam eſt completiuus, cũ particulari non cenſetur colore: nam completiuum nihil cum eo numeratur, cujus eſt completiuum. Sicut enim homo, in umbratili pictura & is qui eſt coloribus diſtinctus, neque duo intelliguntur homines, nec qui completiuus eſt connumeratur, ſed alter communis, utique is qui obſcurè delineatus eſt, alter particularis, unusq; ambo ſunt, ſic

Aduerte & acrius inſpice quod Ammonius hoc in loco uidetur innuere dari naturam cõmuné realẽ, uerum cũ in propria de

A & in homine uniuerſali ac Socrate. Eſt enim ſciendum quòd quemadmodum primum pictor communem in rudi pictura hominem deſignat, dein coloribus exprimens, ducit ut Socratem faciat uel Platonem, ſic uniuerſali homo, cum ſit primus, ſi formationem accipiat, fiet Socrates aut Plato: natura enim ſimpliciter hominem facit, non Socratem Platonem'ue. Ergo niſi primæ ſubſtantiæ ſint, aliorum quidpiam eſſe haudquaquam poteſt. {Alia uero omnia uel de ſubiecto de primis dicuntur ſubſtantiis, uel ſunt in ſubiecto in ipſis.} Vides quàm meritò ſupradicta prius aſſumpſerit, laudibus primam ſubſtantiam extollere uolẽs? cum enim quæ præter eam ſunt, inquit omnia uel ſubſtantiæ ſint uniuerſales uel accidentia, prima ut ſæpe eſt dictum ſubſtantia, cum omnibus uſum præſtet, ſublata, ſecum quæcunque præter ipſam ſunt ſuſtulit. Nam prima interempta ſubſtantia, accidentia in quo, hæreant non habentia, ſimul abolita ſunt: ſimiliter & uniuerſalia, cum de quibus prædicentur non habeant. Porrò in uniuerſum prædicari dici**B**mus non quæ ante multa ſunt, ſed nec quæ in multis nam & hæc quidem ſimul cum primis ſubſtantiis dubio procul perimuntur. Non enim quidquam per ſe hominis in natura rerum eſt, quod nec Socrates eſt nec Plato nec particularium quiſquam ſit hominum: quippe in multis ſingularibusq́; ſpectantur communia: hæc tamen nequaquam prædicari de indiuiduis conſueuere. Nam nihil ipſum de ſeſe prædicatur. Sola autem ea prædicari de indiuiduis ſolent, quæ ſunt poſt multa, quæque in cogitatione uerſantur: (quam enim habemus de rebus notionem, hanc prædicare de ipſis conſueuimus) quæ ipſa quoque unà cum ſublatis particularibus auferuntur: nam niſi res ſint, utique ne de iis quidem extiterint notiones. Ergo niſi particulares ad ſint ſubſtantiæ, nec uniuerſalia erunt, nec accidentia. Merito igitur particulares ſubſtantiæ, primæ appellantur. Rurſus autem etiam hoc loco rectè uniuerſalibus uerbum Dicitur, accidentibus, uerbum Eſt aſſignauit.

C *Secundarum uero ſubſtantiarum, magis ſubſtantia eſt ſpecies quàm genus. propinquior enim eſt primæ ſubſtantiæ. Si quis enim aſſignet primam ſubſtantiam quid eſt, euidentius & conuenientius aſſignabit ſpeciem quàm genus aſſignans, ut hominem quendam manifeſtius aſſignabit hominem quàm animal aſſignans: illud enim proprium magis cuiuſdam hominis, hoc autem communius, & cum quandam arborem aſſignauerit, manifeſtius aſſignabit aſſignando arborem quàm plantam. Amplius, Primæ ſubſtantiæ ideo quòd aliis omnibus ſubiiciuntur, & omnia alia uel de ipſis prædicantur, uel in ipſis ſunt, propter hoc maximè ſubſtantiæ primæ dicuntur. Quemadmodum autem primæ ſubſtantiæ ad alia omnia ſe habent, ſic & ſpecies ad genus ſe habet, ſubiicitur enim ſpecies generi: genera enim de ſpeciebus prædicantur, autem cum generibus non conuertuntur. Quare & ex his ſpecies genere magis ſubſtan**D**tia eſt.*

Secundarum uero ſubſtantiarum} Comparationem facit ſecundarum inter ſe ſubſtantiarum, ſpeciei nempe ad generis: aitq́; ſpeciem eſſe magis ſubſtãtiam quàm genus, idq; duobus oſtendit argumentis: altero deſumpto ab habitudine quam habet ad primam ſubſtantiã, hoc eſt à propinquitate, qua ad ipſam pertinet: altero à proportione. Atque à primæ quidem uicinitate ſubſtantiæ, quod primæ ſubſtantiæ id eſt indiuiduis propior ſit ſpecies quàm genus. A proportione autem, quòd ut ſubſtantia prima ad ſpeciem, ita ad genus ſeſe ſpecies habeat. Si enim ipſam ex eo primam appellauimus, quòd omnibus ea poſterioribus uſum exhibeat, aliis ad exiſtentiam, aliis ad prædicationem, inter ſpecies quoque magis ſubſtantia quàm genus uocabitur; quæ ipſi ad prædicationem ſubiacet. Nam ſi ſpecies deſit, genus de quo prædicetur non habet: ſiquidem per mediam ipſam de indiuiduis etiam prædicatur.

A tur. {Siquis enim primã ſubſtantiam.} Hoc eſt à uicinitate argumentum. Si enim quid Socrates, inquit, ſit expeomemus, recte tum hominem tum animal aſsignantes loquemur: familiarius uero ſi hominem quàm ſi animal reſponderimus. Non enim ſi animal dixerimus, ſignificamus, utrũ rationale an brutum: & mortale ne an immortale, at ſi reſponderimus hominem, peopinquius eius naturam explicabimus. {Hæc enim magis hominis cuiuſpiam propria eſt, illud uero communis.} Eſt enim Socratis magis proprium eſſe hominem, animal autem communius, etenim de ſpeciebus aliis pluribus dicitur. {Præteeea ſubſtantiæ primæ.} Hoc eſt argumentum ſecundum, quod à peoportione deſumitur. Vt enim ſeſe, inquit, primæ habent ſubſtantiæ ad ea, quæ prætee ipſas ſunt, aliquibus ad exiſtentiam ſubditæ, nonnullis ad prędicationem, ita ſe ſpecies habent ad genera, quibus ſunt ad prædicationem ſubiectæ. Genera ueeo non item ſubiacent ſpeciebus: quamobrem ſpecies iure ſunt magis ſubſtantiæ. Porrò ſubtilitee adiecit B ac cætera de iis prædicentur omnia, uel ſint in ipſis: nã ſubiacent omnibus primæ ſubſtantiæ, uerum non ſimiliter. Aliis enim ut exiſtant ſubiectæ ſunt, hoc eſt accidentibus, aliis ueeò ideſt uniuerſalibus ſubſtantiis ad prędicationem. Cæterum quæſiuerit quiſpiam, cur non ſpeciem ſubſtantiam ſecundam, genus tertiam nominauerit. Itaque dicimus cum ſecundas ſubſtantias una eademq; de cauſa has nuncupaſſet, quòd prima inquam ad prædicationem opus haberent, harum inſuper facere diuiſionem noluit: ſed cõparare eas duntaxat contentus fuit, atq; alteram magis, alteram minus ſubſtantiam uocare.

13 *Ipſarum uero ſpecierum quæcunque non ſunt genera, nihil magis alterum altero ſubſtantia eſt. nihil enim familiarius aſsignabis de quodam homine hominem aſsignando, quàm de quodam equo equum. Similiter autem & in primis ſubſtantijs nihil magis alterum altero ſubſtantia eſt: nihil enim magis quidam homo ſubſtantia eſt quàm quidam bos.* C *Meritò igitur poſt primas ſubſtantias ſola aliorum omnium ſpecies & genera ſecundæ ſubſtantiæ dicuntur: ſola enim hæc eorum quæ prædicantur, primam ſubſtantiam indicant. Quendam enim hominem ſiquis aſsignauerit quid eſt, ſpeciem quidem quàm genus aſsignando familiarius demonſtrabit: & manifeſtius faciet hominem aſsignando quàm animal. Aliorum uerò omnium quicquid aſsignauerit quis, aſsignabit extraneè: uelut album, aut currit, aut aliud quodcunque talium aſsignans. Quare merito hæ ſolæ aliorum ſecundæ ſubſtantiæ dicuntur. Amplius. Primæ ſubſtantiæ eo quòd alijs omnibus ſubijciuntur, & omnia alia de illis prædicantur, uel in ipſis ſunt, propriÿßimè ſubſtantiæ dicuntur. Sicut autem primæ ſubſtantiæ ad alia omnia ſe habent, ita genera & ſpecies primarum ſubſtantiarum ad reliqua omnia ſe habent: de his enim reliqua omnia prædicantur. Quendam enim hominem* D *dices grammaticum eſſe: ergo & hominem & animal grammaticum dices. Similiter autem & in alijs.*

Ipſarum autem ſpecierum quæcunque} Cum ſubſtantiarum, ſecundum profundum, hoc eſt ab indiuiduis ad ſpeciem, ab hac ad genus diuiſionem cõfecerit, primamq; alteram eſſe pronunciauerit, alterã ſecundã, ſecundam autẽ earum ſecundum latitudinem ac collationem facit, ſpeciei unã magis ſubſtantiam eſſe, alteram minus, nunc diuiſionẽ inquam ad ſpeciem, & indiuidui ad indiuiduum. Et benè dixit quæcunq; genera non ſunt, nec ſubalternas ſpecies ac ſpecialiſsimas, ut animal hominemq; cõferres, ſed comparare illas inquit oportere, quæ eodem à generibus aut indiuiduis diſtant interuallo, ut hominem & equum, uel bouem. Harum enim alia inquit nihilo magis ſubſtantia quàm alia, eſt, eæq; perinde abſunt à genere. Nam poſt animal protinus brutum ac eationale ſtatutum animal eſt, poſt quę equus uerbi gratia, & homo, atq; bos, ut enim de A equo prædicatur animal, ita de homine quoque ac boue. Similitee planta de uite & olea, quod genus earum proximum eſt, ut animal quoque equi aliorumq;: peoinde ex iis omnibus aliam alia nihilo magis ſubſtantiam eſſe. Nam & peoximum eorum genus ab ipſis æqualiter diſtat, & poſt ipſa ſtatim indiuidua conſtituta ſunt. Verum nec indiuiduorum, inquit, aliud alio magis ſubſtantia eſt: ſimiliter nanque omnia ſpeciebus ſuis generibusq; ad prædicationem, & accidentibus ad inhærentiam ſubſtrata ſunt. Quam enim uniuerſalis homo ad aliquem hominem habet rationem, eandem uniuerſalis equus ad equum quempiam obtinet, nam quemadmodum prædicans de Socrate hominem, nihil prędicare familiarius potes, ita nec de Xantho equum, aut canem de Argo. Atque uel hinc manifeſtum eſt Ariſtotelem ad cognitionem uulgi præceptionem conficeee. Nihilo enim magis indiuiduum indiuiduo primam eſſe ſubſtantiam affirmat: ſed formicam hanc uerbi gratia, & hanc ſtellam pariter eſſe ſubſtantias. B Hominum enim multitudo ſimiliter horum unumquodq; eſſe ſcit: ob id ipſe quoque ſimiliter uulgi ſententiam ſecutus, hæc ſubſtantias appellauit. {Ipſarum autem ſpecierum quæcunque genera non ſunt.} Hoc eſt quæcunque iuxta indiuidua ſunt, & ſpecialiſsimæ: quandoquidem & auis ſpecies eſt. {Iure igitur.} Nunc cauſam exponit ob quam genera & ſpecies ſecundæ ſubſtantiæ nuncupentur: tertias uero non item ſubſtantias ipſa accidentia nominet. Hoc autem rurſus duplici confirmat ratione, altera à propinquitate ad primas ſubſtantias, altera à proportione. Atque ab ipſa quidem propinquitate, quòd ubi primas explicamus ſubſtantias, propriè ſolum per genus aut ſpeciem exponemus. Nam ſi Socratem hominem eſſe aut animal dixerimus, familiariter ac notius aſsignabimus, ſin album eſſe, uel currere, aut huiuſmodi quidquam pronunciauerimus, alienè atque ignobiliter explicabimus. Iure igitur geneea ſpeciesq; ſecundas ſubſtantias dicimus, quaſi C ſola primas ſubſtantias deſignent, accidentia uerò haud prorſus uocamus ſubſtantias, ut quæ ſubſtantiam primam non declarent. {Primæ item ſubſtantiæ quod aliis ſubiectæ ſint omnibus.} Sciendum eſt primas ſubſtantias ob id primas uocari, quod & accidentibus indiuiduis ad exiſtentiam ſuppoſitæ ſint, & uniuerſalibus ſubſtantiis ad prædicationem. Vtq; primæ ſubſtantiæ ad particularia ſeſe accidentia, atq; uniuerſales habent ſubſtantias. (ſubiacent enim ad exiſtendum illis, his ad prædicationem) ita ſecundas quoque ſubſtantias accidentibus quæ in nouem genera in uniuerſum cõſiderantur, ſubiectas eſſe, hoc enim eſt quod aliis omnibus dixit, hoc eſt uniuerſalibus ſubſtantiis, uniuerſalibusq; accidentibus. Ac denique ita ſe habent ſpecies ad genera, ut indiuidua ad ſpecies: ſunt nanque, ipſis ad prędicationem ſubditæ. Ait enim quemadmodum omnibus præter eas exiſtentibus ſubiectæ primæ ſubſtantiæ ſunt, ita & accidentibus ſecundæ, nam ut Socratem dicimus philoſophum, ſic & philoſophum hominem: & animal philoſo- D phum appellamus. Quamobrem ſubiacent & ſecundę accidentibus ſubſtantiæ, & de iis accidentia prædicantur. Sed de indiuiduis quidem prędicantur in primis, ut Porphyrius quoque inquit, ratione uerò ſecundaria, & de generibus, & de ſpeciebus: at ſubſtantiis nunquam ſubiacent accidentia. Eſt autem non ignorandum, ex iis quæ prædicantur aliqua ſecundum naturam, alia præter naturam, nonnulla per accidens prædicari. Dicuntur ſecundum naturam accidentia de ſubſtãtiis, ut Socrates eſt philoſophus, aut caluus, aut ſimus, uel id genus quidpiã: naturalitee enim ſubiecta eſſe accidentibus ſubſtantia conſueuit, accidentia autẽ de ea prędicari. Sed & uniuerſalia lege naturæ de particularibus dicũtur, ut de Socrate animal, etenim particularia ſubeſſe uniuerſalibus natura ſunt apta. Prædicatio præter naturam ea eſt, quæ contrarium efficit, atq; de accidente ſubſtantiã prædicat, uti ea quæ dicit hoc philoſophũ eſt Socrates, & ſiqd huiuſmodi: non enim ea natura conſtant accidentia, ut ſubſtrata ſubſtantiis ſint, & ea item quæ prędicat de uniuerſali particulare, ut quæ dicit hic hõ eſt Socrates, uel color eſt

A album. Per accidens uero prædicatio eſt, quæ accidens de accidente, aliud de alio prædicat, genere inquam diuerſum de eo quod diuerſi generis eſt, ut ea quę philoſophũ quod eſt in Socrate de ſimo quod eidem ineſt, aut caluo prædicat, aut contra: dicitq; exempli gratia hoc ſimum caluum eſſe, uel hoc caluum philoſophum, & ſiquid eſt tale. Enimuero per accidens dicitur, quoniam cum plura circa idem ſubiectum inuenta diuerſi generis ſint accidentia, nec de ſe inuicem prædicari natura idonea, aliud de alio dicitur propter habitudinem quam habent ad ſubiectum, non ꝙ mutua ſint cognatione coniuncta. Non enim ut ſimum caluo ſubiectum ſit, comparauit natura: utrunque enim ſub genere diuerſo, alterum ſub quanto, alterum ſub quali cẽſetur. Prædicationem autem id genus præter naturam non dicimus, quoniam planè accidens de accidente natura prædicari poteſt: natura poteſt autem uniuerſalius de magis particulari. Iure itaque accidentia tertiæ ſubſiſtentiæ haudquaquam uocata ſunt, quaſi non cuiquam ad exiſtendum B ſubiaceant. Sed & cum de accidente prædicatur ſubſtantia, huiuſmodi præter naturam eſt prædicatio.

Cur accidentia non dicã ſint tertiæ ſubſtantiæ.

14 *Commune autem omni ſubſtantiæ eſt in ſubiecto non eſſe. Prima namque ſubſtantia nec in ſubiecto eſt, nec de ſubiecto aliquo dicitur. Secundarum uero ſubſtantiarum conſtat quidem etiam ſic, quòd nulla eſt in ſubiecto: homo enim de ſubiecto quidem quodam homine dicitur: in ſubiecto uero non eſt, neque enim in quodam homine homo eſt. ſimiliter autem & animal de ſubiecto quidem dicitur quodam homine, non etiam eſt animal in quodam homine. Amplius. Eorum quæ in ſubiecto ſunt nomen quidem de ſubiecto aliquando nihil prohibet prædicari, rationem uero impoſſibile eſt: ſecundarum uero ſubſtantiarum de ſubiecto & ratio prædicatur, & nomen. rationem enim hominis de quodam homine prædicabis, & animalis ſimiliter. Quare non erit eorum ſubſtantia quæ ſunt in ſubiecto. Non eſt autem proprium* C *ſubſtantiæ hoc: ſed & differentiæ eorum eſt quæ non ſunt in ſubiecto. bipes enim & greßibile de ſubiecto quidem quodam homine dicitur, in ſubiecto uerò non eſt: neque enim in homine eſt bipes, neque greßibile. Ratio quoque differentiæ de illo prædicatur de quocunque ipſa differentia dicitur: uel ut ſi greßibile de homine prædicatur, & ratio greßibilis de homine prædicabitur. eſt enim homo greßibilis.*

Commune} Finitionem depromere uult. Verum quoniam generaliſſimum eſt genus ſubſtantia, reddere eius finitionem propterea nequit, quoniam ex generibus finitiones ac differentiis eruuntur: ac ſimplicis genus ſubſtantiæ reperias non licet, quòd genus ea uti diximus generaliſſimum ſit. Itaq; ob ea rem ipſius propriũ aſſignat: eſt enim id finitioni ſimile. Nam ut finitio ſoli & omni cuius finitio eſt competit, atq; ad definitum commeat, ſic propriũ quoque uni ineſt atq; omni cuius eſt proprium, atq; inter ſe illa D reciprocant. Hac igitur de cauſa proprium uult ſubſtantiæ prodere. Cæterum non quæ ipſe probet protinus tradit propria, ſed quæ propria eſſe ſuſpicatus aliquis fuerit, ne hæc propria quoq; eſſe ſubſtantiæ, cuiquam dicere in poſterum liceat. Proprium autem cum depromere uoluerit, detulit commune. ait enim, commune de omni ſubſtantia eſt, non eſſe in ſubiecto. Quid ergo dicemus: nimirũ duo quædam proprio ineſſe planè oportere, quæ ſunt, ſoli illi, omniq; competere cuius eſt proprium. Ergo per id quod cõmune eſt dixit, id eſſe in omni ſignificauit ſubſtantia. Proprium enim & ſoli illi rei ineſſe & omni oportet cuius eſt proprium, ut riſibile ſoli homini omniq; competit. Cõmune igitur inquit eſt omni ſubſtantiæ, non eſſe in ſubiecto. Quòdq; non ſit in ſubiecto prima ſubſtantia, ne probatione dignum quidẽ arbitratur, cũ ſit id ex euidẽtia manifeſtũ. Nã ipſum eſſe non habet in alio Socrates. Probat autẽ nõ eſſe in ſubiecto & ſubſtãtias ſecundas: idq; ſyllogiſmo utẽs

A huiuſmodi in ſecunda figura: Secundæ ſubſtantiæ nomen finitionemq; ſubiecto diſtribuũt, quæ autẽ in ſubiecto ſunt, ea neq; nomẽ neq; finitionẽ, aut ſoli nomen tradunt ſubiecto, ergo ſubſtantiæ ſecundæ non ſunt in ſubiecto. {Porrò nõ eſt hoc ſubſtantiæ propriũ.} Promulgatũ ſubſtãtię proprium elicit, ut quod non ſoli huic inſit, ſed etiam differentiis. Porrò ex hoc tum ſeiungere à ſubſtantiis differentias, tum connectere eas ſubſtantiis uidetur. Nam cum ait non proprium id ſubſtantiæ, ſed differentiarum quoq; eſſe, diſcernere eas uidetur à ſubſtantiis: per id uerò rurſus quòd differentias de ſubiecto dici ait, in ſubiecto autem nõ item, ſubſtantiis eas coniungit. Nam ea, inquit, quæ in ſubiecto non ſunt, iis tum nomen tum finitionem impertiunt de quibus de ſubiecto dicuntur: tales enim, inquit, ſunt & differentiæ, nam pedeſtre, & bipes, & rationale, non nomen ſolum homini elargiuntur: (pedeſtre enim animal homo dicitur, & rationale, & bipes) ſed finitionem quoq;, quocunq; modo quis horum cuiuslibet rationem explicuerit. Verbi gratia B ſunt in homine pedeſtre & bipes, ſed non ut accidentia: quoniam & nomine & ratione prædicantur de homine. (hominem enim pedeſtrem uocabis, dices & rationem pedeſtris, id eſt quod ſuper terram pedibus graditur) id uero proprium eorum eſt, quæ eſſentialiter de prima prædicantur ſubſtantia. Quamobrem differentias rurſum ſubſtantias eſſe uult ex iis uerbis. Quidam igitur ad hoc tres eſſe ſpecies aiunt differentiarum: quarum aliæ magis ſubſtãtiæ ſunt, quàm accidentia: quædã magis accidentia, quàm ſubſtantiæ: nonnullæ medio quodam adeò ſe modo habent ut ſit incompertum utrum accidentia magis ipſas an ſubſtãtias dicamus. Exempli cauſa magis ſubſtantiæ quàm accidentia ſunt rationale, brutum, & quæ ſunt id genus: magis quidem ſubſtantiæ, ꝙ ſubiectarum ſint ſpecierum cõpletiuæ: accidentia uero, quòd in quale quidquam ſit prædicentur, quẽadmodum & accidentia. At accidentia magis quàm ſubſtantiæ, album in olore & Scytha: & nigrum item in coruo & Æthiope: ab Æthiope enim Scytha differt, albo & ni- C gro: & accidens quidem ꝙ abſq; ſubiecti fiat corruptione ac corrumpatur: pennis enim corui detractis nihilominus coruus erit: & ſi denigratum Scytham mente conceperis, nihilominus ille & homo erit & Scytha. Rurſus quæ huiuſmodi ſunt, ſubſtantiæ quodam pacto eſſe uidentur: quoniam adeſt omni coruorum Æthiopumq; ſpeciei nigrum: ſimiliter & album oloribus ac Scythis. Medio uerò quodam ſe habent modo, quæ ſunt in elementis qualitates, ut calidum & ſiccum in igne, frigidum uel humidum in aqua. Cæterum quò planiora nobis fiant quæ de his, differentiis inquam quæ ſunt elementis inſitę dicuntur, ſermonem paulò altius repetamus. Primam materiam aiunt philoſophi incorpoream eſſe propria ratione, figuraq; carentẽ, ac magnitudine, atque ab omni qualitate abiunctam. Quòd enim informis ſit, ex eo planè oſtenditur, quòd omniũ ipſa naturalium ſit capax formarum. Quemadmodum enim ligna domeſticis inſtrumentis, materiæ rationem adhibentia, forma omni priuata ſunt, quæ in illis ſpectatur (nam ne- D que ſedilis formam habet, neque abaci, neque alterius id genus utilius) ſic materia quoq;, cum fundamentum quoddam ac omnium quæ in corporibus conſiderantur formarum ſit conceptaculum, ne unam quidem propriam formam obtinebit. Hæc igitur ſecundum tres dimenſiones in molem exaucta, ſubiectum ſecundum hoc eſt corpus qualitatis expers, ex Ariſtotelis facit ſententia. Quandoquidem enim per ſe ſubſiſtere qualitates haudquaquam ualebant (nam ipſum eſſe qualitas omnis habet in corpore,) corporis eguere, quod, ut in ipſo exiſterent, propria ratione qualitate uacaret. Huic igitur parte quadam ſicca & calida accedens qualitas ignem effecit, frigida & humida aquam: rurſus ſicca & frigida terram, aerem autẽ calida & humida. Non ꝙ actu uel incorporea materia, uel corpus qualitatis expers aliquandò fuerit: ſed id dicimus, rectum generandarum rerum ordinem contẽplantes, diuidẽteſq; hæc cogitatione, quæ natura ſeparari non poſſunt. Quæ ergo ſuperuenitint qualitates corpori, ſecundo inquam ſubiecto,

Dubium.

Reſponſio quorundam.

A ſubiecto, quatenus ipſi qualitate carenti aduenere, ſunt accidentia, ſubſtantiæ autem quatenus Ignis, aquæ, elementorumq; reliquorum ſunt completiuæ. Calida enim & ſicca igni uelut corpori qualitas ſuperindita eſt, ut autem igni, non hæc etiam ſuperuenire dicuntur, ſed huius magis complere ſubſtantiam. Quamobrem mediè hæ quodam pacto ſe habent, nihilo magis ſubſtantiæ quàm accidentia, nam corpori quidem ſimpliciter, quod trina inquam dimenſione conſtat, contigere: inſunt autem ſubſtantialiter elementis, cum completiuæ eorum ſubſtantiæ ſint. Quoniam igitur, inquiunt, non una ſpecies, ut oſtenſum eſt, habetur differentiarum, Ariſtoteles cum quaſi ad totam differentiarum reſpexerit latitudinem, de differentiis neq; ut ſubſtantiis abſolutè, neq; ut accidentibus enunciat. Nos ergo quid ad hæc dicimus? népe hos ingenioſè quidem fuiſſe, cæterum non uerè omnino commentos. Nam ſi differentias eſſe Ariſtoteles inter ſubſtantias & accidentia uolebat, faciendum ei prædicamentũ erat undecimũ, quod inter ſubſtãtiam atq; accidens mediũ B eſſet, quò differentias referret. Quòd ſi præter decẽ aliud non eſt, horumq; unũ ſubſtantia, cætera autem omnia ſunt accidentia, nihilq; interiacet, entia omnia uel ſubſtantiæ uel accidentia ſint, neceſſe eſt, ac nihil mediũ intercurrat. Quod autem ſubſtantię dubio procul ſint differentiæ ipſæ, cõpertum inde eſt, ꝙ completiuæ ſpecierũ ſint eæ, ac de ipſis ſubſtantialiter prædicentur. Nam ſi complent ſubſtantias, ſubſtãtiæ quoq; certè ſunt: non.n. ſubſtantiã cõplent accidẽtia. Quòd autẽ ſubſtantias eſſe eas uel ipſi Ariſtoteli uideatur, apertũ eſt ex eo quoq;, ꝙ inferius partes eas uult eſſe ſubſtantiarũ, cum ait, Ne uero turbent uos partes ſubſtantiarũ: & rurſus: Competit autem ſubſtantiis ac differentiis uniuocè ab iis dici omnia. Declaratur id etiam ea Porphyrii uerbis: nam de iis, ut placet Peripateticis, diſſerens ille, Differẽtia eſt inquit, qua ſpecies eſt amplior genere: propria autẽ parte omnino eſt amplior: ergo pars quoq; ſubſtantia eſt, ſi quidẽ & ſpecies. Quamobrem & Ariſtoteles tum ex ſuis C uerbis, tum ea iis quę Porphyrio ex Ariſtotelis ſententia ꝓdita ſunt, ipſas differentias uult eſſe ſubſtantias. Quonam igitur pacto inquit: Propriũ autem hoc ſubſtantiæ non eſt, ſed differentiarũ quoq;: quaſi diuerſæ à ſubſtantia palàm ſint differentię. Itaq; dicimus quẽadmodũ in unitate & puncto & inſtanti diximus, hæc ſub nullum prædicamentũ redacta propterea eſſe Ariſtoteli, ꝙ pluribus cognita non eſſent hominibus. Etenim reducere illa quoq; ſub quantũ licebat ſi diceret, quãtum, hoc quidẽ in partes poſſe, hoc nõ poſſe diuidi, & quod diuidi poteſt partim continuũ partim eſſe diſcretum, ſed nõ reduxit: quoniã, ut ſæpe diximus, nõ de iis, quæ ſunt quatenus ſunt, hoc loco diſputat, ſed quatenus de ipſis uulgus hominũ cenſet. Sic in præſentia quoque ipſe ſcit differentias eſſe ſubſtantias, cæterũ eas ſub prędicamentum non refert ſubſtantiæ, ꝙ notæ non ſint hominum multitudini. Quòd ſiquis dicat, atqui uulgo manifeſtę ſunt differentiæ, hominem enim rationalem ac mortalem eſſe ait. Reſpondemus non de differentiis ceu de ſimplicibus, ut de ipſa per ſe rationabilitate (ut ita loquamur) aut irrationabilitate notionem ei, ſed quaſi de cõpoſitis haberi, rationale enim animal totum ut unum quidpiam nouit, & brutum ſimiliter. Porrò & ſuperius dicebamus, cum ſubſtantia partim ſimplex, partim compoſita ſit: ac ſimplex quædam ſit præſtantior corpore, quædam deterior, de ſola compoſita diſputare philoſophum, quæ in generibus & ſpeciebus indiuiduiſq; ſpectatur. Nimirum igitur conſerens inter ſe ſubſtantias, ſola genera ac ſpecies aſſumpſit, & etiam indiuidua: quandoquidem ipſi & de ſolis his docere conſilium eſt: differentiarum autem ne mentionem quidem fecit, quoniam ſimplices hæ ſunt. Hanc igitur ob cauſam dixit Ariſtoteles, non eſſe hoc ſubſtantiæ proprium. Cæterum non ſimpliciter omnis dixit, uerum compoſitæ: nam non eſſe in ſubiecto non ſolum cõpoſitæ, ſed ſimplici quoq;, hoc eſt differentiis, competit. Cum uero ſuperius nobis quadripartita entium tradita diuiſio ſit, quærendum ſub quod diuiſionis ſegmentum redi-

Reſpõſio propria Ammonii, atq; prior eorum confutatio ſi differẽtiæ eſſent inter ſubſtãtiã & accidens, daretur xi. prædicamentum.

A gere oporteat differentias. Dicimus itaq;, ſi quæ ante multa ſunt differentias ceperimus, has ſub primo ſegmẽto quod eſt de ſubiecto & non in ſubiecto ſtatuendas: ſunt nanq; hæ uniuerſales ſubſtantiæ. Si eas quæ in multis, primum quidẽ ne differentias quidem has dici arbitramur, uti neq; genus, id quod in ipſis eſt animal. Si enim genus id ẽ quod de pluribus & ſpecie differentibus in quid eſt prædicatur, animal autem quod in Socrate eſt, non dicitur de pluribus, utique genus nequaquam fuerit. Et ſpecies ſimiliter quæ eſt in indiuiduo ſpecies dici non poterit: cum ſpecies de pluribus & differentibus numero in quid eſt prædicetur. Sic & rationale in Socrate nemo proprie loquendo differentiam dixerit. differentia enim de pluribus & ſpecie differẽtibus in quale eſt prædicatur: at rationale in indiuiduo, de eo prædicatur ſolo: non erit igitur differentia. Sed hæc partes eſſe dicimus indiuiduorum. Vt enim ſpecierum partes ſunt genus & differentia, ſic quod in indiuiduo eſt animal & rationale, partes ſunt indiuidui. Quocirca nec ſub definitionem B cadunt, utpote indiuidua. Aſſerit enim in libro de demonſtratione Ariſtoteles, indiuiduorum nec finitionem nec demonſtrationem eſſe. Si enim ex generibus differentiiſq; cõſtat finitio, in indiuiduis autem nec genus eſt nec differẽtia, dubium nemini eſt nec eorum haberi finitionem: at ſi finitio non eſt, utique nec demonſtratio: ſi quidem ex finitionibus demonſtrationes conſiſtunt. Quòd ſiquis differentias quoq; eas uocari dignum arbitretur, non abſolutè differentias, ſed ut in indiuiduo differentias nominabimus, quibus differt hic homo ab hoc equo & hoc angelo: idcirco ſub quartum eas recipiemus ſegmentum, quod eſt neque de ſubiecto neque in ſubiecto, quãdoquidem & completiuæ indiuidui ſubſtantiæ ſunt & particulares, de nullo enim prędicantur ſubiecto.

Pro intellectu horum uide te, quæ dixit ſup. Ammonius 10. A. & B.

Non conturbent autem nos ſubſtantiarum partes, quæ ita ſunt in toto, quaſi in ſubiecto ſint: ne forte cogamur eas non eſſe 55
C *ſubſtantias confiteri: Non enim ita ea quæ ſunt in ſubiecto dicebantur quaſi ut partes eſſent.*

Non conturbent] Quod iniectũrum Ariſtoteli ſcrupulum erat, id præueniens ipſe in quæſtionem deduxit & ſoluit. Addubitaſſet enim quiſpiam, quoniam ſunt in aliquo ſubſtantiarum partes (ſunt enim in ſubſtantiis) in aliquo uero & accidentia ſunt, partes ergo ſubſtantiarum ſunt accidentia, quod eſt abſurdum. Hoc igitur ſoluens, traditum eſt inquit, quomodo accidens in aliquo dixerimus. Non enim quod uelut ſubiecti pars eſſet, proditum eſt: ſed ut quod ſine eo conſtare non poſſet: differentiæ autem uſum tõ præbent, ac completiuæ ſubiecti ſunt, ipſumq; conſtituunt, quapropter tametſi in eo conueniant quod in aliquo ſint, eſt quoddam tamen in ipſis diſcrimen, quatenus hæ complent ſubiectum, ſuntq; ab eo inſeparabiles: illa uerò nec complent, nec ſimul perpetuò ſunt. Quidam uero interpretes hanc uerborum ſeriem ei cenſent præpo D nendam, quæ de differentiis inquit, Porrò non eſt id ſubſtantiæ proprium: ſed & differentia ex iis eſt quæ non ſunt in ſubiecto. Oportebat enim, aiunt, cum per hæc, ſubſtantiæ partem nullam in ſubiecto eſſe demonſtraſſet, ſubſtantiæ autem pars ſit & differentia, ita ſubiungere, non proprium eſſe ſubſtantiæ non eſſe in ſubiecto, quandoquidem eſt & differentiæ. An non uerò & ordo hic rectè ſe habet, cum enim neque ſpecies neque genera neque differentias quæ partes ſubſtantiarum ſunt in ſubiecto eſſe oſtenderit, inferendus uniuerſalis quidam ſermo erat, ne partem omnino quidem ſubſtantiæ in ſubiecto eſſe. Videtur autem ei ſermo eſſe non de partibus manu inquam & capite & pede, ſed de intelligibilibus uereq; partibus, ut rationali & mortali, hæc enim partes propriè hominis ſunt, ſiquidem ex iis homo conſiſtit, ergo de intelligibilibus loquitur rationali atque mortali. Sunt enim aliæ partes ſenſibiles, intelligibiles aliæ, nunc uero de intelligibilibus diſputat'. Sic enim ordo ſpeculaminis huius locum opportunum ha-

bet. Quoniam enim non proprium ſubſtantiæ eſt, dixit, nõ eſſe in ſubiecto, quandoquidem & differentiæ ex eorũ numero habẽtur, quæ in ſubiecto non ſunt, ne quis hoc ipſum dixiſſe putaret ꝙ differentiæ ſubſtantiæ non eſſent, quæ ꝓpriè ſubſtantiæ ſunt, ob id ſubiunxit: Ne uerò uos turbent ſubſtantiarum partes, ut quæ in ſubiecto ſint in totis, alioqui intempeſtiuè hoc interiectum ſpeculamen uideretur, niſi de intelligibilibus eum partibus loqui rationali mortaliq́; acceperimus, quæ propriæ ſunt partes hominis: ſiquidem homo ex iis conſtat. {Non enim ita in ſubiecto ea dicebantur quæ ut partes ſunt in aliquo.} id eſt accidentia etſi in aliquo eſſe, non tamen ut pars in toto dicebantur. Nam ſi quidquid eſt in aliquo, id in ſubiecto neceſſario eſſet, partes quoque ſubſtantiarum cum ſint in aliquo (ſunt enim in toto) in ſubiecto haberentur. Nunc uero eſſe in aliquo uniuerſalius cũ ſit, aliquod eſt ut in ſubiecto, quodam ut pars in toto, aliud uero ſecundum alium in aliquo exiſtendi modum.

16 *Ineſt autem ſubſtantijs & differentijs omnis uniuocè prædicari: omnia enim quæ ab his prædicata ſumuntur, aut de indiuiduis prædicantur, aut de ſpeciebus. A prima namque ſubſtantia nulla eſt prædicatio: de nullo enim ſubiecto dicitur, Secundarum uerò ſubſtantiarum ſpecies quidẽ de indiuiduo prædicatur: genus uero & de ſpecie & de indiuiduo. Similiter autem & differentiæ, & de ſpeciebus & de indiuiduis prædicantur. Et rationem quoque ſuſcipiunt primæ ſubſtantiæ, ſpecierum & generũ: & ſpecies generis. quæcunq; n. de prædicato dicuntur, eadem & de ſubiecto dicentur. Similiter autem rationem differentiarũ ſuſcipiunt & ſpecies & indiuidua. Vniuoca autem ſunt quorum & nomen commune eſt, & ratio eadem. Quare omnia quæ à ſubſtantijs & differentijs ſunt, uniuocè prædicantur.*

In eſt} Ad ſecundum conſequens tranſit ſubſtãtiæ priore improbato: & nunc peculiare proprium quærit ſubſtãtiæ: ſed & hoc ſtatim damnat: idque ex eo liquet quòd differentias coniunxit: ut non ſoli competere ſubſtantię pareat. Ac prius quidem eiectum eſt, quaſi omni ſubſtantiæ non ſoli autem inſit: hoc uero, quaſi nec omni conueniat neq; enim competit primæ, nam ea de quibus prædicetur nõ habet: neq; ſoli, quoniam & differentiis. {Omnes enim ab his prædicationes aut de indiuiduis, aut de ſpeciebus prædicantur.} Docet primum quæ nam à ſubſtantiis & differentiis prædicationem admittant: tum ſic uniuocam in ipſis accommodat prędicationẽ: indiuidua enim, inquit, de nullo dicuntur ſubiecto: ſpecies de indiuiduis: genera de utriſq;: eodẽ modo & differẽtię de ſpẽbus atq; indiuiduis. Hæc autem & uniuocè de quibus prędicantur, dicuntur nã Socrates & hõ eſt, & animal rationale mortale: eſt animal quoq; & ſubſtantia animata, & ſenſus cõpos. Sed & differẽtiarũ nomen rationemq́; accipit: dicitur. n. rationale, eiuſq; finitionẽ excipit. Rationale. n. eſt, id quod utitur ratione: nã & Socrates hãc rationẽ admittit. Et uerò de ſpecie ſimiliter & genus & differentia prædicatur uniuocè. Hoc uero etiã manifeſtũ eſt, quæcunq; uniuocè de prædicato dicuntur, ea de ſubiecto quoq; prædicatũ iri. Iure igitur genus differentiaq́; cũ de ſpẽbus prædicentur uniuoce, de indiuiduis quoq;, de q̃bus & ſpecies, prædicantur: ſpecies aũt de ſolis indiuiduis: indiuidua de nullo: quoniã nec ſubiectũ eis ullũ eſt. Contẽplare hic porrò q̃uo utilis ei de uniuocis præceptio fuerit: id quod etiã ipſe aperiens inquit: Erant aũt uniuoca, ea quorum & nomẽ cõe eſt & ratio eadẽ. Hinc uerò etiã conſidera, q̃ apertè differentias ſubſtantias eſſe ꝓnũciet. Si. n. quæ ſunt in ſubiecto uel ſolũ tribuunt nomẽ, uel neq; nomẽ neq; finitionẽ: uniuoce autẽ differentiæ de ſpeciebus prædicantur atq; indiuiduis, ipſæ ergo differentiæ ſubſtantiæ ſunt, & non accidentia: cõpetit. n. iis quæ ſubſtantialiter prædicantur & nomẽ & finitionẽ ſubiectis tribuere. Cuius igitur rei gratia cũ ſuperius diſcernere eas à ſubſtantiis uideatur, iiſdẽ deinceps cõiungit? nẽpe ob eam cauſam quã ſæpe recitauimus, quoniã hic ipſi inquã eò cõſiliũ ſpectat, ut non de omni ſubſtantia, ſed de ſola cõpoſita doceat cuius & uulgus hominũ notitiam obtinet. Socratem. n. multi nõ modo Socratẽ eſſe, uerũ hominem quoq; ipſum, & animal norunt: & uerò hominis nomẽ particularibus tribuũt communiter omnibus, nomen quoq; ſimiliter animalis hominibus & equis & reliquis animantibus: ipſius autem per ſe rationalitatis cognitionem non habent: ſed quamuis dicant rationale compoſitum dicunt, rationale enim animal, hoc totum cognoſcunt. Similiter quoque in bruto ac cæteris differentiis. Proinde igitur differentias ipſas non planè hoc loco ſubſtantias eſſe dicit, ſed ipſas quidem uult eſſe ſubſtantias: ac ſuã ubiq; ſententiam detegit. Non eiuſmodi uerò ſubſtantias quales cõpoſitæ ſunt, de quibus hic ei ſermo eſt. Sic ergo & in phyſicis cum triplicem ſubſtãtiã prodiderit; materiã & formã: & eam quæ eſt in materia, intelligo, non eã quę eſt ante multa aut in multis, & præterea quę ex utraq; ſimul & materia & forma conſiſtit, hic cõpoſitũ ſolum uocauit ſubſtantiam: non autẽ materiã, neq; formam, quoniam nec de ſimplicibus ei ſermo eſt inſtitutus.

Omnis autem ſubſtantia uidetur hoc aliquid ſignificare, in primis igitur ſubſtantijs indubitabile et uerum eſt, quòd hoc aliquid ſignificant: indiuiduum enim & unum numero eſt quod ſignificatur. In ſecundis uerò ſubſtantijs uidetur quidem ſimiliter propter appellationis figuram hoc aliquid ſignificare, quando quis dixerit hominem uel animal, non tamen uerum eſt, ſed magis quale aliquid ſignificant. Neq; enim unum eſt quod ſubiectũ eſt quemadmodum prima ſubſtantia: ſed de multis homo dicitur, & animal. Non autem ſimpliciter quale quid ſignificat quemadmodum album (nihil enim aliud ſignificat album quàm qualitatem) at ſpecies & genus circa ſubſtantiam qualitatem determinant: qualem enim quandam ſubſtantiam ſignificant. Plus autem in genere determinatio fit quàm in ſpecie: dicens enim animal plus cõplectitur, quàm qui hominem dicit. 17

Omnis autem} Cum prima duo repudiauerit conſequẽtia, quæ ſunt non eſſe in ſubiecto, & omnia uniuocè ab iis dici, ad tertium proprium trãſiuit, quod eſt hoc aliquid ſignificare. Igitur dictio hoc, ſubiectum ipſi denotat, ſignificatiua enim eſt demonſtrationis. Sic ergo materia ipſe ſubiectum in Phyſicis nominat. Ambo enim finita ſunt, & ipſum hoc, quaſi ſub demonſtrationem cadens: & materia, ut quę maneat eadem, omnibus quæ in ipſa ſunt mutationem patientibus. Siquidem transfigurari lebes poteſt & ſtatua fieri: & ſtatua rurſus figuram immutãs aliud fieri quidpiã, ꝑ id nihilominus manente quod prius erat q̃ lebes factus eſſet, aut ſtatua, aut quidquam eiuſmodi. Itaq; & ipſum hoc & materiam ſubiecta appellat. Pronomen uero aliquid, nõ de ſubiecto ſubſtantiam nominat: quoniam permanet, nec quoquam eget, nec eſt in ſubiecto, ſed ipſa ſubiectum omnibus eſt, autorq; unitatis, hoc eſt unum ſignificandi, ut hoc lignum, hic homo. Ipſum ergo aliquid, particulare indicat ambo autem cum dicuntur, hoc aliquid particulare, ſubiectum, indiuiduam inquam ſubſtantiam declarãt, ut hunc hominem, aut hoc lignũ. In his enim ipſum hoc ſemper fert Ariſtoteles, in indiuiduis inquam quę apparent ac ſenſibus percipiuntur, quippe hæc ea ſunt, quæ ſola recipiunt indicationem, quæq; ſunt duntaxat ſubiecta omnibus: dictionẽ autem tale in infinito & uniuerſali uſurpat, iure nanq; uniuerſale omnium ſimpliciter rationẽ obtinet. At Plato hoc aliquid in uniuerſali tanquam infinitum uelut in Ideis neceſſario capiebat, eas. n. in primaria eſſentia, ac ſubſtantias eſſe affirmabat: quale autem in ſingulari, nã infinita hæc uocabat propterea, ꝙ in ſtatu non eſſent, ſed ipſum eſſe in fluxu ac refluxu haberent. Rectè igitur ambo aliò atq; aliò ꝓpoſito capientes dixere. Porro & hoc propriũ reiicit, quaſi non oẽm ſubſtantiã quãuis ſolã comitetur. Nam ſpẽs inq̃t & genera, ut hõ & aĩal, hoc quidẽ aliquid ob ſingularẽ no

cis

cis effigiem ſignificare uidentur: cæterum multitudinem magis contentricemq́; aliquorum plurium communitatẽ ac qualitatem quandam referũt, cum communitatem particularium ac collectionem declarent. Operæ autem precium eſt quærere, quomodo in ſubſtantia dicat ſignificare & non eſſe, ſi res eſt ſubſtantia: ſignificantur enim res, nec ſignificant. Dicimusq́; ꝙ uocis eſt de re quandoque, & ꝙ rei eſt de uoce ob mutuum prædicari complexum, funguntur enim res uocum interim munere, ut non tanquam res ſignificent, ſed tali modo nominentur, ut Socrates ſi ipſum inquirentibus in multitudine ſpectetur. Interdum uero q̃ rei ſunt uoces obeunt, ut Socrates ambulat, non ꝙ nomẽ Socrates ambulet: uox etenim eſt, nox autem non ambulat, ſed ꝙ res quæ nomen eiuſmodi habet, illa ambulet. Sic ergo & hoc loco, propter uocis implicationem, ſubiectã prædicationem uocis accepit, quod eſt ſignificare: ac nũc præſertim, ubi de ſignificatiuis ſibi uocibus diſputandum propoſuit. Inſtitutum enim eſſe Ariſtoteli diximus, de uocibus, rebus, conceptibusq́; tractare. Subſtantia igitur ut uox quidem, ſignificat, nec ſignificatur, ſunt enim ſignificatiuæ rerum uoces; ut res uero ſignificatur, nec ſignificat. nã ſignificantur quidem a uocibus res, ipſæ uero aliorum nõ ſunt ſignificatiuæ. Quemadmodum autem ipſa per ſe ſignificatiua rerum nomina ſunt, ſi autem parti orationis cuiquam coniungantur, ſignificantur magis ab ea quodam modo, ita etiam hoc loco, ut cum dixero Socrates, ꝑ Socratis nomen ſubſtantiam notaui, cum autem Socratẽ philoſophum, uel Socrates ambulat pronunciauero, tũc per philoſophum, uel per ambulans ſignificatur magis quam ſignificet nomen. Cæterum & ad hoc animaduerſione opus eſt, indiuiduam Ariſtoteli ſubſtantiam hoc aliquid, uniuerſalem tale appellari: Platoni contra, nec eos mutuò diſcrepare. Vtranque enim hoc aliquid & tale nominare licet, nam hoc aliquid, finitum: tale autem, infinitum declarat. Enimuero in utraque & finitum eſt & infinitum. In indiuidua quidem ſubſtantia finitum, ipſum numero unũ: infinitum autem, ipſum mutari adeo, ut ſecundum perpetuæ paſsionis dogma, Heracliti inquam, ne uox quidem de ſeipſo remaneat, ut Socrates. Habet enim eſſe ipſum in fluxu ac refluxu, perinde atque res naturales aliæ. In ſubſtantia uero uniuerſali finitum eſt ipſum immutabile, ut uniuerſalis hominis, atque animalis: infinitum, in multitudine errare atque labi. homo enim ſi dixero, ſum particulares omnes complexus. {In ſecundis uero ſubſtantiis} Pronunciatione quidem ſingulariter facta hoc aliquid ſignificare uidentur, cum homo aut animal dixerimus. uerũtamen non hoc aliquid, ſed tale hoc eſt ſimilitudinem deſignant, qua homines quatenus homines ſunt, ſimiles inter ſe habentur, & animalia quatenus animalia. Magis ergo quale quidquam propterea indicat, ꝙ plura uniuerſalis homo indiuidua complectatur. {Non tamen uerum eſt.} Quoniam ex eius rei ignorantia quòd non omnis ſubſtantia hoc aliquid connotet, fiunt paralogiſmi hoc eſt deceptoriæ ratiocinationes, qui a græcis Vtines, id eſt non aliqui nominantur, iuxta Homericum Vlyſſem, qui Vtin ſeipſum opportunè appellauit. Vtinis paralogiſmi exemplum: Siquis eſt Athenis, is non eſt Megaris, homo autem eſt Athenis, homo igitur non eſt megaris. homo enim is eſt, neque hoc aliquid ſignificat. Simile huic & illud eſt. Quod ergo ſum, tu non es. Vt enim uerbum aliquis indiuiduam ſubſtantiam declarat, ita & uerbum Ergo. Eſt ergo paralogiſmus in uerbo aliquis ſeu quis, nam uerbum ſigs alter uniuerſale eſſe cogit, quod falſum eſt, alter in particulari ipſum capit, & uerus tunc ſermo eſt. Nam aliquis homo uerbi gratia Socrates aut particularis alius qui Athenis eſt, Megaris non eſt, ne ſit ipſe a ſeipſo diuulſus. Ita ergo dicas oportet. Quiſquis eſt Athenis, is non eſt Megaris, Socrates Athenis eſt, Megaris igitur Socrates non eſt. Itaque ob id non tamen uerum eſt dixit, quoniam cũ plura ſint ſingularia, genus & ſpecies eorum ſimilitudinem referunt. {Non enim unum eſt ſubiectum, uel ut prima ſubſtantia.} Quemadmodum uox, quæ ſingularis eſt figuræ,

A atque eam ob rem de uno ferri uidetur ſubiecto, homo enim ſecunda ſubſtantia atque animal dicitur, non homines animaliaq́;. {Non ſimpliciter autem quale quidquam ſignificat uelut album.} Quale ipſum communit, atque ab æquiuocatione propter accidẽtia uindicat, eſt enim differentiis atque accidentibus quale. Qualitatem autem nõ dicit, qualis eſt accidentis, neque enim ſubiecto accedens illa neque ab eodem decedens quidquam confert aut nocet. Genera autem & ſpecies, illorum quorum eſſe dicuntur, ac de quibuſcunque prædicentur completiua ſunt, atque ut ipſe ait, qualitatem circa ſubſtantiam determinant, hoc eſt talem aut talem ſubſtantiam determinant, atque diſtinguunt, confuſamq́; ipſam diſcernunt, ſynceramq́; ſeruant eſſentialem cuiuſq; ſubſtantiæ qualitatem. Nam cum contineat ſubſtantia corpus & incorporeum, & hæc confuſa indiſcretaq́; ſint, harum diuiſio ſpecierum, cuiuslibet qualitatem ſecreuit. Rurſus cum res plures ambiat corpus, animatum atque inanime confuſa diſcriminat, ac cuiuſq; proprium definit. Similiter & plura complectente a-

B nimato, huius ſpecies proprium ſingulis limitant, eodem & in cæteris modo. Animal enim & planta, quæ ſuorum ſubiectorum genera ſunt, ac ſub animato corpore conſtituta, ſubſtantialem ſpeciebus ſuis qualitatem ſuo ipſorum interuentu decernunt. Ac quonam igitur pacto, inquiunt, prędicari genera & ſpecies in quid eſt dicebantur, nunc uero Ariſtoteles quale ab iis determinari circa ſubſtantiam affirmat? Dicimusq́; quatenus differentiis impertiuntur ſpecies quidem actu, genera autem ſiue poteſtate ut placet Peripateticis, ſiue actu ſecundum Platonicos, eatenus quale dici circa ſubſtantiam definire, in quale enim eſt, prædicantur differentiæ. Quærendum uero eſt, quomodo ſignificare ſubſtantiam dicat, quãquam ſignificatur ea magis, neque ſignificat. Itaque ad hoc reſpondemus, uti proditum eſt ſæpenumero, diſputare de uocibus & rebus & conceptibus propoſitum Ariſtoteli eſſe, ſignificat ergo ceu uox, nec ſignificatur ſubſtantia, ſignificatur autẽ ut res, nec ſignificat. A uocibus enim ſignificantur res, ipſæ ueræ ſignificatiuæ non inter ſe ſunt. Quemadmodum

C enim nomina ipſa per ſe ſignificatiua ſunt rerum, orationis autem ſi cuipiam parti iungantur, ſignificantur magis ab ea quodammodo, ita & hoc loco, exempli gratia cum Socratem dixero, per nomen ſubſtantiam Socratis notaui, cum uero Socrates philoſophus, uel Socrates ambulãs, tunc ſignificatur nomen magis per philoſophum uel per ambulans quam ſignificet. Et non ipſum, ſed magis aliud quidquam ſignificat, ſic ergo & hic, ipſa per ſe res ſi capiatur ſubſtantiæ, nihil ſignificat, cum uero complicata uocis fuerit, tunc ab illa ſignificatur. {Amplius autem genere quam ſpecie determinationem facit. Nam qui animal dixit, plus complectitur quam qui hominem dixerit.} Hoc eſt, etſi ſubſtantia omnis ſecunda ſubſtantialem rerum qualitatem decernit, genus tamen magis uniuerſaliorem communioremq́;, ſpecies particulariorem qualitatem diuidicat.

Ineſt autem ſubſtantiis nihil illis eſſe contrarium. Prima e- 18
D *nim ſubſtantiæ quid erit contrarium? ut cuidam homini, uel cuidam animali nihil eſt contrarium: at uerò nec homini nec animali aliquid eſt contrarium. Non eſt autem hoc ſubſtantiæ proprium, ſed etiam multorum aliorum, ut quantitati: bicubito enim uel tricubito, nihil eſt contrarium: at uerò nec decem, nec alicui talium. Niſi forte quis multum pauco dicat eſſe contrarium, uel magnum paruo. Determinatorum uerò quantorum nullum nulli eſt contrarium.*

Ineſt} Ad quartum tranſgreditur conſequens tertio quoque damnato, ut pote ſoli uerum non omni competente. eſt uerò, hoc nihil contrarium eſſe ſubſtantię. Ait enim quid'nam contrarium eſt Socrati, aut alii cuiquam indiuiduo? At uero nec ſecundę, nam quid homini eſt aut

Obiectio. Solutio. Hæc facies pro Auer. 5. phy. com. 10

animali contrarium? Verum ſiquis dixerit, quid igitur nõ aduerſatur ignis aquæ, & terra aeri? Dicimus repugnare ſibi hæc mutuo, non qua ratione ſubſtantiæ ſunt, ſed qua affectæ ſunt qualitatibus. Aquæ enim qualitati frigidæ atq; humidæ calida & ſicca oppoſita eſt ignis: non ipſæ ergo inter ſe pugnant ſubſtantiæ: nam hæc non per tota ſeipſa contraria ſunt, cum non materia & corpore, ſed ſolis obluctentur qualitatibus. Sciendum eſt rationabile irrationabili non eſſe contrarium. Siue enim negatio rationabilis irrationabile ſit, negatio contrarium non eſt: ſiue poteſtatẽ affirmandi habeat, quæ ſpeciem quandam a rationabili diuerſam declaret, ne ita quoque contrarium eſt rationabile irrationabili, cum in eſſe ipſum deducat atque conſtituat.

Notabi.

Idem. inf. 16. K.

Sed neque ſpecies alia contraria eſt ſpeciei. uerum contrarietates circa differentias & qualitates uiſuntur. Forſitan uero ſiquis diligenter exquirat, ne penes quidem qualitates obiectam eſſe igni aquam profitebimur: ſubſidũt enim circa idem ſubiectum contraria, atque ita aduerſum ſe inuicem bellum ſuſcipiunt, utroque ſtudente eorum ſubiecto potiri, & alterum expellente. Ignis ergo ſi caliditati frigiditatiq; alternis non ſubiacet, ne proprie quidem caliditati ut in igne, oppoſitum quidquam eſſe cenſebimus, ſi oppoſita ut dicimus circa idem pugnant ſubiectum. Hoc uero etiam reprobat, perinde quaſi non uni ſubſtantiæ quãuis uniuerſæ competat. Quanto enim nihil, inquit, contrariũ, ut denario, uel bicubito: nam quid eſſe iis poteſt contrariũ? non enim quadricubitum contrarium bicubito, corrumpunt enim ſe mutuo contraria: hic uero incrementum bicubiti eſt quadricubitum. {Niſi quis multum pauco, uel magnum paruo dicat eſſe contrarium.} Atqui ne hæc quidem contraria ſunt quanta: quoniam ea multis paruis magnum, & multum ea pluribus paucis conſiſtit, atque hæc paulopoſt non quanta eſſe, ſed ad aliquid oſtendet. Verum tamen niſi quis conceſſionem inquit dederit, ut quanta ſint, nihil tamen noſtra intererit. Satis enim nobis eſt ad demonſtrandum non uni ſubſtantiæ nullum contrarium ineſſe, ſi quantis etiam definitis id competat. Definita quanta ea nominant, quæ circunſcriptam quibuſdam finibus habent quantitatem, neque relatione ad aliud dicuntur: paruum autem & magnum, & multum & paucum ſunt infinita.

Modus, quo dicitur quod caliditati, ut in igne nihil proprie opponitur.

19 *Videtur autem ſubſtantia non ſuſcipere magis & minus. Dico autem, non quoniam ſubſtantia non eſt à ſubſtantia magis & minus ſubſtantia (hoc enim dictum eſt quoniam eſt) ſed quoniam unaqueque ſubſtantia hoc ipſum quod eſt, non dicitur magis & minus: ut ſi eſt hæc ſubſtantia, homo, non erit magis & minus homo, neque ipſe ſeipſo, neque alter altero. non enim eſt alter altero magis homo, ſicut eſt album alterum altero magis & minus album, & bonum alterum altero magis & minus bonum. Sed & ipſum ſeipſo magis & minus dicitur: ut corpus cum ſit album, magis nunc album eſſe dicetur quàm prius: & cum calidum ſit, magis & minus calidum dicitur. Subſtantia uero non dicitur magis neque minus. Nihil enim homo magis nunc homo quàm prius dicitur, neque aliorum quicquam quæcunq; ſubſtantiæ ſunt. Quapropter non recipiet ſubſtantia magis & minus.*

Videtur} Ad quintum conſequens acceſſit, a ſubſtantia inquam non admitti magis & minus. Verbum autem uidetur non quod fictum eſt hoc loco ſignificat, ſed quod perſuadere non aliter queas, quodq; deprani non poteſt. Proprium uero hoc ea proxime antecedenti ſequitur, ortũq; ea illo obtinuit, ſubſtãtiæ contrarium nihil eſſe dicente. Fieri enim magis & minus in iis natura comparatum eſt in quibus & contrarietas, idq; non ſimpliciter: non enim contraria quæcunque magis & minus accipiunt, ſed quæ miſceri inter ſe natura apta ſunt. Par enim & impar quanquam ſunt contraria, magis tamen & minus nequaquam admittunt: quoniam nec miſceri natura ſunt idonea. Neq; enim eſt par magis par pari: neq; impar impari magis impar. Album autem albo magis eſſe album dicitur: quoniã nigro ſuapte miſceri poteſt natura: dicitur enim id magis album, quod a nigro longius diſtat: minus uero albũ, quod plus cum nigro mixtionis accepit. Et uero aliquid ſeipſo magis album dicitur, aliquid enim cum album nũc ſit, ſit ſeipſo albius, diſcreto quod in ipſo immixtum eſt nigro: ſimiliter & in aliis. Ergo ſi nec omnia magis minusq; admittunt contraria, ſed, ea duntaxat quæ miſceri natura ualent, multò minus ea quæ ne ullum quidem prorſus habent contrarium magis & minus recipient. Sciendum contraria ipſa fines eſſe, magis autem & minus uiam ad contraria. Ac contraria quidem uocat album & nigrum: magis uero & minus, mutationem ea albo in nigrum, uel ex nigro in album, quæ non tota ſimul ſit, ſed uia quadam per acceſſionem utitur, facta ea albo uel nigro in alterum trãſformatione. Itaq; contraria ubi ſunt, ibi aduerbia magis minusq; ſunt, & ubi non ſunt contraria, neque magis & minus, ubi item magis minusq;, ibi contraria, & ubi magis minusq; non ſunt, nec ibi contraria habentur, quatuor enim ſemper hæc inter ſe coniunguntur. Verum hæc ea Platonis ſententia medio prædita dicuntur, neq; enim ſemel natura a contrario in id quod plane contrarium eſt tranſilit, ſed uia utitur quadam, ſitq; minus album, & minus adhuc, atq; ita nigrum. Ariſtoteles uero non omnia inquit contraria medius diſtincta eſſe, ut Plato affirmabat, ſed nouit etiam, quæ medio careant, tametſi duo duntaxat, par & impar, & morbum ſanitatemq;. Quidam uero & horum media eſſe arbitrantur. Paris enim qui in duas æquales portiones diuiditur, & imparis qui in duos pares non ſecatur numeros, tres medii habentur, pariter par, qui uſque ad unitatem æquali partitiõe diſſecatur, ut numerus trigintaduo, in ſedecim, & octo, & quatuor, & duo, & unum, & impariter par, qui multis paribus acceptis ſectionibus in numerum imparem deſinit, ut xviii. in duos ix. & xii. & vi. & in tria numerum imparem terminat, & pariter impar, qui in duas quidem partes æquales diiungitur, cæterum eius ſegmenta protinus imparia ſunt, ut decem & octo in ix. & ix. diductus. Ac ſunt quidem, ut aiunt, paris & imparis ii, quos diximus medii: morbi uero ac ſanitatis, conualeſcentia. Si magis & minus non admittit ſubſtantia, quomodo in libro de generatione atque interitu minus calidũ aerem dicit ut igni collatum? calidior eſt enim ignis aere, & aer quàm aqua humidior, & aqua frigida magis quam terra, & terra igne ſiccior, hæ autem ſubſtantiæ ſunt. Ac dici poteſt, qualitates has rurſus non ceu ſubſtantias magis ac minus ſuſcepiſſe, quælibet enim in proprio ſubiecto plurima eſt, ut accidentia uero intendi ac remitti. Nam quod, minus eſt, ſi in id quod eſt magis euadat, non ſpeciem abolet, aer autem arcepus igneæ caliditatis menſuris aer non manſit. Illud uerò tenendum eſt, non eſſe in ſolis accidẽtibus magis & minus cum demutationem ſpeciei non faciunt, uiuit enim magis mens quam anima. Enimuero non omnino ſit magis & minus ob contrarii mixtionem, tametſi nanque immortalis anima eſt, minus tamen uiuit quam mens. Compoſita quoque eſſent hoc pacto quatuor elementa. Erit enim humidus ignis, ut pote minus ſiccus quàm terra, & aqua ſicca, quaſi in humiditate aeri cedat, atque in aliis ſimiliter elementis. ſed omnis hæc ſubſtantia formam obtinuit, & ſunt remiſſiones formarum. Sicut & luna, quæ cum quintæ ſit eſſentiæ ultima, quãuis ſub ſeipſa contentorum particeps non ſit, habet tamen quicquam in ſe forma diuerſum, ut facies ea declarat, quæ in ipſius medio pleniluniis apparet, & color qui in eius deliquiis carbonis ſpecie cernitur, qui diſſimilaris eſt. Horum enim neutrum terræ mixtione, ſed quintæ eſſentiæ luciditatis remiſſione prouenit. {Dico autem non ſubſtantiam ſubſtantia non eſſe magis minusq; ſubſtantiam.} Quoniam enim ſuperius primam ſecunda magis eſſe ſubſtantiam dixit, (eſt enim inquit ſubſtantia quæ potiſſimum & primò & maximè dicitur) & ipſius ſecundæ ſpeciem magis genere eſſe ſubſtantiam, cum aliſ ſecundarum uero ſubſtantiarum magis ſubſtantiam eſſe ſpeciẽ quàm

Aduerte circa hoc & diligenter [illegible] Arist. 2 [illegible] com. 15. [illegible] Ammon. paulo infra. Dubiũ. Circa hæc ſollicitum eſſe oportet [illegible] Arist. 1. phy. 17. & 30. Quid [illegible] Simp. 2. phy. [illegible] Arist. [illegible]

quam genus, meritò in quæſtionem uocat, quomodo cū ſubſtantiam ſubſtantia magis eſſe ſubſtantiam ſupra commemorauerit, non dicat, uidetur autem ſubſtantia non admittere magis & minus. Cui ſolutionem inferens inquit, non dictum eodem eſſe modo magis quidem & minus eſſe illic, hic uero non eſſe. Ibi enim ſubſtantiarum collationem ordinemq́, ſecundum profunditatem contemplando, primam ſecunda magis ſubſtantiam eſſe pronunciabat, quaſi hominum magis pluralitati cognita eſſet: & inter ſecundas ſpeciem magis, ꝙ primæ ſpecies ſit quàm genus propinquior. Hic uero ſecundum latitudinem collationem faciens, indiuiduum inquit, neque ipſum ſeipſo, neque aliud alio magis eſſe minusq́, ſubſtantiam. Socratem enim neque ipſum ſeipſo magis & minus quis hominem dixerit, neque Socratem Platone magis hominem. Sed neque ſpecies uel ipſa ſeſe, uel alia quam alia magis ſubſtantia eſt, ut homine equus nihilo eſt magis ſubſtantia: eodē pacto & in generibus. Enimuero proprium hoc ſeu conſequens, omni quidem non ſoli tamen competit ſubſtantiæ: etenim non admittit quantum magis minusq́, quoniā nec quodpiam habet contrarium. Sed neque par neque impar, quoniam ne miſceri quidem hæc ſuapte poſſunt natura. Quamobrem uerò quemadmodum in propriis aliis ad finem aiebat, non eſt autem hoc ſubſtantiæ proprium. Quoniam licet omni uerbi gratia, inſit, non ſoli tamen: aut ſoli quidem, ſed non omni. non ſic & hoc loco fecit, dixitq́; non proprium hoc eſſe ſubſtantiæ quāuis omni conueniat, ſiquidem quantum magis minusq́, non ſuſcipit. Dicimus hoc, propterea ꝙ ex dictis pateret, omiſiſſe: quoniam enim coniuncta ut dixi ſunt conſequentia, planeq́; id quod eſt non eſſe aliquid magis & minus, ex eo ꝙ eſt non habere contrarium ſequitur, paulo uero prius nec ſubſtantiæ nec quanto aliquod ineſſe contrarium oſtendit, id nobis colligendum ac ſubaudiendum reliquit, nempè non ſolius eſſe ſubſtantiæ magis ac minus non admittere, ſed etiam quanti.

20 *Maximè uerò proprium ſubſtantiæ eſſe uidetur, quod unū, & idem numero eſt, contrariorum ſuſceptiuum eſſe: ut in aliis quidem non habet quiſquam quod proferat tale, quæcunque non ſunt ſubſtantiæ: quod cum ſit unum numero ſuſceptibile contrariorum ſit: uelut color, qui eſt unus & idem numero, non dicitur albus & niger: neque eadem actio & una numero, praua & ſtudioſa. Similiter autem & in aliis quæcunque non ſunt ſubſtantiæ. Subſtantia uerò cum unum & idem numero ſit, ſuſceptiua contrariorum eſt: ut quidam homo cum unus & idem ſit, aliquando quidem albus, aliquando ſit niger: & calidus, & frigidus: & prauus, & ſtudioſus. in aliis autem nullis aliquid tale uidetur. Niſi quis forſitan inſtet, dicens orationem & opinionem, contrariorum eſſe ſuſceptibilia: eadem enim oratio uera & falſa uidetur eſſe: uelut ſi uera ſit oratio ſedere quendam, eo ſurgēte ipſa eadem falſa erit. Similiter autem & de opinione: ſi quis enim uerum putet aliquem ſedere, ſurgente eo falſo putabit eandem de ipſo opinionem habens. Sed ſi quis & hoc ſuſcipiat, tamen modo differt. Nam ea quæ in ſubſtantiis ſunt, ipſa quidē mutata, ſuſceptibilia ſunt contrariorum. Frigidum enim ex calido factum mutatum eſt (alteratum enim eſt) & nigrum ex albo & ſtudioſum ex prauo. Similiter autem & in aliis unumquodque eorum mutationem ſuſcipiens, ſuſceptibile contrariorū eſt. Oratio nanque & opinio ipſa quidem immobilia omnino perſeuerant: cum uero res mouetur, contraria circa ipſa fiunt. Oratio nanque eius quòd ſedeat aliquis permanet eadem: cum uerò res mota ſit, aliquando quidem uera, aliquando autem falſa dicitur. Similiter autem eſt & in opinione. Quapropter ſaltem modo proprium ſubſtantiæ eſt, ut ſecundum mutationē ſuiipſius ſuſceptibilis ſit contrariorum. Si quis autem recipiat e-*

A tiam hæc, orationem & opinionem ſuſceptibilia eſſe contrariorum, non eſt hoc uerum. Oratio nanque & opinio non in eo quòd ipſa aliquid recipiant, contrariorum ſuſceptibilia eſſe dicuntur: ſed eo quòd circa alterum aliqua paſſio facta ſit. Nam in eo quòd res eſt aut non eſt, in eo etiam oratio uera uel falſa eſſe dicitur. non in eo quòd ipſa ſuſceptibilis ſit contrariorum. Simpliciter enim à nullo neque oratio neque opinio mouetur, quapropter non erunt ſuſceptibilia contrariorum: cum nulla cõtraria ſit paſſio in eis facta. Verum ſubſtantia in eo quòd ipſa contraria recipiat, in hoc ſuſceptibilis eſſe contrariorum dicitur languorem enim & ſanitatem ſuſcipit: & candorem & nigredinem: & unumquodque talium ipſa ſuſcipiendo, contrariorum ſuſceptibilis eſſe dicitur. Quare proprium erit ſubſtantiæ, cum unum & idem numero ſit, ſecundum ſuiipſius mutationem, ſuſceptibilem contrariorum eſſe. De ſubſtantiis quidem hæc dicta B ſint.

Maxime uero} Sextum hoc conſequens proprium aſſignauit ſubſtantiæ, quod & inter cætera præcipuum habet, id inquam ꝙ una numero ac eadem manens, contrariorum ſit capax. Socrates enim unus idemq́, permanens, modo caleſcit, modo frigeſcit: & in qualitatibus ſimiliter aliis, reliquisq́, accidentibus. Hoc autem ſoli competit ſubſtantiæ, uerum non omni: aliud enim præter ipſam nihil, unum idemq́; manens numero, natura eſt aptum contrariis excipiendis, accidentia inquam (ab ea enim ubi diſceſſeris, accidentia omnia ſunt) neque enim prorſus natura comparatum eſt accidens accidenti ſubiici, ut illi exiſtendi primordium præſtet. Non enim ſubiacet album nigro uel calido, neque id genus alicui, eadem & in aliis accidentibus ratio eſt: ergo nec capax eſt contrariorum: competit igitur hoc ſoli quidem, non tamen omni: nam ſecundæ id nequaquam conuenit, neque enim unum idemq́, numero dici propriè uel genus uel ſpecies poſſit, cum propriè u- C num numero circa indiuidua ſpectetur. Præterea quāuis unum ſit ſpecies, non tamen eſt contrariorum capax, neque enim corpus eſt, ut caliditatem uel frigiditatem uel eiuſmodi quicquam accipiat: ſimiliter nec genus: ſed hæc ſanè effectiua eſſe contrariorum, aut diuidi in contraria dicuntur, mortale inquam & immortale, rationale, atque irrationale. At ne contraria quidem hæc ſunt, ſiquis acrius inſpexerit. Corrumpuntur enim inter ſe contraria: hæc autem mutuò ſe potius conſtituunt, quàm corrumpant: ſimpliciter enim rationale atque immortale bruta & mortalia promunt in naturam. Quid ergo ſi non omni ineſt ſubſtantiæ, id eius maximè proprium eſſe arbitratur? Dicimus itaq; cū prodita ſex quædam uelut propria ſubſtantiæ ſint, primū, quartum, quintumq́, eſſe quæ omni ſubſtantiæ non tamē ſoli competerent, non eſſe inquam in ſubiecto, quod differentiæ quoque ineſſet: & quartum, nihil eſſe illi contrariū, quod & quantis aderat: præterea & quintum, non admittere inquam magis & minus, quod & ipſum ſuppetebat quantis. At ſecundum, quod erat ſubiecta iis omnia dici D uniuocè, neque omni competere. Nec enim conuenit primæ, neque ſoli, quandoquidem & differentiis. Tertium autem, quod eſt, hoc aliquid ſignificare, & ad hoc, ſextum, unum inquam idemq́; numero manens capax contrariorū eſſe, ſoli ſubſtantiæ ineſſet, quāuis non omni. Ergo ne unū quidem ex quatuor iure approbat, quoniam non ſoli inerat. Nemo enim quod & alii competit, id eſſe alicuius dixerit proprium tametſi omni adeſt ſubiecto, ſed magis quā ſoli quanquam non omni. At cur duorum tertii & ſexti, ſextum anteponit? quoniam illud, quod eſt ſignificare hoc aliquid, id eſt ſingularem numerum, ſecundæ ſubſtantiæ ſola uoce conuenire uidebatur, hoc uerò re ipſa uidetur congruere. Quocirca ut omni quoque ſubſtantiæ aſſignatum cohærere proprium oſtendamus, hoc pacto immutatis parum philoſophi uerbis dicamus. Maximè uerò proprium ſubſtantiæ eſſe uidetur, indiuidua quæ ſub ea con-

Hoc quidem uerū ē de cõtrarietate in ter actiua & paſſiua reperta.

tinētur, uiciſſim capacia eſſe contrariorum. Sic enim & de A omni ſubſtantia proprium hoc prædicabitur, neque aliorum ulli congruet prędicamentorum, nam nec quanti indiuidua, uerbi gratia decem, nec qualis, ut in hoc lapide album, capacia ſunt uiciſſim contrariorum. Verbum Viciſſim adiectum eſt, quoniam nō dealbatur ſimul ac denigratur Socrates, nec ſimul ægrotat ſanitateq; fruitur. Verba autem adiacent illa, unam eandemq; numero, quoniā numerus quoque contraria par & impar admittit, non unus tamen numero, ſed ſpecies unus, quando ne ut in numero quidem conſiſtit par & impar, ſed ut in materia, quæ poteſt in par atque impar diuidi. Nam cubitale lignum & in par in impar ſecatur, & pares equi poſſunt impares reddi alterius additione. Et uero corpus quāuis contraria admittat, ut album & nigrum, non unum tamen numero, ſed ſpecie eſt unum. Sed enim in Ariſtotelica ipſa dictione id quod dicitur contemplemur. {Maximè uero proprium eſſe uidetur ſubſtantiæ, quod idem unumq; numero eſt, uiciſſim id capax eſſe contrariorum.} B Nam unum quidem numero, ut idem ſeruetur ſubiectum, idem uerò, ne ſecundum ſubſiſtentiam mutetur, fit enim color ex albo niger, mutationem ſuſcipiens eſſentiæ, nam ſubſiſtentiam in eo quod album eſt propriam obtinet. Itaq; ſi in nigrum mutetur, ſecundum ſubſiſtentiam mutatus eſt. At Socrates unus & idem manens quandoque calidus, quandoque frigidus fit: & in aliis ſimiliter. Capax autem contrariorum, ut excipiendorum uiciſſim contrariorum facultatem oſtēdat. non enim excipere contraria, nam eſſent in eodem pugnantia, ſed capax dixit, quò, ut expoſui, facultatem indicaret. In aliis autem prædicamentis nihil eiuſmodi uidetur. Sed rogabit quiſquam fortasſis. Quid ergo? an coruus hic eſt capax albedinis, uel olor nigredinis? quomodo igitur eſſe capax dixit contrariorum? Sed reſpondemus, à ratione haudquaquam fore alienam in coruo aliisq; innumeris dubitationem, ſi capacem eſſe omnem ſubſtantiam contrariorum omnium dixiſſet. Neque enim nigra fieri ualet ceruſſa, ſi maneat ceruſſa: neque ignis ſi ignis maneat, capax frigiditatis humiditatiſve eſt: nec aqua, nec terra leuitatis: C nunc uero non omnium, ſed ſimpliciter contrariorū dixit. Quamobrem etſi coruus quoque albedinem nō accipiat, aut olor nigredinem, tamen caliditatem, frigiditatē, ac cæteras contrarias qualitates admittunt. Et ignis licet non frigiditatem uel humiditatem uel quid ei contrarium ſuſtineat, lationem, tamen deorſum capit uiolentam, cum ſurſum ferri ſuapte natura incitetur. Quid uero de ſole & luna ac ſimpliciter cœleſtibus dixerimus? horum enim quoduis cum numero unum idemq; ſit, tamen contrariorum capax non eſt, niſi contrarias quis & hic ceperit motiones, quoniam ab hortu quidem motu feruntur cum uniuerſo, per ſe uero ipſa contrario cientur. In ſeptem autem erratibus, ab auſtralibus quoque regionibus ad aquilonias, & ab iis rurſus ad auſtrales tranſitum ceperis licet: in eamq; contrarietatem qua a terra longius recedunt, ac prope eandem iter tenent: nec non qua congrediuntur, digrediunturq;. In luna autē, & eius illuſtrationes & ecclipſes. Quò D fit ut ſphæra ſola immobilis, non capax contrariorum eſſe uideatur. Aliter quoque reſpondeas. Supra diximus ineſſe hoc quidem ſubſtantiæ, uerum non omni: neque enim ſpeciebus competit ac generibus, ſed quæ ſub iis continentur indiuidui. Vnira uero ne omninò generis quidem uel ſpeciei cuiuſpiam ſunt indiuidua, ut ſol & luna, & uero cælum prorſus unicum quoddam eſt. Non ergo ſermo arguitur Ariſtotelis, etſi capacia cæleſtia non ſint contrariorum: nam de indiuiduis quæ ſub generibus ſpeciebusq; comprehenduntur, non de omni ſubſtantia agitur. Diximus item hoc ſoli ſubſtantiæ, quāuis non omni congruere, quanquam ne indiuiduis quidem ineſt uniuerſis, ut quidam putarunt, propter cycnum qui album non mutat. Verum tametſi oppoſitionem hanc non admittat, ſuſcipit tamen ut dictum eſt oppoſitionem aliam, quæ eſt calidi & frigidi, humidiq; ac ſicci. Secundæ autem ſubſtantiæ, ut quæ ſunt immutabiles, non recipiunt contraria, ſimiliter & cæleſtia cum ſint immutabilia, quatenus talia ſunt, contraria nō admittunt. A Quidam uerò difficultatem proponunt, nēpè uniuerſalem hominem, ſi mutabilis ſit, capacem contrariorum, ſin non mutabilis, deum, quod abſurdum eſt, fore. Dicimusq; conſtitutiuis eius partibus eſſe immutabilem, ut animali, rationali, mortali. Hō enim nullus, cū animal ſit, ſit nō animal: aut cum rationalis exiſtat, expers euadit ratiōis, aut mortalis immortalitate fruitur. Sic enim & Plato opinatur, qui immutabilem eſſentia, actione uero mutabilem eſſe rationalem animam aſſerit. {Niſi quis forſitan ineſt, ac orationem opinionemq; eiuſmodi eſſe dicat. Nam oratio eadem & uera & falſa eſſe uidetur, ut ſi uera ſit ſedere aliquem, ubi is ſurrexerit, eadem falſa erit oratio. Eodem modo & de opinione. Siquis enim uere opinetur ſedere quempiam, ubi ipſe ſurrexerit, falſo opinabitur is qui eandem de ipſo opinionem habet.} Quæſtionem quandam aduerſus ſe ipſe in medium adducit, quam ab aliquo adduci par erat, eiq;, quoad fieri potuit, ſolutionem affert. quiſ B quam enim dubitaſſet, quomodo ſolius dicat ſubſtantiæ proprium eſſe, oportere, quæ idem unumq; numero eſt, capacem eam eſſe contrariorum. Nam ecce & pronunciatiua oratio, & opinio, quarum oratio tum pronunciatiua tum animo concepta quantum eſt, opinio autem quale, cum unum idemq; maneant, capaces ueritatis ſunt & falſitatis. Quæ enim dicit oratio Socrates ſedet, ſi forte ſedeat Socrates, uera, rurſum ſi ſurrexerit, hæc eadem falſa eſt. Similiter & opinio de Socrate ſedente, ſi eum ſedere contingat recte ſentit, ſi ſurrexerit, eadem falſo exiſtimat. Itaque eadem oratio, atque opinio eadem, cum unum idemq; maneant, capaces ſunt ueritatis falſitatisq;. Solutionem igitur quæſtioni bifariam infert, tum per ἀντιπαράστασιν, hoc eſt fiduciariam reprobationem tum per ἔνστασιν id eſt inſtantiam. Eſt ergo fiduciaria reprobatio, cum id quod obiicitur admittentes, oſtendimus, quanquam ita res habeat, eſt tamen quod dicimus nihil officere. Inſtantia uero, eſt cum nihil omnino quæſtioni cedimus, ſed ipſam ſubuertimus, perinde quaſi non ita ut eſt propoſita, habeat, ac primum C quidem per fiduciariam reprobationē ſoluit, ſic inquiēs: {Siquis autem hoc etiam admiſerit, modo tamen differt. Nam quæ ſunt in ſubſtantiarum genere, cum mutentur ipſa, capacia ſunt contrariorum. Mutatum nanque eſt frigidum ex calido factum (Alteratum enim eſt) & nigrum ex albo, & ſtudioſum ex uitioſo. Eodem pacto & in quouis aliorum ipſum mutationem ſuſcipiens contrariorum eſt capax. Oratio autem atque opinio ipſa quidem immobilia uſquequaque omnino permanent, at res cum mouetur fit circa ea contrarium.} Si uerò etiam inquit orationem eſſe concedemus contrariorum receptricem, non eodem tamen modo quo ſubſtantia ſuſcipiet contraria. Nam ſubſtantia quidem motum ipſa concipiens ex calida frigida fit, & nigra ex alba, in cæteris quoque contrariis eodē modo: at manens immobilis oratio, eo quod mota res ſit, ueritatem accepit falſitatemq;. Nam cum ſedeat Socrates, oratio quæ ſedere eum dicit uera ſit, ubi uero ſurrexerit, falſa: eſt ergo Socrates is qui mouetur, oratio autem manet immobilis: Idq; merito, nam neque in ſolis orationibus, ne D que in ſolis rebus ueritas mendaciumq; eſt, ſed in uerborum cum rebus cohærentia. Quemadmodum enim calceatio neque in ſolo pede, neque in calceo, ſed in calcei ad pedem concinnatione ſpectatur, ſic ueritas quoque in uerborum cum rebus conuenientia. Eadem & de opinione dicemus, nam manens & illa immobilis, re commota, uel uera, uel falſa dicitur. Modo igitur quodam hoc proprium ſubſtantiæ eſt, ſiquidem alio modo conceptrix eſt contrariorum ſubſtantia, alia oratio atque opinio. {Quòd ſiquis receptiua contrariorum eſſe opinionem orationemq; admiſerit, hoc uerum non eſt.} Ac per fiduciariam quidem reprobationem hoc pacto, per inſtantiam uerò ſic dubitationem ſoluit, hoc autem uerum non eſt, id eſt dicere ab oratione uel opinione admitti contraria uerum non eſt {Simpliciter autem a nullo neque oratio mouetur neque opinio. Quapropter non erunt ſuſceptiua contrariorum,

cum

Poſſumus dicere ſermonē Ariſ. non arguendum eſſe, & ſi ca-

[illegible] quia hæc genera de quibus Ari. hic agit [illegible] de cœleſti ſubſtantia. Dubii ſolutio.

cum nullus in iis affectus prouenerit.} Nam ſubſtantia in contrariis excipiendis motu cietur qualitati conueniente: horum uero neutrum ab altero mouetur. Siquidem neq; oratio cauſa eſt rei mutandæ atque in contraria dimouendæ, neque res mota quicquam ſecum orationis commouit: nam manſit eadem immobilis oratio, nec quicquam perpeſſa eſt. Afficiuntur autem quæ capacia contrariorum ſunt, cum ſit affectus mutatio in contraria: at quæ afficiuntur mouentur, nam motus eſt ipſe affectus. Si ergo non permanet pronunciatiua oratio, ſed ſimul ac dicta eſt, etiã deperit, conſtat nec eam moueri: quomodo enim quod non eſt mouebitur? niſi moueatur, neque afficietur, niſi afficiatur, neque admittit contraria. Sed ab oratione ſane fatebimur quæ eadem ſpecie, non etiam numero ſit contraria excipi: eodem pacto & de opinione dicemus. {Quocirca proprium fuerit ſubſtantiæ, ut eadem atque una numero capax contrariorum ſecundum ſuam ipſius mutationem ſit.} Cum orationem non unam eandemq; manentem contrariorum receptricem eſſe oſtenderit, ꝙ ſoli hoc inſit ſubſtantiæ: per hæc ſermonem concludit. Decenterq; uerba illa, ſecundum ſuam ipſius mutationem, appoſuit. Non enim oratio inquit atque opinio, contraria ſui mutatione, ſed eò quòd res immutetur, accipiũt: at ſubſtantia ipſa cum penes qualitatem mutetur, receptrix facta eſt contrariorum. Vnum autem numero dixit, quoniam numerum, ut materiam, intelligamus oportet: contrarietatesq; circa hanc fieri, nempè parium atq; imparium.

DE QVANTO.

21 *QVANTI autem aliud quidem eſt diſcretum, aliud autem continuum & aliud quidem ex habentibus poſitionem ad ſeinuicem in ipſis partibus conſtat, aliud autem ex non habentibus poſitionem. Eſt autem diſcretum quidem, ut numerus, & oratio. continuum uero, ut linea, ſuperficies, corpus: amplius autem præter hæc, locus & tempus. Partium etenim numeri nullus eſt communis terminus ad quẽ copulentur partes eius: ut quinque ſi ſunt denarii partes, ad nullum terminum communem copulantur quinque & quinque: ſed ſemper diſcreta ſunt. Et tria & ſeptem ad nullum communem terminum copulantur: neque omnino habeas in numero communem terminum partium accipere, ſed ſemper diſcretæ ſunt. Quapropter numerus quidem diſcretorum eſt. Similiter autem & oratio diſcretorum eſt. Quòd etenim quantum ſit oratio, manifeſtum eſt: menſuratur enim ſyllaba breui & longa: dico autem cum uoce orationem factam: ad nullum enim communem terminum particulæ eius copulantur. Non enim eſt communis terminus, ad quem ſyllabæ copulentur, ſed unaquæque diuiſa eſt ipſa ſecundum ſeipſam. Linea uero continua eſt: eſt enim ſumere cõmunem terminum punctum, ad quem partes eius copulentur: & ſuperficiei, lineam: plani nanque partes ad aliquem communem terminum copulantur. ſimiliter autem & in corpore habeas ſumere communem terminum lineam uel ſuperficiem, ad quam corporis partes copulantur. Eſt autem talium & tempus & locus. Præſens enim tempus copulatur ad præteritum & ad futurum. Rurſus locus continuorum eſt. Locum enim quendam partes corporis obtinent, quæ ad communem terminum copulantur. Ergo & loci partes quæ obtinent ſingulas corporis partes ad eundem communem terminum copulantur, ad quem & corporis partes. Quapropter continuus erit & locus: ad unum enim communem terminum eius partes copulantur.*

Q uanti} Cuius nam rei gratia præpoſita ſit prædicamẽtis omnibus ſubſtantia iam ſupra enarrauimus, ſedem autem ſecundam obtinet in prædicamentis quantum pluri-

A bus de cauſis. Ac primum quidem, quòd quanti in ſermone de ſubſtantia meminit, cum dixit nõ eſſe proprium ſubſtantiæ, nihil eſſe ei contrarium, ſiquidem eſt & quanti, ne igitur diu nos quãti naturæ ignaros relinqueret, protinus de hoc poſt ſubſtantiam uerba facit conſulto. Deinde uerò, quoniam quantum ſecundum ſibi locum in rerum natura uendicat. Prima enim materia, ut ſæpe proditum eſt, cum incorporea, informis, infigurataq; ſit, prius in molem elata quantitatem conſequitur, ac tres dimenſiones capit, fitq; triplici prædictum diſtantia, quod ſecundum ſubiectũ Ariſtoteles nominat: tum ſic qualitates ſuſcipit, & fit compoſitum, fitq; elementa: uerbi gratia quod trino conſtat ſpacio, caliditate frigiditateq; accepta fit ignis: frigiditate autem & humiditate, fit aqua, ſimiliter & reliqua. Secundũ igitur locum in iis quæ ſunt, iure obtinet quantum. Quale uero in iis quæ ſunt, tertium poſſidet. Quartum quæ ad aliquid pertinent, ſiquidem reſpectus quidam utriuſque

B prædicamenti ſunt, quæ ad aliquid referuntur. Et quoniã cæteris ſublatis, mente concipere potes naturale corpus: ſi deſit dimenſio, ne corpus quidem complecti animo ualeas. Locus autem & tempus & reliqua compilata inde ſunt. Tertia cauſa eſt, quoniam ſubſtantia in primam ac ſecundam diuiditur, primum autem & ſecundum numeri eſt numerus uerò quanti, meritò locus quanto poſt ſubſtantiã deſtinatus eſt. Et aliter. Ipſum quærere prius, quanti eſt. Rurſus numero utitur definitio corporis, cum inquit quod triplici conſtat dimenſione, corpus autem ſubſtantia eſt, numerus, quanti. Itaque ſermonem de quanto iure facit Ariſtoteles omnibus de cauſis ſecundum. Diuidit uerò quantum in continuum atque diſcretum. Eſt porrò continuum quantum, quod unitas habet partes, atque inter ſe cohærentes: diſcretum, quod econtrario ſe habet, quod partes inquam a ſe inuicem obtinet disiunctas. Quanti continui quinque ſpecies enumerat, lineam, ſuperficiem, corpus, locum, tempus: diſcreti duas, numerum, orationemq;. Cæterum gratia eorum qui geometriæ initiati non ſunt, de his

C opus eſt pauca dicere. Sciẽdum igitur, id a geometris corpus uocari, quod tres obtinet dimenſiones, longitudinem, latitudinem, profunditatem, corpus autem aut finitum eſſe, aut infinitum. Sed non eſſe infinitum demonſtratum Philoſopho eſt in naturali auſcultatione, ergo neceſſe eſt finitum ſit corpus omne, ſi infinitum eſſe nullum poſſe oſtenſum eſt. Quod autem terminatum eſt, id a termino clauditur: aliud ergo terminus eſt ab eo quod terminatur, quãdoquidem terminos ambo, aut ambo terminata appellare erat neceſſe. Nam ſi hoc terminus eſt, illud quod terminatur, idem uero ei quod terminatur eſt terminus, nec ab eo diuerſus, neceſſe eſt quod diximus ſequatur. Vt enim Socrates eiuſq; imago, diuerſa, non eadem ſunt (nam ſi eſſent eadem, aut ambo Socratis imago eſſent, aut ambo Socrates) ita in termino & eo quod terminatur ſeſe res habet. Hæc igitur non eſſe eadem eſt neceſſe, quandoquidẽ eſſe diuerſa confeſſum eſt. Corpus ergo ſi tribus præditũ ſit dimenſionibus, huius terminus tres non habebit. Aut igitur duas, aut unam habuerit, ſed unam obtinere non po-

D teſt (non enim corpus ipſum in uniuerſum terminabit, etenimuero terminus totum id quod terminat extrinſecus enectatur oportet) opus igitur eſt ut corporis terminus totum ipſum extrinſecus ambiat, nec profunditatem tangat. Id ſi ſit, longitudinem ſolum latitudinemq; habebit corporis terminus, quocirca dimenſione una a corpore ſuperabitur, ne idem ſit cum corpore terminus: qui eſt ſuperficies corpus limitans, ac ſecundum lõgitudinem latitudinemq; circunſcribens. Quoniam uerò ne hæc quidem extremo uacat, neceſſe eſt huius quoque terminum iuxta ſermonẽ de corpore habitum una dimẽſione ab ipſa ſuperari. Hæc igitur cum penes longitudinem ac latitudinem conſideretur, ille unum tantum quod eſt in longitudinem ſpacium habebit. Is autem linea eſt, longitudo latitudinis expers, uti eius quoque habet definitio. At quoniam terminata quoque linea eſt, neceſſe eſt huius etiam terminus eadem ratione una dimenſione ſit ea inferior. Hæc ergo cum in

ſola ſpectetur longitudine, huius terminus dimenſione omnino uacat, quod eſt punctum. Idcirco & ipſum finiés geometra, punctum inquit eſt cuius pars nulla eſt. Quòd autem noſtræ commentum non ſit cogitationis, eſſe longitudinem quæ latitudine careat, ſed id in rerum quoque natura inueniatur, perſpicuè oſtendunt locorum diſtinctiones illuſtrium ab opacis. Vbi enim ſol uerbi gratia parieti incubuerit, eiusq; partem illuſtrauerit, neceſſe eſt quod locum illuſtratum ab obumbrato diſterminat, longitudo tantum ſit, quæ in latitudinem non porrigatur. Nam ſi habeat latitudinem, id omnino aut lumine affuſum eſt aut umbra contectum (non enim quicquam inter hæc medium eſt) ſed ſi lumine præditum, illuſtrato: ſi umbroſum, obumbrato applicabitur. At uerò linea palam inter hæc media cernitur: quæ in longitudinem ſolum extenſa obſcuratum a luminoſo diſcriminat. Nam ſi diſcreta hęc a ſe mutuò ſunt neceſſe eſt præter hæc ſit aliquid, quod ipſa diſiungat, nec radiis illuminatum ſit, nec umbra opacatum. Neque hoc latitudinem habebit. Habet enim id latitudinem, quod neceſſe eſt lumine ſit aut umbra affectum, at horum neutrum eſt, cum utriuſque diremptio ſit. Quare neceſſe planè eſt illuſtrati atque adumbrati loci limitem longitudinem latitudine carentem eſſe duntaxat, id quod eſt linea. Quin communis quoque uſus, lineæ naturaliter notitiam obtinet, cum uias metimur. Longitudinem enim ſine latitudine ſolam accipimus. Rurſus uero ipſius ſuperficiei notio habetur, cum menſura definimus agros: nam eorum longitudinem ſolum latitudinemq; æſtimamus. At uerò puteis & parietibus & lignis metiendis, corporis intelligentiam cõcipimus, longitudinem & latitudinem & profunditatem nimirum aſſumentes. Rurſum itaque ſi infinita linea non eſt, ſed terminis concluſa, ipſius quoque omnino finis neceſſe eſt ab ea uincatur una dimenſione. Linea igitur quoniam unam tantum dimenſionem habet, huius terminus nulla conſtat dimenſione, quod eſt punctum. Quamobrẽ & id ita definiunt, cuius pars nulla eſt. Ac ſic quidem per reſolutionem hæc inter ſe ordine poſita eſſe, oſtendimus: & uerò per compoſitionem idem hoc rurſus demonſtrabimus. Punctum ſi in fluxu ponatur, lineam facit. Principium enim lineæ eſt, ut ipſum nunc temporis, & momentum motionis. Quapropter rectè affirmat Ariſtoteles, proportione hæc ſibi inuicem reſpondere, punctum, & ipſum nunc, & momentum. Quam enim punctum ad lineam, utpote lineæ principium abſque dimenſione, habet rationẽ, eandem & ipſum nunc ad tempus obtinet, & momentum ad motum, cum principia ſint conſequentium, ac ſpatio careant. Linea uerò in latitudinem mota ſuperficiem parit, hæc autem ſi in profundum agatur, corpus efficit. Atque hæc ut cognoſcamus nos quid linea ſit, & ſuperficies, & corpus. Quòd autem ſint hæc continua, nemo ambigit: cohærent enim ipſis partes, ſuntq; unà inuicem iunctæ. At locus & tempus non ex ſe habent continuum. Quocirca & Ariſtoteles tribus prioribus enumeratis linea, ſuperficie, corpore, uelut ab alio principio ſubiunxit: {Adhuc autem præter hæc locus & tempus.} Quaſi illa ex ſe continuitatem habeant, hæc non ex ſeſe, ſed aliis de cauſis. Eſt enim nihil aliud tempus quam motus menſura, qui in cæleſti ſit globo. Diem nanque eſſe dicimus, ſolis reditum ab ortu ad ortum rurſus: & menſem ubi luna iterum ad idem punctum unde moueri cœpit redierit: aut potius cum a ſole diſcedens rurſus ad idem cum ipſo punctum ſecundum longitudinem coiuerit. Similiter & annum, circuitum ſolis in Zodiaco. Tempus ergo menſura eſt motionis: ſit autẽ motio in magnitudine. Ariſtoteles enim motum nullum per uacuum fieri poſſe demonſtrat. Nam ſi quis motum, inquit, per uacuum fieri uelit, is rationem quam aſſignet, non habet, cur celerius globoſa corpora iis quæ ſolii ſpeciem referunt tametſi pari conſtent mole, deorſum ferantur: aliaſq; præterea demonſtrationes affert. Quare cum tria hæc ordine ſint diſpoſita magnitudo, motus, tempus, ut ſeſe habet magnitudo, ſic motus quoque, ac quemadmodum motus, itidem habet & tempus. Nam ſi continua

A ſit magnitudo, cõtinuus erit & qui in ea ſit motus: quod ſi motus continuus ſit, erit & tempus continuum. Simili modo & ſi diſcreta magnitudo ſit, diſcreta erunt, & motus & tempus. Si in ligno uerbi gratia fiat motus, huius uero ligni partes diſcretæ, fiet diſcretè & motus, at ſi continuæ hæ ſunt, eſt & motus continuus. Itaque ſi continuus ſit cæleſtis globus, eſt & qui ab eo ſit motus continuus. Continuum uero & tempus, eſt enim nihil aliud tempus, quam menſura quæ in eo ſit motionis. Non igitur continuitatem ex ſeſe habet tempus, ſed propter motum, motus uerò propter corpus in quo ſit motus, quocirca tempus quoque continuitatem obtinet corporis beneficio. Verum ne locus quidem ex ſe continuũ habet, eſt enim locus, uti iam diximus, terminus ambientis quatenus rem quæ ambitur, complectitur, ut dolium locus eſt uini, non ipſum totum, ſed eius caua ſuperficies duntaxat, ergo ut quod continetur ſe habet, ſic habebit & locus. Cum igitur continuum corpus
B omne atque in loco neceſſario ſit, erit & locus continuus. Quare locus quoque corporis ope quod in ipſo eſt continuitatem habet, eſt enim locus, ut modo diximus, terminus ambientis. Nam quatenus quidem terminus eſt ambientis, ſuperficies non locus dicitur, continuusq; eſt, quatenus uero ambit, locus, habetq;, qua ratione locus eſt, cõtinuitatem ex eo ipſo, quod continetur. Quòd autem continuus ſit omnis locus, uel hinc conſtare poteſt. Si enim dolium ceſcideris, nihilq; extra uinum, neque aerem, neq; aliquod corpus aliud ſuppoſueris, inuenietur uini illius pars quæ per ſciſſuram apparet in loco non eſſe, quod eſt abſurdum. Nam corpus omne loco contineri eſt neceſſe. Quinque igitur hæ ſunt ſpecies quanti. Quam ob cauſam uerò ſpeciebus quanti non connumerat motum? Dicimus propterea quod motus infinita res quædam eſt: eſt enim uia ab eo quod eſt poteſtate, ad id quod eſt actu. Ob id igitur huius non meminit. Et item tanquam ad eos qui introducuntur uerba faciens: præceptionem enim maiorem requirit ſermo de motu. Vel magis motum ne propriè quidem
C quantum eſſe eſt dicendum, eſt enim actus quidam eius quod mouetur. Nam quonam pacto alterationem, uel incremẽtum, uel decrementum dixerim quantum? Vt ergo nec generatio quantum eſt, ita ne motus quidem ullus. Nam nec motus localis ipſe quantum eſt, ſed actus quidam, propter ſubiectum uerò in quo ſit & non per ſe continuitatem habet. Quamobrem mutationes in uniuerſum, id quod ſupra quoque aſſerebam, uias in prædicamenta, non prædicamenta eſſe dicendum eſt, aut alia ad aliud prædicamentum referenda, ut loco illo prodidimus. At tempus cum numerus menſuraq; exiſtat motionis, propriè eſt quantũ: nam quanti ſunt numerus & menſura: eſt ergo tempus quantum, ſi continuum quoque id eſt corpus quantum eſt. Cæterum quæritur quanam ratione corpus inter ſpecies quanti, cum corpus ſubſtantia ſit, connumerauerit. Dico itaq; eſſe & quantum & quale ut antea quoque indicauimus ſubſtantiale, ut calidum in igne quale ſubſtantiale eſt: & in corpore tripliciter dimenſum, ſubſtantiale quantum. Quem
D igitur admodum ſiquis calidum in igne, non ut ignẽ, ſed ut qualitatem ſimpliciter contempletur, id ad qualitatem referet, ita corpus quoque quatenus longitudinem & latitudinem & profunditatem ſimpliciter habet ſpectantes, ut ſpeciem quanti, nec ut ſubſtantiam conſiderauimus. Diſcreti uerò ſpecies ſunt, ut traditum eſt, oratio & numerus. Eſt enim oratio, & quantum, & diſcretum quantum. Quantum quidem, quoniam ſyllaba breui & longa eam inquit metimur, diſcretum uerò, quoniam ſyllaba quæuis propriam circunſcriptionem habet, poſſumusq; ſyllaba una prolata ſupprimere alteram. Porrò & numerus diſcretorum eſt, nam & huius quælibet unitas circunſcriptionem propriam obtinet. Hoc igitur pacto diuiſione uſus ac ſubdiuiſione, rurſus modo quodam alio ſubdiuidit quãtum: quantum inquiens tum ex habentibus inter ſe partiũ quæ inſunt ipſis poſitionem, tum ex non habentibus conſtare. Ex habentibus partium ſuarum inter ſe poſitionem, dicuntur illa, quæ alicubi poſita ac demonſtrabilia ſunt, parteſq;
habent

Quæſtio.

Hoc conſide[illegible]

habent totas ſimul cõſiſtentes,ut lapis.Etenim ſitus eſt uec
bi gratia in pariete,& demõſtrari poteſt (ſub ſenſum enim
cadit)ſimul q. partes eius omnes conſiſtunt.Ex ſitum itaq;
habentibus ſunt corpus,& ſup̃ficies,& linea, & locus : de-
monſtrabilia nanq; hæc ſunt omnia,& ſita alicubi,habẽtq;
partes omnes quæ ſimul conſtent.At uerò tempus & ora
tio neq; demonſtrari queunt,cum ſenſui non ſuccumbant:
neq; ſimul conſtitutas habent partes,neque.n. tẽpus ſimul
totũ exiſtit,ſed in ipſo nunc ſolo,ipſum enim eſſe in eo ob
tinet q̃ fiat corrumpaturq; protinus. Verum ne oratio qui
dem ſimul tota ſubſiſtit,nam p̃nunciata ſyllaba quæ ſequi
tur dicenda nequaquam expectat,ſed prius interit prima,
q̃ ſecunda prodierit.Q uomodo igitur quod non perma
net,poſitionem quampiam habeat Atqui ordinem potius
naturalem quendam habere hæc dixeris : eſt enim ipſum
Nunc futuro,non autem futurum ipſo nunc prius: eſtq; id
naturalis ordo,cum non reflectitur. Ordo autem ad nos re
latus,eſt cum nullo diſcrimine reciprocat:uelut cum a dex
B tris inchoantes,primum dixerimus dextrum:rurſus ſi inci
pere a ſiniſtris uelimus,ſiniſtrũ primũ aſſeruerimus. Et ue-
rò oratio quoque ordinẽ obtinet naturalẽ,nam qui ora-
tio dicit , primam ſyllabam hanc habet,illam ſecundam.
Quin ordo & in numero eſt,q̃ duo priora uno, numeren
tur. Verum quoniam eſt duplex numerus , alter in animo
numerans,alter in numerabilibus: quemadmodum & Sex
tarius duplex,tum quo metimur,tũ quẽ metimur : animo
inſitũ numerum non poſſe ex iis eſſe quæ poſitum partiũ
habeant p̃ſpectũ eſt. Non.n.ſitũ quempiã habent eius par
tes,cum ſit intelligibilis.Qui aũt in numerabilibus eſt rebus
ut in decem equis is ex poſitum habentibus conſiſtit: nam
iacent alicubi eius partes,ac quendam inter ſe obtinent ſi-
tum.ob id itaque dixit:{Poſitionẽ aũt haud planè accepe-
ris.}Nec dixit nequaquã: haud ignarus numerũ alterũ ex
poſitionẽ habẽtibus conſtare,alterũ ex non habẽtibus.Sed
.n.uel in ipſis autoris uerbis p̃ſcrutari ea q̃ diximus operæ-
28 precium eſt {Partium .n. numeri cõmunis nullus eſt termi
C nus ad quem eius copulentur partes.}Q uòd numerus q̃-
tum ſit,ne p̃batione dignum quidẽ arbitratur. Q ui enim
numerum non uult quantum eſſe, nec aliud quicquã cen-
ſuerit. Q uòd autẽ diſcretum ſit quãtum,nimirũ hoc p̃bat.
Non.n inquit terminum habet ad quẽ partes eius copulẽ
tur cõmunẽ. Nam ſi denarium numerũ in duos quinarios
diuiſerimus,diſcretum utrunque,circunſcriptionẽq; habe
re propriam comperiemus. Neque.n.unitas aliqua eſt, q̃
partibus utriſq; coniuncta ſit ſuaq; opera continuitatẽ iis
largiatur.Similiter & in ſeptenario numero. Nam quarta
unitas,trinitatũ neutrã neque ad ſeipſam,neque eas inter ſe
connectit:ſed ipſa quoque in circunſcriptione p̃pria con
ſideratur.Quare diſcretũ quantũ eſt numerus. Sed oratio
quoque inq̃t diſcretũ eſt quantũ,eadẽ de cauſa. Nã neque
orationis partes,ſyllabas inquã,per communẽ terminum
quempiam continuari cernas,ſed circunſcripta q̃libet eſt.
Orationẽ aũt dicit,q̃ cum uoce fit: quandoq̃dem oratio al
tera pronunciatiua eſt,altera interius inſita, q̃ in animo ſpe
ctatur,ob id de p̃nunciatiua ſe oratione loqui admonet:
D nã interior ne quantũ quidem eſt omnino. Verum ſi quid
piam eſt,animi qualitas p̃culdubio eſt,ſi habitus diſpoſitio
eſt animi,diſpoſitio aũt & habitus qualitates,uti intellige-
mus. Numerum aũt orationi antepoſuit, quoniam per eũ
orationẽ metimur.{Linea uero continua eſt.Eſt.n. cõmu-
nem terminum ſumere ad quẽ eius continuantur partes,
punctum, & ſuperficiei lineã.}Linea iure continua eſt . Eſt
.n.linea lõgitudo latitudine carens: nã pars eius q̃libet ad
aliã atque aliã copulatur,q̃ punctũ terminũ obtinent cõmu
nẽ. Punctũ aũt partibus uacat & dimenſione,merito igitur
& eius partes continuæ ac citra dimenſionẽ unitæ ſunt: di
uiditur.n.in puncto linea,in quo & eius copulãtur partes.
Cæterum punctũ ſeu cõmunẽ terminũ poteſtate nec actu
oportet cepiſſe,nã ſi actu acceperis non erit linea tota con
tinua.Et uerò ſuperficiei partes communi termino , id eſt
linea copulantur.Q uocirca continua eſt & ſuperficies , p
lineam enim diuiditur.Quòd ſi linea longitudo eſt expers

A latitudinis,cum ſuperficies per longitudinem ſecetur,par-
tes latitudinis interſtitio carebunt:quandoquidẽ nec linea
ſpaciũ habet ſecundum latitudinem.Porro & hoc loco li
nea poteſtate & non actu rapienda eſt {Partes enim plani
ad terminum quendã copulantur cõmunẽ.}Antiquiores
enim ſuperficiẽ abſolutè omnem,planum, alterum pro al
tero ſumentes,appellant,ſiquidem nullo diſcrimine ſuper
ficiem uel planum nominant.Iuniores uerò non omnem
ſuperficiem planum uocant,ſed extemam duntaxat, norũt
quippe ſuperficiem genus eſſe,eamq; in planam,& teretẽ,
& globoſam,ac ſi alia ſit quæpiam diuidi.{Eadem uero ra
tione & in corpore communẽ terminum lineã uel ſuperfi
ciem ſumere aſſignareq; potes,ad quã ſe corporis partes
coniungant.}Copulantur enim ad ſuperficiem terminum
communem corporis partes,ob eam uerò & ad lineã. Nã
cum ſuperficies ſecundum profundum diuidat corpora,
ipſa uerò profunditatis dimenſione omnino careat,neceſ-
B ſario quoque partes corporis per ſuperficiem ad ſe inui-
cem citra dimenſionem copulantur. Rurſus aũt & hoc lo-
co diuiſionem etiam ad ſuperficiem poteſtate accipimus,
{Ob ſuperficiem uero corporis partes uel ad lineam copu
lantur.}Q uoniam enim,uti diximus,adepta fluxum linea
ſuperficiem facit,is a linea incipiat oportet,qui corpus ſe-
cundum ſuperficiem diuidis,eamq; uelut attrahendo,ſup-
ficiem conſtituat,atque ea ſubiectũ diuidat. Quamobrem
quoniã corpus ipſa per ſe totam ſuperficies ſecat, neceſſe
quoque eſt ut ſuo termino,linea inquam, corporis extre-
ma coniungat.{Eſt porrò tempus & locus huiuſ. Nam tẽ
pus nunc,ad præteritum ac futurum copulatur. Rurſus lo
cus continuorum eſt: Occupant enim locum quædam cor
poris partes,quæ ad communẽ terminũ quendã connec-
tuntur.}Si.n.corpus coniunctas continuasq; habere par-
tes demonſtratum eſt(nãque ſecundũ ſe totum in loco eſt
omne corpus)locus ergo qui corpus ambit, cõtinuus eſt,
ſiquidem pars nulla corporis quin in loco ſit,effugit. Igi-
tur ob corporis continuitatem habet & locus continuum.

Amplius autem. Alia quidem conſtant ex partibus , quæ in 22
eis ſunt poſitionẽ habentibus ad ſeinuicem:alia aũt ex non habẽ
tibus poſitionem:ut lineæ quidem partes poſitionem habent ad ſe
inuicem:ſingulæ nanq; earum ſitæ ſunt alicubi, & habeas unde
ſumas,& aſsignes ubi ſingulæ ſitæ ſint in plano,et ad quam par
tẽ reliquarum copulentur. Similiter aũt & partes plani poſitio
nẽ habent aliquam:ſimiliter nanq; aſsignaretur unaquæq; ubi ia
cet,& quæ copulentur ad ſeinuicem.ſed & ſolidi partes ſimili
ter,& loci.In numero autem non poſſit quiſquã oſtendere quẽ
admodum partes eius poſitionem aliquam habeant ad ſeinuicẽ,
aut ubi iaceant,aut quæ partes ad ſeinuicem connectantur. Ne-
que eæ quæ temporis ſunt:nihil enim permanent partes tempo-
ris:quod aũt nõ eſt permanens,quomodo poſitionem aliquã ha
bebit?Sed magis ordinem quendã dices habere,eo quòd aliud qui
dem prius ſit temporis,aliud uero poſterius. Sed & in numero
D *ſimiliter,eo quòd prius numeratur unum q̃ duo , & duo q̃ tria:*
& ſic habebunt aliquem ordinem:poſitionem uerò non omnino
accipies. Sed & oratio ſimiliter. Nulla enim remanet par-
tium , ſed dictum eſt,& non eſt, hoc amplius aſſumere. Qua-
propter non erit ulla poſitio partium eius,ſiquidem non perma
nent.Igitur alia ex habentibus poſitionem partibus conſtant,
alia ex non habentibus poſitionem.

Amplius}Attendendum eſt coniungi in priore diuiſio-
ne tempus quantis continuis,lineæ,ſuperficiei,corpori, lo
co,hic uerò iis quæ non ex poſitionẽ habentibus partibus
conſtant,quandoquidẽ ex habentibus poſitionẽ conſiſten
tia tribus his figurantur,q̃ ſita uſquã ſint,ſuperius inferius,
q̃ digito demonſtrari queant,q̃ partes coniunctas hoc eſt
totas ſimul exiſtentes habeant,quorum ne unum quidem
tẽpori competit. Numerum aũt cum in prima diuiſione

diſcretis ennumeraſſet, hic poſitionẽ habentibus iunxiſſe A
quodammodo uidetur. Enimuero de quali, numero ſer
mo ei ſit ſuperius diximus. { Vbi ſita quęlibet in planitie ſit
& quibus reliquarũ partibus cohæreat. } Per hæc uerba, u
bi ſita q̃libet ſit, receptiuum dicit. Per ea uerò, & q̃bus reli
quarum partibus cohæreat, ſex poſitus aduerbia. Q ua ue
ro ratione quantũ non in id qđ prædixũ ordine ſit & non
ſit, ſed in poſitũ habens & non habens diuiſit: Q uonã or
do in quanto ſpectatur. Non.n.in poſitiuis ordo eſt dunta
xat, ſed in poſitu quoq; carentibus, nã & in numero uiſitur
ſiquidem unum prius duobus eſt: & in oratione, quando
quidem exordiũ narrationi præmittitur: & in tp̃e, primum
enim præteritum eſt, dein præſens, poſtremò futurum.

23 *Proprie autem quanta hæc dicuntur ſola quæ dicta ſunt: alia
uerò omnia ſecundum accidens. Ad hæc enim aſpicientes, & alia
dicimus quãta: ut multum dicitur album, eo quòd ſuperficies mul
ta ſit: & actio longa, eo quòd tempus multum ſit, & motus mul* B
*tus. Neq;.n.horum ſingulum per ſe quantum dicitur: ut ſi quis
aſſignet quanta actio eſt, tempore diffiniet annuam, uel ſic ali
quo modo aſſignans: & album quantum quid ſit aſſignans, ſuper
ficie definiet. Quanta enim fuerit ſuperficies, tantum album eſſe
dicet. Quare ſola proprie ſecundum ſeipſa dicuntur quanta quæ
dicta ſunt. Aliorum uero nihil per ſe: ſed ſi fortè, per accidens.*

Proprie} Scientis munus eſt non ſubiectas modo eius
ſcientiæ res contemplari, uerum eas etiam q̃ eſſe uidentur,
nec re uera ſunt, perſequi atque refellere. Id quoq; Ariſto
teles facit. Nã cũ ſpecies quanti ſeptẽ, nempe continui quin
que, duas aũt diſcreti enumeraſſet, non hic conſtitit, ſed nũ
ſub quantum redigi & alia quæpiã poſſint, diſquirit. Quã
doquidẽ igitur album, & multum & paucum uidetur, quã
ti aũt ſunt multum & paucum: ſed actionem quoq; longã
& breuem uocamus, hæc inquit non propriè quanta, uerũ
per accidens appellamus: eo enim quanta & ipſa nuncu
pantur ꝙ in quantis exiſtant. Nã quoniã in ſuperficie albũ
eſt, ſi multa uel pauca illa ſit, album quoque multum pau C
cum'ue eſſe ob participationẽ huius affirmamus. Similiter
& actio ut longa ſit aut breuis per accidens habet. Cum.n.
exempli cauſa Troianum bellum in quodam tp̃e ſit puta,
decennio confectum, tempus autem lõgum nominemus
idcirco & actionem quæ in longo tp̃e obitur, longam eſ
ſe per accidens dicimus. Q uamobrem quanta propriè ea
ſunt quæ recenſuimus: alia uero illorum gratia quanta ꝑ
accidens appellantur. { Et motus multus } Multus dicitur
motus eſſe, ꝙ tempus in quo ſit, multum exiſtat. Tempus
enim menſura eſt motionis, nam menſem uocamus, lunæ
reditum ad priorem ſtatum: annum uerò, ſolis circuitũ an
nuo tp̃e confectum. Quippe ſiquis quanta ſit actio quæpiã
rogatus fuerit, tempus reſpondet, ut decem annorũ. { Quã
ta enim cunq; ſuperficies fuerit, tantum quoq; album eſſe
affirmabis. } Nã ſi quantum ſit album interrogamur, dici
mus bicubitum fortè uel tricubitum, quanta nimirum &
ſuperficies eſt q̃ album continet. Q uare non ipſum album
multum uel paucum, ſed ſuperficiem appellamus. Cæterũ
poteſt & in cubitali ſuperficie album, eo magis qđ in bicu D
bitali eſt album eſſe: uerum tunc album non albo plus, ſed
album albo magis album nominamus.

24 *Amplius. Quanto nihil eſt contrarium. In definitis n. mani
feſtum eſt, quòd nihil eſt contrarium: ut bicubito uel tricubito,
uel ſuperficiei, uel alicui talium. Nihil n illis eſt contrarium. Ni
ſi quis forte dicat multum pauco eſſe contrarium, uel magnum
paruo. Horum autem nihil eſt quantum: ſed magis eorum quæ
ſunt ad aliquid. Nihil n.ipſum per ſeipſum magnum uel paruũ
dicitur: ſed eo quod ad alterum refertur. Vt mons quidem par
uus dicitur, milium uerò magnum: eo quòd hoc iis quæ ſunt ſui
generis maius ſit, illud uerò iis quæ ſui ſunt generis minus. Er
go ad alterum eſt eorum relatio. Nam ſi per ſeipſum magnum
uel paruum diceretur, nunquam mons quidem aliquando par*

A *uus, milium uerò magnum diceretur. Rurſus in uico quidẽ plu
res homines eſſe dicemus, Athenis uero paucos: cum ſint illi mul
tò plures: & in domo quidem multos: in theatro uero paucos,
cum ſint plures.*

Item quanto nihil eſt contrarium} Cum quanti diuiſio
ne nobis tradita, qualia propriè quanta ſint, & qualia per
accidens dixerit, nunc uult, perinde atq; in ſubſtantia fecit,
proprium quanti aſſignare. Nam finitionem eius promet
re minimè licuit, ob eam quam ſupra cauſam attulimus, nẽ
pe ꝙ generaliſſimorum generum finitio dari non poſſit:
Siquidem de decem prædicamentis ens, ut in inſtitutioni
bus proditum eſt, non ut genus prædicatur. Nã ſi de quan
to hoc quopiã ut bicubito ſermo ei haberetur, fieri pote
rat, ut genere aſſumpto quod eſt ſimpliciter quantum, eius
naturam finitione exhiberet. Nunc uerò de ſimpliciter quã
to ſermonem inſtituit, cuius genus inuenire generaliſſimũ
B non eſt, quo finitionem eius in medium afferret. Verum
quemadmodum in ſubſtantia ea prius quæ ipſius propria
eſſe uiderentur, expoſuit, dein confutatis iis, omne eius ue
rè proprium tradidit, hic quoq; haud ſecus exploſis prius
iis quæ propria quanti eſſe uidebantur, poſtea germanum
ipſius proprium edocet. Atq; in primis quidem, inquit ni
hil contrarium habere, quanti eſſe proprium uideri, nã fi
nito quanto quid'uam eſſe inquit contrarium, ut bicubito,
uel tricubito, uel ſuperficiei, uel eiuſmodi cuiquam poteſt
{ Nihil.n.eorum contrarium eſt. Niſi quis forte multũ pau
co, uel magnum paruo contrarium eſſe affirmauerit. } Hic
propriè an magnum & paruũ contraria, uel quanta omni
no ſint, ſcrutatur. Nam cum in diſputatione de ſubſtantia
hæc ſola commemoraſſet, contrarietate eorum conceſſa
præterit: nunc uerò non eſſe hæc quanta, ſed ad aliquid
demonſtrat: idq; duplici curſum uia, tum per inſtantiã, nem
pe ꝙ non ſint quanta, tum per fiduciariam reprobationẽ,
nimirum ꝙ tametſi quanta eſſe fuerit conceſſum, non ſint
tamen contraria. Ac primum quidem per inſtantiam ſic in
C quiens, horum aũt nullũ eſt quantum, ſed ad aliquid ma
gis: nihil.n.ipſum per ſe magnum dicitur aut paruũ, ſed ad
alterum refertur. Proprium nanque ad aliq̃d ſe habentiũ
eſt, uno poſito ſimul inferri alterum, & tolli ſublato. Nam
poſito patre, ſecum omninò & filius infertur, atq; eo ſubla
to perimitur. Eo modo nec multũ quidquã ipſum ꝑ ſe di
citur multum, ſed ſi ad paucum referatur: nec ſecus quoq;
paucũ ad multum. Et uerò in paruo & magno ſimilis ra
tio eſt, habet enim relationem utrunq; ad alterum, neq; ho
rum ipſum per ſe ullum finitam quampiam obtinet natu
rã Idq; apertum hinc eſt, nam mõs inquit paruus, magnũ
aũt milii granum uocatur. At qui ſi horum per ſe quodli
bet paruum diceretur, neq; ad alterum collatione ad illud
referretur, utiq; non montẽ paruum, granum autem milii
magnum nonunaremus: ridiculum enim hoc eſſet. Nunc
uero paruum quidem montem, alio uidelicet minorẽ mõ
te appellamus, magnum autem milii granum, nempe alio
maius. Sic & paucos homines Athenis eſſe, ipſas ſibi alii'ue
urbi conferentes, in uico uero complures, quanquam hic
D q̃ Athenis pauciores, comparationẽ nimirum ad uicum a
lium facientes. Q ua de re aut continuũ quanti & ad aliq̃d
relati idemq; eſſe prædicamentum dicamus, aut ſi diſtincta
prædicamenta ſunt, hæc non ad quantum, ſed ad id magis
quod eſt ad aliquid referenda.

Amplius Bicubitum quidẽ & tricubitum & unũquodq; ta 25
*lium quantum ſignificat: magnũ uero uel paruum non ſignificat
quantum, ſed magis ad aliquid: quoniam ad alterum conſideratur
& magnum & paruum. Quare manifeſtum eſt, quòd ipſa ſunt
eorum quæ ad aliquid.*

Amplius. Bicubitũ} Propriè.n.q̃tũ, inq̃t, & circa q̃tũ ſit ſi
dicat: uerbi cauſa hæc linea & ſuapte natura q̃tũ eſt & circa
quantũ ſit denotat, tricubitalis enim ut ſic dicerim bicubi
talisve eſt. Quare quæ propriè quanta ſunt, circa quantum
quoque uerſentur, declarant. At magnum & paruum,
multumq; & paucum non certum quantum definitumq;

obei

obtinent,eſt enim horum quoduis infinitum , quaptoptre A
hæc quanta non ſunt. Quid ergo dixerit quiſquam, fortaſ
ſe infinitum quantum non eſt? Vbi continuum uel numerũ
uel lineam dico,aut hmōi quidpiam , quantum quoddam
pronuncio quidem,non tamen præterea & circa quantum
ſit definio,uelut cum tria dico,uel quinq; uel tricubitũ. Ne
que igitur in his infinitudinem eandem ſpectari aio , quæ
in paruo ac magno uiſitur,& multo ac pauco . Sunt enim
ifinitiora ſemper ſpeciebus ſuis genera. Cum enim animal
pronuncio,non finio ſubiectum ita ut cum hominem dico
aut equum. Veruntamen quoniam non æquiuoca ſimpli-
citer uox eſt animal,ſed inſita quædam communiter pluri
bus ſubſtantiis,licet quod ab hac uoce animal ſignificatur
definire,atque ſubſtantiam animatam ſenſu præditam eſſe
dicere,eſtq; certa quædam natura ea,quæ ab animali deno
tatur. Sic igitur & in propoſitis. Nomen enim continui eũ
generalius pateat,eſt Quanto quidem infinitius determi-
nato,nempe tricubito,quippe hoc indiuiduum iam eſt, ut
B illic Socrates quoq; indiuiduum . Similiter numeri quoq;
generalius ſignificatum eſt,q̃ trium & quinq; , quæ ſunt in-
diuidua. Sed eſt tamen & in his quiddam,ut quod declara-
tur,finitum. Continuum enim eſt quãtum, cuius partes ad
terminum quendam coeunt communem: diſcretum autẽ,
quod non ita habet. Et uero lineam nominans, magnitudi
nem dico ſpacio uno comprehenſam: ſuperficiem , duo-
bus: corpus autem,tribus. Ac finitum horum quodq; eſt,
perpetuo ſe eodem modo habens,nec ad reſpectum diuer
ſum,differentem,ut magnum & paruum,& multum & pau
cum naturam admittit. Nam ſiquis magnum dicat,puta ꝙ
aliud exuperet , atq; idcirco magnum montem uerbi gra-
tia Olympum aſſerat,ut Hymetto uaſtiorem,tamen eundẽ
hunc ſi terræ conferat ,paruum,quaſi minor q̃ ea ſit, appel
labit. Ergo quod eſſe magnum dicitur, quantum quodpiã
finitum non eſt: ut ſingula quæ diximus quanta,non quan-
ta duntaxat ſunt,ſed & circa quantum ſint definiunt: exem
pli gratia uel quod unam habet dimenſionem ,ut linea uel
duas,ut ſuperficies,uel quod in unione partium ſpectatur,
C ut continuum: uel in earundem diuiſione diremptioneq;,
ut diſcretum. Præterea. Iam magnum & paruum in quan-
tis uerſantur particularibus,ut in hac ſuperficie: ſimiliter et
in hac linea,atq; in hoc corpore: & multum ac paucum in
hoc numero. Quocirca in quãtis indiuiduis horum quod
uis uerſatur. Quanta uerò indiuidua,non quanta ſe modo
eſſe,uerum & circa quantum ſingula eorum uerſentur, de-
clarant,ut tria,& quinq;. Non ergo quãta ſunt magnum
& paruum. Quo factum eſt,ut uſus quoq; Ariſtoteles hu-
iuſmodi fuerit exemplis,utiq; cum dixit a bicubito atque
tricubito eiuſq; notæ ſingulis duntaxat id eſt ſubſiſtenti-
bus indiuiduis quantum indicari. Nam ſi quantum omni-
no eſt magnum & paruum ,indiuiduum prorſus dicendũ
eſt: ſi eſt (id quod dixi) ſimpliciter quidpiam magnum. Sed
magnum in ſubſiſtentia eſſe pronunciamus: eſt aũt & ma-
gnitudo indiuidua. Ergo ſi quantum eſt omne indiuiduũ,
finitum eſt: magnum autem & paruũ,& multum paucũq;
cum ſint indiuidua,infinita quædam exiſtunt: non igitur q̃-
ta ſunt magnum & paruum. Ac ita per inſtantiam quidem,
D ne quanta quidem ea eſſe concedit. Per fiduciariam aũt re
probationem,tametſi quanta eſſe ea conceſſerit, ipſa tamẽ
non eſſe contraria demonſtrat. Illinc uerò reprobationis
initium ſumit.

26 *Amplius. Siue aliquis ponat quanta eſſe hæc ſiue non po-
nat,nihil eſt illis contrarium. Quod enim non poteſt ſumi per
ſeipſum,ſed ad alterum refertur,quomodo huic aliquid erit con-
trarium.*

Amplius. Siue} Quod dicit,hmōi eſt: Contraria primum
ipſa per ſe ſunt ,abſolutamq; obtinent ſubſiſtentiam : tum
ſic inter ſe bellum ſuſcipiunt: ut album & nigrum,cum alia
prius quædã ſint,(ſunt enim qualitates) ita aduerſus ſe mu
tuò prælium inierunt. Eo ſiquidẽ ad aliud relata a contra-
riis differunt,ꝙ primum ipſa per ſe contraria ſunt.(licet.n.
A qui album dixerit,nigrum non accepiſſe,& ne omnino q-
dem nigrum,etiam ſi album ſit,eſſe: contra nigrum eſſe,ne
quaquam albo exiſtente) deinde inter ſe pugnant. At quæ
ſunt ad aliquid ſimul ſe mutuo pariunt, ſimulq; intereũt.
Nam patre nominato,filiũ quoq; ſimul comprehendi , &
hoc rurſus perempto,ſimul & filius deperit. Quandoqui-
dem igitur magnum paruumq;,& multum ac paucum per
ſe minime ipſa ſunt,neq; horum per ſe ipſum abſque habi
tudine ad alterum,ſubſiſtere aliquod ualet, non contraria,
ſed ad aliquid eſſe conſpicuum eſt. Contraria enim eſſe ea
dicebamus,quæ prius ipſa per ſe ſubſiſtentiam habẽt pro
priam,dein ſic inter ſe pugnam commiſcent.

Amplius aũt. Si ſunt magnum & paruum contraria, contin 27
*get idem ſimul contraria ſuſcipere: & ea ipſa ſibimet eſſe con-
traria,contingit enim ſimul idẽ paruũ eſſe & magnum: eſt n.
ad hoc quidem paruum,ad aliud uero idipſum magnum. Quare
B idem et paruum & magnum eodem tempore eſſe contingit: qua
re ſimul contraria ſuſcipere. Sed nihil eſt quod uideatur ſimul cõ
traria ſuſcipere poſſe: ut in ſubſtantia quidem ſuſceptibilis enim
contrariorũ eſſe uidetur: ſed nullus ſimul ſanus eſt & æger: ne
que albũ & nigrũ eſt ſimul: nihilq; aliud ſimul contraria ſuſci
piet. Et eadẽ ſibiipſis contingit eſſe contraria. Nã ſi eſt magnum
paruo contrariũ: ipſum aũt idẽ ſimul eſt magnũ & paruũ, ip-
ſum ſibi erit contrariũ. ſed impoſſibile eſt aliquid ſibiipſi eſſe cõ
trarium. Non eſt igitur magnum paruo contrarium: neq; multũ
pauco. Quare uel ſi nõ eorum quæ ad aliquid hæc quis dicat, ſed
quanti nihil contrarium habebunt.*

Amplius autem.} Ex his contraria planè non eſſe ea per
deductionem ad impoſſibile demonſtrat. Ait enim: Si con
trariũ paruo magnũ eſt eodem tpe contraria eidem ineſſe
continget,nã erit idem & magnũ & paruum , & multũ &
paucum,uerbi cauſa milii granum ſi ad fabã conferas, par
uũ,ſi ad ſinapi,magnũ appellatur. Et q̃ Athenis homines
C ſunt,ſi iis q in pago habitant compares,multos dices ſi iis
q totã Græciam incolunt,paucos nominabis,itaq; hæc, id
quod fieri nequit,tpe eodẽ contraria aſciſcent. Enimuero
ſubſtantia contrariorũ quidem eſſe capax aſſerebatur, nõ
tpe eodẽ tñ contraria accipere,erit.n.idem nunquam eodẽ
tpe calidum & frigidum,album & nigrũ. Non ſolum aũt
admitti ab his contraria inquit,ſed ipſa quoq; ſibiipſis fo-
re contraria,ſiquidem dicitur idem paruum & magnum,
& multum & paucum,quod certe abſurdum eſt , quippe
ens nullum ipſum ſecum pugnat. {Non eſt igitur magnũ
paruo contrarium,nec multum pauco.} Antea contraria
ipſa ſuppoſuit,& quanta non eſſe oſtendit,dein ſubiecit q̃-
ta eſſe,atq; contraria non eſſe monſtrauit, re uera aũt,neq;
quanta ſunt,neq; contraria,ſed ad aliquid. Quòd itaq; q̃-
ta non ſint,per inſtantiam aſſeruit,ꝙ uerò neque contraria,
per [illegible], id eſt fiduciariam reprobationẽ. Sunt ergo
uti diximus ad aliquid,ipſumq; eſſe habent in quantis. Pro
priè autem magnum & paruum de continuo dicuntur.
Nam corpus magnum & paruum appellamus,ſimiliter et
D longum & breue,eodem modo & ſuperficiem, ac ſpecies
continui reliquas magnas uel paruas,uel lõgas uel breues
propriè nominamus. At multum paucumq; de diſcreto,
nec ſitum habente,nempe de numero ac tempore,quę po
ſitu carent,multum nanq; tempus & paucum , ſimiliter &
numerum dicimus. Quamobrẽ ſermonis proprietatẽ ipſe
ſe ẽt in exemplis meditatus,magnum & paruum in mon-
te & milii grano,quæ continui quanti ſunt,accepit,corpus
enim eſt utrunque,multum uero & paucum in numero,in
hominibus inquã,tũ qui Athenis,tum qui in pago degũt,
quæ ſunt diſcreti,eſt enim numerus diſcretum quantum.
Cæterũ ſæpe quoq; abutendo paruum & magnum de di
ſcreto proferimus,multum uerò & paucum de continuo.
Paruam ſiquidem Demoſthenis eſſe orationem dicimus
aut magnam,ꝙ ad ſcopum unum ac continuum ſpectet.
Quare & de oratione hac magnũ,ob ſcopi continuitatem

A unitatemq́; proferre conſueuimus. Nimirum orationes nouem illas de publicis negocijs haudquaquam orationē longam uocaremus: non enim intentio harum una eſt ac continua. Neq; item Philippicas undecim, ſed eas dicimus multas. Quin & aquam, cum continua ſit, multam nominamus, fortè φ facilè diuidatur. Sæpe uero & multam dicimus uiam, tametſi continua eſt: nempe φ in multa ſtadia ſecetur: uel φ ambulãdo locus quidam pedibus diſtinguatur. Eſt uerò & hoc loco iure quæſtione dignum, quomodo multum & paucum quanta eſſe paulo ante affirmauerit, cum diceret propriè quanta hæc ſola nuncupari, q̃ proxime docuit. Sunt autē quinq; continui ſpecies, linea ſuperficies, corpus, locus, & tempus: & duæ diſcreti, oratio, & numerus. Alia uero, inquit, per accidēs omnia: quippe ad hæc reſpicientes, & alia quanta nominamus, ut multum uocatur album, φ ſit ſuperficies multa. Quo pacto igitur his prius dictis, quibus multum & paucum quanti eſſe planè pronunciauit, hic non eſſe quanti, ſed ad aliquid affirmat B ſi enim non quanta ea eſſe hic uerè oſtenſum eſt, ſuperius eadem eſſe quanta perperam dixit. Quid ergo ad hoc aiunt: nimirum (id quod nos ſæpe prodidimus) quæ ſunt ad aliquid, definitam re uera nequaquam habere naturam, ſed in prædicamentis alijs exiſtere: eſſeq́; multum & paucum, & magnum ac paruum, & duplum & dimidium, ſimiliaq́; ad aliquid quæ in quanto cōſiſtunt, non in quali: quēadmodum & albius, & dulcius, & grauius, ad aliquid quæ ſubſiſtentiam in quali obtinēt. Itaq; cum multum dicimus album, quoniam multum & paucum, quæ ad aliquid ſunt circa quantum, & non quale uerſantur, non propriè uidelicet, neque per ſe loquimur, uerum quia ſuperficies multa quædam eſt quanti. Non hoc igitur dixit ſuperius, multum ipſum per ſe quantum eſſe, ſed ad aliquid in quanto, neque id ſane in quanto ponere niſi per accidens licet, nempe, φ in quanto ſit, multum ac paucum admittente.

28 *Maximè aūt circa locū eſſe uidetur contrarietas quanti. Surſum.n. ei quod eſt. deorſum contrarium ponunt, locum qui in medio eſt deorſum dicentes: eo quòd plurima diſtantia ſit medij ad mundi terminos. Videntur autem & aliorum contrariorum ab his afferre diffinitionem. Quæ enim plurimū à ſemuicē diſtant eorū quæ ſunt ſub eodem genere, contraria eſſe diffiniunt.* C

Maxime autem} Poſtquam magnum & paruum neque quanta eſſe neque contraria demonſtrauit, ſiquis omninò inquit contemplari in quanto contrarietatem uelit, ſupra & infra concipiat. hæc enim tum a ſe mutuò plurimum diſtant, tum contrariorū quoque ob id finitionem ſuſcipiūt. Sic nanque definiuntur contraria, quæ plurimum ſunt in eodem genere a ſe inuicem diſtincta. Cęterum hoc ipſi nō placet. ſiquidem ſupra & infra in rerum natura re uera nō eſt, ſed circum & medium: quæ non contraria, ſed ad aliqd ſunt. Circum enim ipſum, circum medium eſt, ſupra uerò & infra ſpacio abeſſe per diametrum a ſe mutuò debent. At terra centri rationem obtinet uniuerſo collata, ad quā D grauia omnia deferuntur. Qua itaque ratione locum terræ, hoc eſt centrum uniuerſi, ignis loco, id eſt cauæ lunaris globi circunferentiæ contrarium aſſeremus? non enim aliter ab altero abeſt uniuerſi diametro: quare plurimum ſe moti non ſunt. Seiuncta enim ſunt ea plurimum quæ omni diſtant diametro, ergo neque hæc, neque ſupra & infra contraria ſunt, ſed uti dixi ad aliquid: circū nanque ipſum, circum medium eſt. Niſi quis infra eſſe terram ſimul omnem ſuppoſuerit, φ terra ſub pedibus atque infra quauis ſui parte ſit habitantibus, cælum autem ſupra. Quòd ſiquis ſecundum terræ ſuperficiem infra, ſphæram autem ſupra dicere uelit, idem ſupra infraq; eſſe inuenietur. Nam ſuperna terræ ſuperficies infra eſt cæli comparatione: ſi infernæ ſuiipſius ſuperficiei conferatur, ſupra. Quin & hemiſphærium utrūque ſupra infraq́; erit, cum ſeſe pro motu diuerſo aliter atque aliter habeat. Sed nihil eſt qđ ſimul ſ ſeipſo contraria eadē ratione obtineat. Qua de cauſa fieri negt, A ut ſupra & infra rerum natura propriè ſint, niſi modo prędicto ſimul terram omnem infra appellare cuiq́ libeat. Enimuero ſitu eſt ſupra & infra, ut capiti noſtro impendens tectum, ad nos relatum, ſupra, ad eo ſuperiora, iſra eſt. {Locum ad medium infra nominantes, φ ad mundi terminos plurimum medij ſpacium ſit.} Qui, inquit, ſupra & infra in rerum natura eſſe propterea uolunt, φ terra à quouis mundi termino ſpacio per diametrum diſtet, terram infra eſſe idcirco aſſeuerant. {Ab his uero finitionē quoque aliorum inferre contrariorum uidentur. Nam quæ a ſe plurimum inuicem in eodem diſtant genere, cōtraria definiūt.} Quoniam terram infra eſſe ſuſpicati ſunt inquit, hæc uero ut ad ſingulos mūdi fines relata plurimo interſtitio abeſt, per diametrum inquam, ſunt autem ſupra & infra contraria, referunturq́; hæc ad unum genus quantum, ex his & cōtrarijs omnibus finitionem aſſerunt, contrariaq́; eſſe dicūt ea q̃ a ſe mutuo diſtāt plurimū, ſub eodē genere cōprehēſa. B

Non uidetur autem quantum ſuſcipere magis & minus, ut bicubitum. Neq; enim alterum altero magis bicubitum: neq; in numero, ut tria quàm quinq; nihil magis quinq; aut tria dicuntur, neq; quinq; quàm tria. Nec tempus alterum altero magis tempus dicitur: nec in ullo eorum quæ dicta ſunt omnino, magis & minus dicitur. Quare quantum nō ſuſcipit magis & minus. 29

Non uidetur} Cum proprium eſſe quanti aſſeruerit nullū habere contrarium, idq́; omni ineſſe oſtenderit, non addidit quanti hoc proprium non eſſe. quãdoquidem & ſubſtantiæ competat, quemadmodum & in ſubſtantia egit: hoc enim ex ijs fuit perſpectum, quæ de ſubſtantia diſſeruit. Nam ſi ibi proprium non eſſe ſubſtantiæ, nihil contrarium habere, pronunciauit, φ & quanto conueniat, cōſtat hic quoque proprium quanti, quoniam & ſubſtantiæ ineſt, non eſſe. Quare quantum nullum capax contrariorum eſt. Verum ſi contrariorum capax quantum eſſe fateri oporteat, quemadmodum ſubſtantiæ quoque contrarium C nullum eſſe dicebamus, ipſam uero capacem contrariorū quid ergo non eſt, inquiunt, craſſum & tenue quanti, & latum & anguſtum, quę ſunt contraria? At hæc non eſſe quāta, ſed ipſum eſſe obtinere in quantis aſſerimus, non aliter q̈ magnum quoq; ac paruum. Craſſum.n. id uocamus, qđ dimenſionem multam habet in profundum: latum, quod in latitudinem, anguſtum autem & tenue, quod parū in profundum ac latum interſtitij habet. Ac q̃cunque de alijs prodidimus, magno inquam & paruo, multo & pauco, hęc in his quoque pronunciabimus, nam & hæc ad aliquid ſunt. {Non uidetur quantum magis & minus admittere.} Ad aliud quanti proprium tranſiuit, quod eſt non admittere magis & minus, neque id iniuria, ſiquidem diximus, ubi cōtrarietas eſt, ibi magis & minus ex contrariorum miſtione fieri. Eſt uero ſciendum, & hoc rurſum reprobari, a Philoſopho, perinde quaſi & ſubſtantiæ competat: ad aliud autem digreditur proprium aitq́;.

Proprium autem maximè quanti eſt, quòd æquale & inæquale dicitur. Vnumquodque enim eorum quæ dicta ſunt quantorū æquale & inæquale dicitur: ut corpus æquale & inæquale dicitur: & numerus, & tempus æquale & inæquale dicitur. ſimiliter autem & in alijs quæ dicta ſunt, unumquodque æquale & inæquale dicitur. In cæteris uero quæcunque quanta non ſunt, non prorſus uidebitur æquale & inæquale dici. Vt diſpoſitio æqualis & inæqualis non omnino dicitur, ſed magis ſimilis & diſſimilis. Et album æquale & inæquale non omnino, dicitur, ſed ſimile uel diſſimile. Quare quanti maxime ſit proprium, æquale & inæquale dici. 30 D

Proprium} At hoc præcipuè proprium eſt quāti, quoniam rei ſoli ineſt atque omni. Linea enim æqualis lineæ atque inæqualis dicitur, & locus loco, & ſuperficiei ſuperficies, & corpus corpori, & orationi oratio, & numerus numero. Quòd ſi in quoquam alio æquale & inæquale nominemus,

nemus,id non per ſe,ſed per accidens appellamus,exempli cauſa,corpus hoc albũ dicimus corpori albo illi æquale,eodẽ mõ & inæq̃le,non q̃tenus alba ſunt,ſed q̃tenus corpora,quæ ſunt quanti. Verum ſimile magis in talibus proprie diceretur atq; diſſimile: album enim albo ſimile ac diſſimile dicitur: & in id genus aliis eadem ratione.

DE RELATIVIS, HOC EST AD ALIquid ſeſe referentibus.

31 *AD aliquid uero talia dicuntur, quæcunque hæc ipſa quæ ſunt aliorum eſſe dicuntur, uel quomodolibet aliter ad alterum. Vt maius hoc ipſum quod eſt alterius dicitur: aliquo enim maius dicitur: & duplum alterius dicitur hoc ipſum quod eſt: alicuius enim duplũ dicitur. ſimiliter autem & alia quæcunq; hmõi ſunt. At uerò ſunt ẽt & hæc ad aliquid: ut habitus, diſpoſitio, ſenſus, ſcientia, poſitio: hæc enim omnia quæ dicta ſunt, hæc ipſa quæ ſunt aliorum eſſe dicuntur, uel quomodolibet aliter ad alterum, & non aliud quiddam. Habitus enim alicuius habitus eſſe dicitur, & ſcientia alicuius ſcientia, et poſitio alicuius poſitio, & alia uerò ſimiliter. Ad aliquid igitur ſunt, quæcunq; hæc ipſa quæ ſunt, aliorum eſſe dicuntur, uel quomodolibet aliter ad alterum. Vt mons magnus dicitur ad alterũ (magnus enim mons dicitur ad aliquid) & ſimile alicui ſimile, et cætera talia ſimiliter ad aliquid dicuntur.*

Ad aliquid uero] Quinq; hæc ante relatiuorum præceptionem oportet quæramus. Primum ordinem eorũ ad prædicamenta. Alterum inſcriptionis cauſam. Tertium, q̃nam ſit eorum ſubſiſtentia. Quartum, diuiſionem in ſpecies. Quintum, genus docendi. Primum itaq; cur locutus de quanto, non deinceps de quali, ſed de ad aliquid relatis ſermonem inſtituit: atqui quale formam per ſe quandã ac ſubſiſtentiam habet, hæc autem propriam non habent ſubſiſtentiam, ſed ipſum eſſe in aliis obtinent prædicamentis: pluris enim quæ per ſe ſubſtant ſunt iis quæ ipſum eſſe in habitudine poſſident: nam ipſum per ſe primum ſit oportet, tum ſic ad aliud cohærentiam ſuſcipiat. Dicimus igitur ꝙ quemadmodũ fecit in quanto, ſecundam de hoc præceptionem ob id ſtatuit, ꝙ in ſermone de ſubſtantia eius meminerit, ne diu nos quid tandem quantum eſſet ignorare pateretur, non ſecus quoq; hic facit. Quoniam.n. cum de quanto ageretur, ad aliquid ſe habentium meminit, ubi magnum & paruum, multũ & paucum ad aliquid eſſe pronunciabat, ne nos quæ relatiuorum natura ſit ignorantes diu ſineret, de iis protinus ſermonem habet. Quam obrem uerò de relatiuis, non de relatiuo ſingulari Inſcriptum eſt numero: propterea inquam ꝙ ad aliquid pertinẽtia reſpectus quidam ſunt: is autem in rebus duabus minimum ſpectatur: eaq; de re pluraliter titulum indidit. Dextrum enim ſiniſtri eſt dextrum, nec poteſt quidquã ipſum per ſe dextrum eſſe: & pater filii pater, nec quiſquam per ſe fuerit pater quin ad filium dicatur. At in ſubſtantia fieri poteſt, imò uerò id eſt neceſſe, ut res una per ſe ſubſtantia ſit ut homo. Similiter & in quãto: poteſt enim ſolum bicubitũ quantũ eſſe. Poſſunt uero res ipſæ de relatiuis, pluraliter: ipſa autem prædicatio, uel reſpectus ipſe, ſingulariter de relatiuo nominari, quo modo in quanto, prædicamentiſq; aliis ſingulariter prædicamentum proferimus, in ſcriptione nimirum non res eo contentas, ſed quæ de ipſis communiter dicitur, naturam declarantes. Siquidem & relatio quanquam eſt in pluribus, ſubiecto tamen una eſt, ut ſemen ac fructus, & aſcenſus deſcenſuſq;. Eſt enim ſerui ad dominum relatio una, quæ a ſeruo incipientibus nobis, ſeruitus, a domino, dominium uocatur, ſimili quoq; ratione in diſcipulo & præceptore, ac reliquis. Verum quò, uti diximus, nunquã uni rei ſubſtare ad aliquid prædicamẽtum indicaret, pluraliter idcirco de relatiuis inſcriptionẽ fecit.

A De ipſorũ uerò ſubſiſtentia hæc dicimus: Quidã nihil ad aliquid natura eſſe inquiunt, ſed noſtræ hæc eſſe cogitationis cõmentũ, aiuntq; non ita quæ ad aliquid ſunt natura eſſe, uerũ poſitione atq; compoſito, quandoquidẽ fieri põt, ut, qđ dextrũ eſt, ſiniſtrũ fiat: & dextrũ, qđ ſiniſtrũ. Pater quoque filius ẽt eſt, & ſeruus poſitione ſeruus, natura.n. ſeruus nemo eſt, idem aũt & herus alterius fieri eadẽ rõne põt. Cęterũ hi non rectè ſentiunt, perinde.n. cognita natura hæc ſunt, ac partes corporis in mutuo quodã reſpectu conſiderantur. quiddã.n. a natura ſitũ eſt dextrũ, ut iecur, quiddã ſiniſtrũ, ut lien. Nec ſiniſtrũ fieri iecur unquã põt, nec liẽ dexter. Verũ ſi alterum in alterius locũ ceſſerit, interit animal. Deus quoq; imperat ſolus: nos uerò eius tantum imperio ſubditi oẽs ſumus. Corpus itẽ mouent anima naturaq; duntaxat, ab ipſis aũt ſolũ modo corpus mouetur, nec cõtra ipſas mouet. Quidã uero cũ his ex diametro pugnantes, res omnes ad aliquid eſſe cenſebant, inter quos Prota-

B goras fuit Sophiſta. Is.n. rẽ nullã aſſerebat finitã certamq; obtinere naturã: ꝓinde nec mentiri quenquã poſſe affirmabat, q̃libet.n. prout ſibi apparet opinaturq; de rebus, q̃ nõ finitã naturã, ſed ipſum eſſe in reſpectu ad nos habent, ꝓnunciat. Mel itaq; ictero affecti amarũ dicunt, ac ſanè ueri ſunt. nam qđ eorũ opinio fert, atq; iiſdẽ uidetur, id illi quoque affirmant, q uero ſanitate fruuntur, dulce, ipſi quoq; uera dicentes. Nigræ quoq; columbę in ſole ſtantis collũ, nõ nullis purpureũ, quibuſdã aureũ apparet aliiſq; aliter quodãmodo, ꝓ diuerſo tũ ipſius, tũ intuẽtiũ poſitu. Simili modo & in aliis cunctis. Qđ enim uerũ alii uidetur, id ab alio falſum eſſe exiſtimatur, quodq; huic elegans eſſe cenſetur, id alii uitioſum habetur, uerũ aũt oppoſitũ. Conſuetudine itaq; loquendi amarũ dicimus, conſuetudine loquendi dulce. Nihil uerò alterũ eſt. Quocirca definitam aliquam nulla res obtinet ſubſiſtentiam, ſed eſt ad aliquid. Hunc aũt cõfutat quidem & Ariſtoteles in tertio metaphyſicæ tractationis uolumine: Si omne, inquiens, quod aliquis quidquam eſſe putat, id uerũ quoq; eſt q̃nquidẽ alimento eſſe ignem,

C non aũt urere furioſi arbitrantur, ingeſtũ iis ignẽ alere, nec urere oportebat, Vel ut panis ureret eos, nec aleret opus erat quoniã urere hunc ſuſpicantur. Redarguit & Plato in Theæteto dialogo ipſum hoc refellere inſtituẽs, in quo poſt demonſtrationes multas, hanc quoq; falſè rationem affert, Quoniã nos, inq̃t, o Protagora te nequaquã uerũ eſſe affirmamus, nũ ueri ſumus cũ mẽtiri te dicimus an falſi: ſi ergo uerũ ꝓnunciamus, mentitur Protagoras, qui oẽs uera loqui cenſet, nos.n. uerũ aſſerimus, cũ cõmemorare te falſa hæc dicimus. Quòd ſi ſumus mendaces, contingit ergo mẽdaciũ dicere, nec qui q̃dquã loquitur, ueritatẽ omnis enunciat. Alii uerò præter hos rectè dicebant, res alias ad aliquid, ipſas aũt per ſe eſſe alias. Ad aliquid, ut dextrũ, ſiniſtrum, p ſe ipſas, ut corpus, ut homo, non eſt.n. ad aliq̃d homo qua ratione homo eſt. Porrò hæc ad aliquid ſpectãtia ꝓpria ſubſiſtentia carent, eſſe uerò ipſum in aliis hñt prędicamentis. Cum.n. patrẽ dixi, relationẽ dixi in ſubſtantia, cum multum uel paucũ, in quanto, cum albius uel nigrius, in quali, eademq; in cæteris ratione. Pulchrè autem ipſa

D ſtolonibus compararunt nonnulli, quæ non ſubſiſtentiam propriam, ſed ipſum eſſe in ſtirpibus obtinent. Aſſimilãt ea quoque ſibi inuicem obnitentibus lignis, quippe horũ altero ſublato, haudquaquam reliquum ſtabit. Diuiſio autem hæc ipſorum eſt. Quæ ſunt ad aliquid, alia per æquiuocationem dicuntur, ut ſimile, ſimili ſimile, alia per diuerſiuocationem. Et horum quædam a mutuo exceſſu uel defectu, ut multum ac paucum, magnum & paruum, maius minuſq;. Alia a principe & ſubdito, ut dominus, ſerui dominus. Quædam a iudicante & eo quod iudicatur, ut ſenſibile, ſenſu ſenſibile, & ſcibile, ſcientia ſcibile. Vel ab eo quod participat & quo participat, ut ſciens, quod ſcientiæ particeps ſit, ſciens nominatur. Aut ſecundum cauſam & a cauſa perfectum, ut pater, filii pater. Vel ſecundum agens ac patiens, ut uerberans uapulantem uerberat. Vel pro locali differentia, ut dexter, ſiniſtri dexter. Modo autem docendi huiuſmodi utitur. Non ſanam pro-

A tinus integramq; ad aliquid relatorum tradit finitionem ueȓũ prius q̃ ueteres ipſorũ finitionem ſtatuerint, exponit: dein complura oſtendit, quæ finitionem hanc comitentur abſurda: itaque finitionem aliam ipſe eorum propriam reddit, quæ ſolis omnibusq; ineſt ad aliquid pertinẽtibus. Ne enim nimis in antiquos uideatur, ipſorum prius explicat finitionem: atque oſtenſis quæ ipſam conſequũtur abſurditatibus, ſuam deinceps finitionem citra inuidiam cõmunit. Cæterum ſciendum eſt, quæ ſunt ad aliquid, ꝓſus à recto caſu incipere, atque ad unum ex obliquis referri: uſuq; interim uenire, ut ad quem aſſignantur, ad eundem & cõmeent, ut pater, filii pater: & filius, patris filius. Quandoq; aũt non ad eundẽ ad quẽ educuntur, ſed ad alium reciprocant: ut in ſenſu & ſenſili: eſt enim ſenſus, ſenſibilis rei ſenſus, hic ad genitiuum aſſignatio eſt: uerum non contra ad genitiuũ, ſed ad ablatiuũ reflectitur, ut ſenſibilis reſ, ſenſu ſenſibilis. Et uerò attributio ad accuſatiuum fit ſæpenumero: uti cum dicimus, uerberãs uapulantẽ uerberat, eaq; B ad ablatiuũ conuerſionẽ facit. nã uapulans, a uerberante uerberatur {Ad aliquid uerò dicuntur talia.} Id eſt q̃cunq; ipſa non ſm quã ſunt naturã, ſed hoc ipſo ꝙ aliorum eſſe dicuntur, eo ſunt ad aliq̃d. Verbi cauſa homines ſunt pater & dominus, ſi ergo accepti hac ratione fuerint, nõ ſunt ad aliquid: ſed quatenus relationem ad aliud obtinent, ad aliquid dicuntur. Dexter quoq; homo, nõ qua ratione hõ, alterius dexter uocatur: ſed quatenus dexter. Verbo autẽ Dicitur uſus eſt, ut cui hæc minime placeat ſententia, oſtendet enim multa, quæ finitionem ſequuntur, abſurda, aliãq; ipſe finitionẽ ponet. {Quæcunq; ea ipſa q̃ ſunt eſſe aliorũ dicuntur.} Vt dexter homo, non qua ratione homo eſt, alterius dexter appellatur, uerum qua dexter. {Vel quouis modo aliter ad aliud.} Quoniã ad genitiuum aſſignationẽ fecit, cũ ait, eſſe aliorũ dicuntur, ne ad ſolũ genitiuũ quę ſunt ad aliquid depromi putaueris, uel quouis, inq̃t, aliter modo, id eſt ſiue ad genitiuũ, ſiue ad accuſatiuum fiat accommodatio {Sunt porrò talia quoq; ad aliquid, ut habitus, diſpoſitio, ſcientia, ſenſus, poſitio.} Quoniam priora C quanta ſunt, hæc autem qualia, meritò ſeiungere ea uiſus eſt, cum dixit. Sunt porro talia quoq; ad aliquid. Vel quoniam ad genitiuum caſum ſuperiora aſſignauit, quæ ad eũdem rurſus reciprocationem obtinebant, hæc uero ad ablatiuum reflectuntur, ea uelut ab alio principio data operã ediſſerit. Exemplis autem exponendis modum nobis præbet relatiuorum reflexionis, hæc enim ut antedixi ad genitiuum edita, conuerſionem ad ablatiuum faciunt. Eſt enim habitus, habilis rei habitus. Hic ad genitiuũ aſſignatio eſt, reciprocatio autem ad ablatiuum, nanq; habilis res, habitu habilis eſt. Similiter & diſpoſitio, diſponi aptæ rei diſpoſitio, & apta diſponi res, diſpoſitiõe diſponi idonea & ſcientia, ſcibilis rei ſcientia, & ſcibilis res, ſcientia ſcibilis.

32 *Sunt autem & accubitus & ſtatio & ſeſſio poſitiones quædam: poſitiones uero ad aliquid ſunt iacere autem & ſtare uel ſedere, ipſa quidem non ſunt poſitiones, denominatiuè uero dicũtur ab iis quæ dictæ ſunt poſitionibus.*

Sunt} Cum ad aliquid eſſe dicere & accubitum & ſtatũ D & ſeſſionem uelit, id probat ex genere, poſitione inquam, quæ genus dictorum eſt, ipſa uero ad aliquid, eſt enim poſitio, ſitæ rei poſitio. Quod ſi genus ad aliquid eſt, huius quoq; ſpecies (eæ autem ſunt quas enumerauimus) conſtat ad aliquid referri. Aut. n. corpus erectũ totum eſt, & ſtatus nominatur, aut obliquum totum iacet, diciturq; accubitus, aut partim ſtat, partim iacet, ac ſeſſio nuncupatur. Cęterum quærendum eſt, ſi hæc relatiuis ſubiiciantur, quæ nã ad ſitus prædicamentũ reducemus? Dicimus ergo aliud ſtatum eſſe, & aliud ſtare, aliud accubitum, & accumbere aliud, ſeſſionẽ quoq;, & ſedere aliud. Status enim & reclinatio & ſeſſio ipſam habitudinem declarant, ſtare autẽ, & recubare, & ſedere, non habitudinem mõ, uerũ ipſam quoque reclinatã ſubſtantiã indicant, & ipſam in qua fit reclinatio, eodẽ & in cæteris mõ. Illa igitur ut pote habitũ ſignificantia, ad ea quæ aliquo ſpectant ſeſe recipiunt, hæc aũt cũ A habitu res quoq; circa quas habitus eſt declarantia, ſub ſitus prædicamentũ referuntur. Quemadmodũ enim aliud in tempore eſt, aliud tempus, & aliud in loco, aliud uero locus: (continua enim quanta ſunt tempus & locus, ipſum aũt in loco in prædicamentũ ubi, ipſum uerò in tempore, in quando confertur) perinde in his quoq; res ſeſe uti dictum eſt habet. Id quod ipſe quoq; aperiens intulit: {Recũbere aũt, uel ſtare, uel ſedere, ipſa quidem poſitiones nõ ſunt, cæterum ſunt a poſitionibus quas diximus denominatiuè deſumpta.} Nõ uerò ſiquid denominatiuè dicitur, idẽ illi eſt a quo dicitur, ſtare. n. a ſtatu, accumbere ab accubitu, ſedere a ſeſſione nominatur. Quo autẽ modo a ſpeciebus poſitionis deducta hæc ſunt, eodẽ quoq; ab horũ genere hoc eſt poſitu ſitum eſſe, qđ prædicamentorũ unũ eſt, transferetur, ſiquidem hoc eius qđ eſt recubare & ſtare & ſedere, cognatũ eſt genus. Quare ſpecies una ad aliquid ſe referentium, hoc eſt poſitio, unũ quod eſt ſitum eſſe prę B dicamentũ peperit. Nec quidquã mirum, cũ & tẽpus prædicamentum quando, & locus prædicamentum ubi, quæ ſpecies quanti ſunt, pariunt, nõ enim tempus ipſum eſt q̃ſdo, nec locus ubi, ſed res quæ in tempore ac loco ſunt.

Ineſt autem & contrarietas in iis quæ ſunt ad aliquid: ut uirtus uitio contrarium, cũ ſit utrunq; eorũ ad aliquid: & ſcientia ignorantiæ. Non autem omnibus iis quæ ſunt ad aliquid inſunt contraria: duplici enim nihil eſt contrarium, neq; triplici, atq; ulli talium. 33

Ineſt autem} Cũ de iis q̃ ad aliquid referuntur ex ueterum ſententia diſputauerit, nunc uult proprium eorũ depmere, exponitq; ea prius q̃ relatiuorũ ꝓpria eſſe uidentur, re aũt uera non ſunt, uti ſanè tum in ſubſtantia fecit, tũ in quanto, ne qui parũ attentè hæc tatuetur, ea ꝓpria uerè eſſe arbitretur. Ac primũ quidẽ ipſorum ꝓprium eſſe dicit contraria admittere, eſt nanq; contrarium inquit uitium uirtuti, & ſcientiæ inſcitia, & iuſtitia iniuſtitiæ, quippe hæc ſin C gula ad aliud dicuntur, uirtus enim ſtudioſi dicitur uirtus. & ſcientia, ſcibilis uel ſcientis ſcientia, & uitiũ uitioſi uitiũ, reciprocantq;. Verum non quæcunq; ſeſe habent ad aliq̃d contrarietatẽ ſuſcipiunt, idq; haud immerito. Quandoquidẽ enim ſtolonibus ſimilia ſunt, uti diximus, relatiua, neq; definitas res ad ꝓpriã habent ſubſiſtentiam, ſed in prædicamentis aliis repetiuntur, ea q̃bus adhærent imitantur: ac ubi contrariũ admittunt prædicamenta, conſiſtentia quoque in ipſis obtinent relatiua contrarietatẽ. eorũ uero quę nullũ habent contrariũ, relatiua nullam admittunt contrarietatẽ. exempli cauſa, Quoniam ſubſtantiæ ac quanto cõtrariũ eſt nullũ, neq; ſubſiſtentibus circa ea relatiuis aliquid erit contrarium, ut triplici. nam triplex ad aliq̃d eſt (alicuius enim eſt triplex) nec tamen contrarium habet quidpiã, quoniã, uti diximus, prædicamento inhæret contrariũ nullum habenti, id eſt quanto. Similiter quoq; in ſubſtantia, ut hæro, filio, dextro, ſiniſtro, nihil enim his contrariũ ꝓpterea eſt, ꝙ ii quibus adhærent, homines inquã, ſint ſub con D trario carens prædicamentum redacti. Quoniam uerò cõtrarium qualitati quidquam eſt, ob id & quæ circa ipſam habentur relatiuis adeſt contrarium, ut uirtuti contrarium uitium, & inſcitia ſcientiæ, hæc enim ſunt qualia. Porrò illud ignorandum non eſt, contraria hæc aliis eſſe, aliis ad aliquid, ut uirtus, ſtudioſi uirtus, & ſtudioſus, uirtute ſtudioſus. ſimiliter & uitium, uitioſi uitium, & uitioſus, uitio uitioſus, his ergo ad aliq̃d. Contrariũ aũt uitiũ uirtuti, & uitioſus ſtudioſo, iure igitur & in iis q̃ ſunt ad aliq̃d ſpectatur contrarietas, neq; eſt id conſequens oĩbus. Quęrendũ uero eſt quo pacto uirtutẽ uitiũq;, & ſcientiã atq; ignorantiam ad aliq̃d perhibeat. Reſpondemus non eñ ex propria hæc ſententia, uerũ ſimulanter affirmare, nimirũ cũ traditã labefactare finitionẽ uelit. Si enim ex eo ꝙ dicantur aliorum, quæ ad aliq̃d ſunt obſignantur, hęc quoq; ad aliquid erũt, nam ea quoq; dicuntur ad aliquid. Virtus enim ſtudioſi uirtus, & uitium uitioſi uitium, & ſcientia ſcientis ſcientia,

& in-

& inſcitia inſcientis,inſcitia. Hac autem ratione & prædicamenta accidẽtis omnia,nouem inquam illa ad aliquid eſſe indicat:ſiquidem omnia ipſius eſſe ſubſtantiæ, quippe cui ſuperueniant,dicuntur. Albedo enim,albi dicitur albedo: & bicubitum, ligni,uerbi gratia, bicubitum, & uero quando,& ubi,& facere, & pati,alicuius dicuntur: non enim eſt quidquam ipſum per ſe quando,ſed eſt aliquid ſubſtantię. Eodem modo & in reliquis. Quin ſubſtantia quoque ipſa cum uelut pars ſumitur, ad aliud dicitur. nam pars totius fertur pars,& totum in partibus totum. At hoc eſt abſurdũ, prædicamenta inquam omnia ad aliquid dici. Porrò quòd prædicamenta euidenter omnia ad aliquid diſcernamur,inde diluceſcit: ſi enim ad aliquid eſſent, finiendis iis illa ad quæ dicuntur aſſumi oporteret. Nam relata ad aliquid finientes,neceſſario & eorum ad quæ illa dicuntur meminimus. Verbi cauſa cũ patrẽ definimus, filii quoque mentionem haberi eſt neceſſe: patrem enim filii dices: at cum prædicamenta alia definitione complectimur, ea ad quę dicuntur commemorare haudquaquam cogimur. definientes enim bicubitum, exempli gratia, aliorum deinceps cuiuſquam cuius dicitur bicubitum, ut ligni haud neceſſe eſt meminerimus. Similis etiam in quali,ac cæteris ratio eſt. Ergo ſi prædicamenta ad aliud dicuntur (eſſe enim accidentia ipſius perhibentur ſubſtantiæ, & partes totius,) nec ſunt ad aliquid,conſtat relatiuorum finitionem perperam redditã, quippe cum prædicamenta quoque alia comprehendat. Non enim quod alterius dicitur,ipſum eſſe in hoc obtinet quòd dicatur alterius: at obtinent ipſum eſſe in hoc relatiua,quòd ſint ad aliquid. Nam ſiquid eſt alterius, id eſſe & alterius fertur: at non contra, ſi perhibeatur alterius quidquam,ipſum quoque eſſe in hoc iam habet, quòd alterius dicatur. Cęterum ſciendum eſt quicunq; à Platone relatiua hoc pacto finiri aiunt, putareq; ipſum in eo relatiuorũ eſſe quòd aliorum dicantur ſubſiſtentiam inurere hos philoſopho calumniam. Etenim quòd ea nõ quia dicantur,uerum ſint aliorum obſignent, ex proditis in Gorgia licet cognoſcas. Ait enim ſi agens eſt, patiens quoque eſſe aliquid,eſt neceſſe. eſſe enim dixit,non dici.

34 *Videntur autem & magis & minus ea quæ ad aliquid ſunt ſuſcipere. Simile enim & diſsimile magis & minus dicitur: & æquale & inæquale magis & minus dicitur: cum utrunque ſit ad aliquid ſimile enim alicui ſimile dicitur, & inæquale alicui inæquale. Non autem omnia quæ ſunt ad aliquid ſuſcipiunt magis & minus: duplum enim non dicitur magis & minus duplum, nec aliquid talium.*

Vidẽtur} Ad aliud proprium conſequens relatiuorum tranſit ſuperiore improbato,nempe ſuſcipi à relatiuis magis & minus. Dicimus enim hoc illi magis minusq; ſimile: ut album in pariete magis ſimile albo eſſe ei quod in ueſte eſt, quàm quod in niue. Eſtq; conſequens hoc ſuperiori non abſimile: ſiquidem neque hoc quæ ad aliquid ſunt comitatur omnia. Patet enim alio patre non dicitur eſſe magis pater,ſimiliter neque filius: idq; iure optimo. Dictum nanque eſt,ubi ſpectatur contrarietas,magis ibi eſſe ac minus: contrà ubi contrarietas non eſt,nec magis minusq; haberi. Quibus ergo ſubeſt relatiuis contrarietas, in iis eſt magis & minus: quoniam uerò non ineſt contrarietas omnibus,nec omnibus idcirco magis minusq; ſuppetit. Fortaſſis uerò quiſpiam diſquirendo dixerit, in quibus contraria ſunt,in iis magis quoque & minus contrariorum mixtione fieri, eamq; ob rem in quãto quoniam non ſunt contraria, nec magis minusq; haberi. Rurſum ſi æquale & inæquale propriũ eſt quanti,cur hic magis inquit & minus dici æquale? Relatio.n.ſi in prædicamento ſit cõtrariũ habẽte, contraria quoq; ab ea ſuſcipi aſſerebamus: ſin uero in prædicamento quod contraria non admittat, neq; ab ipſa contraria excipi. Igitur ſi æquale & inęquale ad aliq d eſt in quanto conſiſtens, contrarium autem nullum eſt quanto, nec æquale & inæquale contraria ſunt: ubi uero non eſt cõ-

A trarium,ibi nec magis & minus: ergo magis ac minus non dicitur æquale & inæquale. Nam ſi ſit magis & minus contrariorum mixtione,nec miſcetur æquale inæquali,nec magis quidquam ac minus inæquale fuerit. Quippe minus inæquale, quòd æqualis particeps magis ſit,minus inæquale appellatur: Item ſi magis & minus inæquale quidquam eſt,erit & magis ac minus aliquid æquale. Nam quod minus eſt inæquale, eſt id magis æquale magis inæquali: quo ſanè modo minus album, magis albo, magis eſt nigrum. Ergo ſi fieri nequit ut æquale æquali magis minusq; ſit (quod enim ex æquali in plus aut minus egreditur,non eſt amplius æquale) neq; igitur magis & minus inæquale eſt. Priuatio enim magis infinitudoq; eſt inæquale,non æquali contrarium. An igitur uel per abuſum hoc loco dixit æquale magis & minus eſſe, minus utique exquiſitè decernens: uel hoc per additionem poſt adiectum eſt a nonnullis.

B *Omnia autem quæ ſunt ad aliquid ad conuertentia dicuntur,* 35 *ut ſeruus domini ſeruus, & dominus ſerui dominus eſſe dicitur: & duplum dimidij duplum, & dimidium dupli dimidium, & maius minore maius, & minus maiore minus: ſimiliter autem & in alijs. Sed caſu aliquotiens different ſecundum locutionem: ut ſcientia ſcibilis ſcientia dicitur, & ſcibile ſcientia ſcibile: & ſenſus ſenſibilis ſenſus, & ſenſibile ſenſu ſenſibile.*

Omnia autem} Ad aliud conſequens tranſiuit relatiuorum,quod præcipuò ipſorum eſt proprium, nempe dici ad ἀντιστρέφοντα idest conuertentia. Verum ut ad ἀντιστρέφοντα quid ſit,intelligamus,diſcamus ante quid ſit ἀντιστροφὴ idest conuerſio reciprocatioq;, hoc autem prius, quid ſit στροφὴ hoc eſt uerſio. Eſt itaq; στροφὴ, ab eodem in idem reditus,ob id enim & uerti dicimus uniuerſum, quoniam circulari motu ab eodem puncto ad idem iterum redit. Nos quoque uerti dicimur cum eo quo incepimus loco,

C in illum deſiuerimus. ἀντιστροφὴ autem id eſt conuerſio,uelut ἰσοστροφὴ idest æquiuerſio eſt nam ἀντὶ apud ueteres Græcos æquale ſignificat: quemadmodum & ἀντίθεον pro ἰσόθεον,hoc eſt deo æquale ponũt,& ἀντιάνειρα quæ uiris ęquatur dicitur: & ἀντίχειρα digitum magnum appellant,quòd pares cæteris uires obtineant. Iſoſtrophe uero eſt,cum alterum de altero nihil magis quàm de reliquo prædicatur illud: ut pater nihilo ad filium magis dicitur,quàm filius ad patrem. Quæ ergo ſunt ad aliquid,ad conuertentia dicuntur: ut ſeruus, domini ſeruus: & dominus, ſerui dominus. {Verum caſu,}inquit,{Quãdoque in dictione differrent.} Quoniam enim ad genitiuum edidit,propterea ſubiunxit, non ad genitiuum modo quæ ſunt ad aliquid, uerum ad alium quoque caſum aſſignari. Quò fit ut neque ad eundem omnino reciprocent: dictum autem de his iam nobis antea eſt. {Ad conuertentia dicuntur.} Dicuntur ergo ad conuertentia,quæ ſunt ad aliquid cum geminatione: uerbi gratia ſeruus duo quæ eſt, & ſeruus, & homo. Dominus

D itaque ad id quod ſeruus eſt dicitur dominus, quoniam & ad illum reflectitur: non autẽ ad id quod homo eſt. Æqualitatem igitur ſeruare mutuam debent, quo etiam conuertantur: quemadmodum homo & riſibile, quòd ſi ſint inæqualia,tunc non reciprocant.

At uero aliquotiens non uidebitur conuerti, niſi conuenienter ad quod dicitur aſſignetur, ſed peccet is qui aſſignat, ut ala ſi aſſignetur auis, non conuertitur, ut ſit auis ala. Non enim prius conuenienter aſſignatum eſt ala auis: Neque enim quatenus auis eſt, eatenus ala ipſius dicitur, ſed in eo quod alata eſt, multorum enim & aliorum alæ ſunt quæ non ſunt aues. Quare ſi aſſignetur conuenienter, & conuertitur: ut ala, alati ala eſt & alatum, ala alatum. 36

At uero} Quæ ſunt ad aliquid æqualitatem ſeruare inter ſe debent ut conuertantur: quo modo cõuertuntur homo

& riſibile. Quòd ſi ſint inæqualia, maius quidem eſt minori conſequens, ut homini animal: maiori autem minus non item: non enim ſequitur homo animal, ut animal hominē. Eſt ergo relatiuorum regula hæc, nempe æqualitas: ut pater filii: & duplum dimidii: quæ & reciprocant. Quæ uerò ſunt inæqualia, non etiam reciprocant, id quod uel ipſe ait, penna ſi auis prodita ſit, non reciprocat auis pennæ: ſiquidem omnis penna non eſt auis penna: ſunt enim uolucres quædam, quæ aues non ſunt. Volucres nanq; aliæ ſunt fiſſipennes, ut quæ apud nos ſunt, quæ ſolæ etiam aues nuncupantur, ut ipſe in libro de animalium hiſtoria docuit: aliæ cutipennes, ut ueſpertiliones: quædam uaginipennes, ut, ſcarabæi, quæ non ſunt aues. Quandoquidem igitur non inter ſe ęqua ſunt penna & auis, ſed penna quàm auis latius patet, exæquare hæc conuenit ut conuertantur. Exæquantur porrò inæqualia uel minore aucto, uel diminuto maiore. Ergo in his ſi id quod minus eſt auxerimus hoc eſt auē, atq; ita fecerimus, penna pennati penna, pēnatum, auem appellantes, ſic cōmeant: nā pennatum penna pēnatum. Rurſus ſi proditus ſit clauus nauigii clauus, hic nō eſt reciprocatio, dicere enim haud licet nauigium clauo nauigiū: ſunt enim nauigia complura quæ clauo hoc eſt, gubernaculo careant: ut piſcatoriæ quædam nauiculæ quas ἀκάτια Græci nominant. Quoniam itaque inæqualia & hæc ſunt. (latius enim nauigii quàm claui uocabulum eſt) ſi quod maius eſt minuerimus: nauigium inquam, nimirum pro nauigio clauatum dicentes, tunc æqualia reddita conuertuntur: clauus enim clauati clauus, & clauatum clauo clauatum. Item caput alicuius dicitur caput, nempe animalis. ſi igitur tributum animali ſit, non reflectitur, quoniam non propria rurſum ſit attributio. Nam dicitur quidem caput animalis caput, haud uerò etiam animal capite animal: ſunt enim animalia quædam quæ capite careant, ut cancer, uermes, terræ inteſtina. Ergo quod maius eſt rurſum minuas oportet, animal inquam, ac facias capitatum, ſeruabiturq; hoc pacto antiſtrophe. Nam caput capitati caput, & capitatum capite capitatum. Igitur in aui quod minus eſt auximus, auem inquam: in aliis uerò maius diminuimus, nauigium dico & animal.

37 *Aliquoties autem forte & nomen fingere neceſſe erit, ſi non fuerit nomen impoſitum ad quod conuenienter aſſignetur: ut temo ſi aſſignetur nauigii: non eſt aſſignatio conueniens Neque enim in eo quod nauigium eſt, in eo ipſius temo dicitur: ſunt enim nauigia quorum temones non ſunt. Quare non conuertitur: nauigium enim non dicitur temonis nauigium. Sed forte conuenientior aſſignatio erit, ſi ſic quodammodo aſſignetur, temo temonatæ rei temo eſt, aut quomodocunque aliter: nomen enim non eſt poſitum: & conuertitur ſi conuenienter aſſignetur: temonatum enim temone temonatum eſt. Similiter autem & in aliis: ut caput conuenientius aſſignabitur capitati caput, quàm ſi animalis aſſignetur. Neque enim in eo quod eſt animal, caput habet. multa enim animalia ſunt capita non habentia.*

Aliquoties} Vt non dicat quiſpiam, quid ergo? nostrare conuenit nomina? & unumquodque ut cuiquam libet confingere? ſic igitur uſum omnem nominum aboleri continget, ſingulis pro arbitrio nouas nomenclaturas inuehentibus: ac, quod reliquum eſt, inaudita & quæ nihil ſignificent quiſque loqui uidebitur, pro homine uerbi gratia capitatum dicens, pro nauigio clauatū, aut quouis aliter modo noua formauerit nomina. Ad hoc igitur inquit nihil graue eſſe, ſi quibus indidiſſe nomina minus uſus curauit, illis nos ipſi excogitemus. Illis enim quæ uſus noſcit communis, nomina accommodat: at artes nouarum ceu rerum inuentrices, imponere inuentis nomina ad eas ſignificādas debent. Geometra exempli cauſa, cum triangulum alium duo tantum habere æqualia latera, alium tria æqualia, aliū tria inæqualia repererit, primum æquipedē, alterum æquilaterum, tertium ſcalarem nominauit. Similiter & muſicus diuerſis ſonis ſua ſtatuit nomina, uocatq; aliū chromaticū, alium diatonicum, aut aliter quomodolibet. Quoniam ergo talibus decernere nomina & hic conſuetudo neglexit, nos ea ponere neceſſe eſt. Vocauit quidem conſuetudo nauigium, non uero etiam clauum habentia ab iis quæ clauo non gubernantur diſtinxit. Nominauit animal, non adhuc uero capite prædita à carentibus diſiunxit appellatione. proinde abſurdi, uti diximus, nihil eſt, fingere in talibus nomina. Quo autem pacto atque unde imponere} ea conueniat, ipſe deinceps aperuit, cum ait.

Sic autem fortaſſe facillime quis ſumet quibus poſita nō ſunt nomina, ſi ab iis quæ prima ſunt, & iis ad quæ conuertuntur, nomina ponantur, ut in iis quæ prædicta ſunt, ab ala alatum, à temone temonatum. Omnia igitur quæ ad aliquid dicuntur, ſi conuenienter aſſignentur, ad conuertentia dicuntur: quoniam ſi ad quodlibet aliud aſſignentur, & non ad id ad quod dicuntur, non conuertuntur. 38

Sic uero} Nunc regulam nobis tradit, qua nomina ſi in communi non comperiantur uſu, appoſitè fingere poterimus. Oportet enim inquit à primis ac propriè prædicatis denominatiuum illis nomen de quibus prædicatur imponere, atque hoc modo reciprocare ipſa inueniemus. Vocemus uerbi gratia à clauo nauigium, de quo clauus prædicatur, clauatum: & à capite, caput obtinens animal capitatum, ſimiliterq; in aliis. Atque hæc rurſus doloſè pronunciat, finitionem labefactare nimirum uolens. Si enim ad aliquid ſunt ea quæ aliorum eſſe dicuntur, erit & caput, & clauus, & penna ad aliquid quod eſt abſurdum. Nam hæc uti ſubſtantiarum quidem partes, ad aliquid dicūtur eſſe. pars enim eſt totius pars: & totum, partibus totum. Vt uerò penna, uel clauus, uel caput, non ad aliquid, uerum ſubſtantiæ ſunt, quippe ſingula hæc per ſe ipſa ſpectantur. Nam ſi à toto caput aut manum deſecueris, nihilo minus caput uocatur & manus, non partes tamen præterea dicuntur: ſiquidē conſideratur in toto pars. At relatiuis ſi illud ad quod dicuntur dempſeris, ſimul ſtatim & propria nominatio tolletur: ut pater, filii dicitur pater. Verum ſi filium ſuſtuleris, patrem quoque eſſe ſimul patri adimetur. At quæ dicuntur aliorum, quanquam priuentur illis quorum eſſe perhibentur, propriam nihilo minus nominationem ſeruant: ut caput, animalis dicitur caput, etſi ablatum fuerit, animalis nihilominus caput uocatur. Clauus autem nauigii, & penna auis, iis priuata quorum eſſe dicuntur, nihilo minus ſunt propriam rurſus nominationem ſortita.

Dico autem quoniam neque eorum quæ indubitanter ad conuertentia dicuntur, & nomina eis poſita ſunt nihil conuertitur, ſi ad aliquid eorum quæ ſunt accidentia aſſignentur, & non ad id quod dicuntur: ut ſeruus ſi non domini aſſignetur, ſed hominis, uel bipedis, uel cuiuſcunque talium, non conuertitur. Neque enim dici poteſt homo eſt ſerui homo: non enim conueniens eſt aſſignatio. 39

Dico autem} Hinc argumentatio à maiore. Quid enim inquit mirum, ſi in prædictis conuerſio, propterea φ non propriè aſſignatio ſit facta non ſeruetur? quando ne ea quidem quæ ad aliquid conſenſu omnium ſunt, dicunturq; ad cōuertentia, nec poſitis carent nominibus, reflectuntur, niſi conuenienter facta aſſignatio fuerit. Exempli gratia, ſi dominum non ad ſeruum quiſquam, ſed ad hominem aſſignauerit, dicatq; dominus hominis dominus, non poterit reflexione utens dicere homo domini homo: eſt enim hoc ridiculum. Nam dominum quidem dicere hominis dominum, haud ſanè graue eſt: hominem uerò domini hominē appellare, absurdiſſimum. Quoniam igitur non propria & in his facta eſt attributio, neq; conuerſio ſeruatur: quippe non

pe non ad æquale aſsignationem fecimus: cum homo am-A plius pateat. Itaque exæquari mutuò ut diximus debent reciprocantia, quo etiam cõuertantur: eo enim & propria ad ea quorum propria ſunt, quoniam & inter ſeſe exæquãtur, commeant. Hæc ipſa uerò edifferit omnia, nimirum ſiniti oni opitulans dicenti, quæ ſunt ad aliquid, eo eſſe ꝙ aliorum dicantur: & connecti ſecundum hanc finitionem quæ ſunt ad aliquid oſtendere conatur, quam uult quoad fieri poteſt cõmunire: ne eam damnare in dicta cauſa uideatur. Deinde poſt eam iure confutare uult: utique oſtendens uel poſt tantum patrocinium, complura tamen haberi, quæ ipſam conuincant incommoda.

40 *Si tamen conuenienter aſsignetur ad quod dicitur, omnibus alijs ſublatis quæcunque accidentia ſunt, relicto autem ſolo illo ad quod aſsignatum eſt conuenienter, ſemper ad ipſum dicetur: ut ſi ſeruus ad dominum dicitur, circuncifis omnibus quæ accidentia ſunt domino, ut eſſe bipedem, uel ſcientiæ ſuſceptibilem,* B *uel hominem, relicto uero ſolo quòd dominus eſt: ſemper ſeruus ad ipſum dicetur: ſeruus enim domini ſeruus dicitur. Si autem non conuenienter ad id ad quod dicitur aſsignetur, circuncifis omnibus alijs, relicto autem eo ſolo ad quod aſsignatum eſt, non dicetur ad ipſum. Aſsignetur enim ſeruus hominis, & ala auis, & circumcidatur ab homine eſſe dominum: non.n. amplius ſeruus ad hominem dicetur: cum enim dominus non ſit, neque ſeruus eſt. Similiter & de aue, ſi adimatur eam alatam eſſe: non enim amplius erit ala ad aliquid. Cum enim non ſit alatum, nec ala erit alicuius. Quare oportet aſsignare ad id ad quod conuenienter dicitur: & ſi ſit nomen poſitum, facilis erit aſsignatio: ſi autem non ſit, fortaſſe neceſſarium erit nomen fingere. Si autem ſic aſsignentur, manifeſtum eſt quoniam omnia quæ ad aliquid ſunt, ad conuertentia dicuntur.*

Si tamen} Regulam nobis tradit eorum quæ de aliquo propriè reddita ſunt: ait enim, Quodcunque pluribus fuerit appellatum nominibus, ſi aliud quicquam ſit quod de horum nominum uno prædicetur, uelisq; an propriè de illo dictum nomine prædicatũ ſit cognoſcere, cæteris omnibus amputatis nominibus, & iis quæ ſubiecto accidunt. illo autem duntaxat ad quod aſsignatum prædicatum eſt relicto, ſi ipſum ad id reciprocare quod de eo prędicatur inueneris, prius illud appoſitè redditum ſcito: neq; enim reciprocaſſet, niſi adhibitum conuenienter foret. Exempli gratia, ſeruus ſi prodatur domini ſeruus, quandoquidem domino accidit eſſe homini, & bipedi, & ſciẽtiæ rapaci: ſi hæc ab ipſo omnia detraxeris, ac perinde quaſi omninò non ſint ſuppoſueris, dominumq; eſſe reliqueris duntaxat, comperies nihilo minus proprie conuerſionem fieri: dominus enim, ſerui dicitur dominus. Quòd ſi non ad dominum ſeruus, ſed ad hominem referatur, cæteris omnibus exuto homine, domino inquam, bipede, ac reliquis, haud ſeruabitur conuerſio: D diri enim reciprocando nõ poteſt, homo, ſerui homo: itaque non propriè ſeruus ad hominem aſsignatur. Si alia inquit, quæcunque domino accidentia ſunt omnia præcida, ut eſſe bipedem, ſcientiæ capacem hominem. Nihil mirum eſt, quod accidere hæc dixerit, quandoquidem poſſunt ad ſerui relationem, accidentia, ſecundoq; de ipſo prædicata cenſeri: primus autem & per ſe dominus eſt. Eorum enim reſpectus quæ ad aliquid ſunt, ut ſupra docuimus, ipſe per ſe ceu non conſtans, quandoque eſſe in ſubſtantia, interdum in quantitate, uel quali, uel prædicamentorum alio quopiam indicat. Itaque non ineptè quis duplo, quod ad aliquid eſt, cum in ligno uerbi gratia fuerit, acciduſſe lignum dicit: cum in lapide, lapidem: cum in ſuperficie, uel in tempore, tempus, uel ſuperficiem: nimirum cum reſpectus per ſe cogitatione conſideretur.

41 *Videntur autem ad aliquid ſimul eſſe natura, & in plurimis* A *quidem uerum eſt: in aliquibus uero non uerum. Simul enim duplum & dimidium ſunt, & cum ſit dimidium, duplum eſt: & cum ſit dominus, ſeruus eſt: & cum ſit ſeruus, dominus eſt. Similiter autem his & alia. Simul autem hæc auferunt ſeſe inuicem. Si enim non ſit duplum, non erit dimidium, & ſi non ſit dimidium, non erit duplum: ſimiliter autem & in alijs quæcunque talia ſunt.*

Videntur autem} Aliud relatiuorum poſt id quod eſt dici ad conuertentia conſequens proprium tradit, nempe ſimul eſſe natura. Sed quonam pacto natura ſimul ſunt relatiua? nam ſimul quidem natura ſunt pater & filius, poſſeſſor uero & poſſeſsio quonam modo? Solutio. Quæ ſunt ad aliquid, non rerum naturam, ſed quem ad aliud reſpectũ habent contemplamur. Patet igitur non ut ſimul natura ſit qua ratione homo eſt habet, ſed quatenus relationem ad filium obtinet. Sunt porrò ea ſimul natura, quorum uno B poſito alterum quoque inferri, & ſublato tolli neceſſe eſt: & nunquam ſi alterum ſit alterum non eſſe poteſt. Simul enim ac ſeruum dixeris, herum ſimul neceſſe eſt mente cõcipias: & ſi duplum ſit, neceſſe quoque eſt eſſe dimidium. In plurimis autem eſſe uerum dixit, quoniam de aliis nonnullis eſt dubitationem allaturus, quæ ſimul natura eſſe nequaquam uidentur.

Non autem in omnibus his quæ ad aliquid uerum uidetur, eſſe ſimul natura. ſcibile enim ſcientia prius uidebitur eſſe, namque in pluribus, præexiſtentibus rebus ſcientias accipimus: in paucis enim uel nullo quiſquam hoc perſpiciet ſimul cum ſcibili ſcientiam eſſe factam. 42

Non autem} Affert ad quod dixit inſtantiam, nimirum quod eſt ſimul eſſe natura, competere iis quæ ad aliquid ſunt non omnibus uideri. Nam ſcientia & ſcibile, quanquã ſunt ad aliquid, non ſimul tamen exiſtunt: tollitur enim & ſcientia ſublatis ſcibilibus: ſiquidem hæc niſi ſint, cuiuſnam erit ſcientia? At ſi nõ ſit ſcientia, ſcibilia eſſe nihil prohibet. Non ſunt ergo hæc ſimul natura, & ad aliquid ſunt. Eſt uerò ipſum prius duplex, tempore unum, alterum natura. Prius, id tempore eſt, quod ab ipſo nunc abeſt longius, ut in præterito. Idcirco enim Medica bella Peloponneſiacis priora aſſerimus, ꝙ à præſenti longius diſtent. Prior enim craſtinus eſt dies perendino: prius ergo tempore, tale eſt. Natura autem prius eſt, id quod ſecum tollit, nec ſimul tollitur: quòdq; non ſecum infert, ſed ſimul infertur: uti res ſeſe in animali habet atque homine. Videri itaque poteſt ſcibile ſcientia natura prius: non eſt enim ſcientia ni ſcibile ſit: at ſcientia quamuis non conſtet, eſſe tamen poteſt ſcibile. Sanè Thaletem tradunt Mileſium primum lunaris defectus cauſam animaduertiſſe, cum lunam à ſole lumen mutuaria intellexiſſet: propterea ꝙ ſolis receſſu augeſcens illuſtratam partem ad occaſum habeat: ſole iam magis occi- D duo: eius uero cornua, & pars uacãs lumine ad ortum uergant. Cum tota ſolem aduerſum reſpicit, ab eo per diametrum abſens, tunc ſplendeſcit uniuerſa, tota toti ſoli aſpectu incumbens: totam autem noco, nimirum ſecundum partẽ nobis conſpicuam. At quando ſeſe à coitu ſolis recipiens decreſcere inceperit, tunc contrà, pars lumine affecta ad orientem ſpectat, ſole eo tempore magis ortũ tenente: quę autem luminis expers eſt, ac cornuum ſpeciem præfert, ad occaſum declinat. Hinc igitur lunę deliquium animaduertit: quoniam ea cum in terræ, ut uocant, obumbrationẽ inciderit, ſole qui inferius hemiſphærium perlabitur ipſi ad perpendiculum oppoſito, abſolutam defectionem qua ei catione contingit, perpetitur, ſolaribus in ipſam radiis nequaquam impingentibus: certè nõ niſi in ſolo plenilunio hoc accidit. Ergo ſi Thales lunarem defectum nouit primus, ſcibile ante ipſum, lunarem inquam defectũ fuiſſe conſtat, eius uero ſcientiam non fuiſſe: ſcibile igitur ſcientiæ,

A apertum eſt, & tempore & natura anteire: neque ſimul eſſe hæc, quanquam ſint ad aliquid. Eodem modo nec ſenſus eſt, ni ſit ſenſibile. Cuius enim ſenſus erit? attamen niſi ſit ſenſus, ſenſilia eſſe nihil uetat: ut ignem, terram, eiuſq; generis reliqua. {In paucis enim quis utiq; aut in nullo ſimul cum ſcibili fieri cernat ſcientiam.} Quoniam dixit, rebus enim magna ex parte præexiſtentibus ſcientias capeſsimus, nunc quid per magna ex parte ſibi uelit, ea poſuit, in paucis enim quis utiq; inquiens aut in nullo ſimul cum ſcibili fieri cernat ſcientiam. Hæc autem gratia eorum dixit quę ab aliqua arte producuntur: hæc enim prius nō erant: ſed ipſum eſſe ſimul atque ea arte producta ſunt, habent. Nam antecedūt quidem ſcientiam res naturales: quæ uero ex arte procedunt, ipſum eſſe ſimul cum earū habent ſcientia. Verbi cauſa excogitauit lectum quiſpiam, quem græci ſtibada uocāt, ad dormiendum: hic ſcientia quoque ipſum eſſe ſimul cum ſcibili obtinet. Id uerò etiam in figmentis uideas licet: nam ſimulatq; commentus Chimæram fueris, phantaſma quoque ſeu uiſum Chimæræ unà cum eius prodiit ſcientia. B Quemadmodum pictor quoque eorum quæ primus inuenit ſimul cum pictura introduxit imagines. Et qui literas docuit primus, is ſimul cum rerum ſcientia literas inuexit. Sed cur uerba illa, Vel in nullo, adiecit? An & hæc in rerum natura fuere, poſteà uerò ſcientias adepta? At hoc maximè in mechanicis licet contempleris inuentis. Cuiuſmodi ſunt, quo pacto graue quis moueat pondus, aut aquam in ſublime erigat, aut huius generis quidpiam: hæc enim atq; enim eius notæ alia ſimul cum eorum ſcientia conſtat eſſe inuenta. Fortasſis uerò & artificialibus contrà quàm naturalibus accidit: ſiquidem ſcibilia ipſa in naturalibus, ut dictum eſt, eorum ſcientia priora exiſtunt. At in iis quæ conſtant arte, ſcientiam de ipſis eſſe oportet adeptione priorē, dein ſcibile fieri. Nā facta primum uidelicet de re aſſequēda excogitatio eſt, ac quomodo conſtare ea posſit, tum deinde effectus excogitationis cōſequitur. Niſi illud quiſpiam dixerit, ſcientiam de naui priuſquam facta nauis ſit, etſi in primi inuentoris animo anteceſſerit, nondum tamen ut propriè C ſcientia ſit obtinuiſſe: cum tunc reſponſura ne excogitatio ni res ſit, minimè pateat. Forte enim ad imaginationem id uſque præceſsit duntaxat, cęterum haud egredi in opus ualet: quo pacto de Dędalo fertur fabula, quòd alas fabricare ſibiipſi & Icaro filio excogitauerit. Itaque ſcibile etiam ipſum quādo ſimul cum eius ſcientia in opus prodierit, tunc ſcientia quoque reuera ſcientia propriè eſt, cum ambiguo nullo teneatur. Quare ſimul à ſe mutuò conſtitui ſcibile ac ſcientiam in artificialibus contingit.

43 *Amplius. Scibile ſublatum ſimul aufert ſcientiam: ſcientia uerò ſimul non aufert ſcibile. Nam ſi ſcibile non ſit, non erit ſcientia: nullius enim erit ſcientia. ſcientia uero ſi non ſit, nihil prohibet eſſe ſcibile: ut circuli quadratura ſi eſt ſcibilis, ſcientia quidem eius nondum eſt, illa uero ſcibile eſt.*

D Amplius} Cum quod prius tempore eſt in ſcibili expoſuerit (nam præexiſtentibus inquit magna ex parte rebus ſcientias adipiſcimur) nunc in eodem rurſus quod prius natura eſt explanat. Nimirum per hoc quòd ſecū perimat ſcientiam ſcibile, non ſimul ab eo perimatur: quale eſt inquit & quadrangulatio circuli. Quadrangulum Geometræ carpedinem uocant, non quæ quatuor ſimpliciter latera & totidem angulos, ſed latera quatuor æqualia & rectos angulos obtinet. Ita uerò & angulum rectum fieri aiunt. Nam cum recta linea ſuper directam lineam erecta interiores atq; ad eaſdē partes angulos inter ſe æquales facit, rectus uterq; eſt angulus: & quæ ſuperſtat ei cui innititur perpendicularis nuncupatur: eſt hic igitur angulus rectus. Acutus uerò angulus eſt minor recto: obtuſus eodem maior. Nam inclinata ea quæ deſuper recta incumbebat, alter maior, minor alter ſit angulorum. Minorem igitur, ut dixi, acutum nominant quoniam huic ſimiles ſiunt & acutæ moles quæ ad pūgendum ſunt, ut cultellus: maiorem autem obtuſum: huius A enim inſtar moles ſiunt obtuſæ, ut piſtillum, ad dandā impreſsionem aptæ. Figuras uero alias rectilineas eſſe aiunt, alias orbiculares. rectilineas, triangulos, quadrangulos, ſexangulos, & quotquot angulis excogitare alias posſis: orbiculares autem circulos dicunt. Quærunt ergo Geometræ, quomodo ſuper rectilinea data uerbi gratia quinquangula æqualem cōſtituere quadrangulum liceat: & quidem id ratione ac uia docuerunt. Vt ergo in rectilineis quæſiuere: ita in circulo quoq; ſcrutantur, quo pacto circulo dato æqualem reperire posſis quadrangulum. Id multi quæſitum nō inuenere: ſolus autem Archimedes inuentioni proximè acceſsit: ſed exactam tamen rationem non comperit. Ariſtoteles igitur ſi ſcibile, inquit, quadrangulatio eſt circuli, necdum eſt hactenus eius ſcientia, prius eſſe conſtat ſcibile quàm ſcientia. Non ſolum autem natura priora ſcibilia quàm ſcientia eſſe hoc probat exemplum, ſed etiam tempore: nam cum ſcibile ſit quadrangulatio circuli, de eo cōperta eſt nondum ſciētia. Hoc uerò ſubiunctum, natura etiā B prius eſſe ſcibile quàm ſcientia, demonſtrat.

Amplius. Animali quidem ſublato non erit ſcientia, ſcibilium uero plurima eſſe contingit. Similiter autem his ſeſe habent ea que de ſenſu ſunt. ſenſibile enim prius quàm ſenſus eſſe uidetur: ſublatum enim ſenſibile ſimul aufert ſenſum: ſenſus uerò ſenſibile non ſimul aufert: ſenſus enim circa corpus & in corpore ſunt: ſenſibili autem ſublato aufertur & corpus: ſenſibile enim corpus eſt: cum autem corpus non ſit, aufertur & ſenſus. Quare ſimul aufert ſenſibile ſenſum. Senſus uero ſenſibile non ſimul aufert. ſublato enim animali ſenſus quidem aufertur, ſenſibile autem erit corpus: ut calidum, dulce, amarum, & omnia alia quæcunque ſunt ſenſibilia. Amplius. Senſus quidem ſimul cum ſenſitiuo ſit: ſimul enim ſit animal & ſenſus: ſenſibile uerò ante animal aut ſenſum eſt. Ignis enim & aqua & alia huiuſmodi, ex C *quibus ipſum animal conſtat, ante ſunt quàm animal omnino ſit, aut ſenſus. Quare prius ſenſibile quàm ſenſus eſſe uidebitur.* 44

Amplius. Animali} Cum ſuperius in uno ad aliquid relatorum exēplo, ſcibili inquam, conſequens claudicare oſtēdiſſet, uniuerſaliter nunc in omnibus demonſtrat. Sublato enim inquit animali, ſcientiæ quoq; adimuntur (ſunt enim in animo ſcientiæ) ſunt per ſe tamen nihilo minus ſcibilia, quamobrem & quæ in ſenſu ſunt, eſſe primum uidentur. Cum itaque in ſcientia & ſcibili rationē examinauerit, nunc in ſenſu examinat ac ſenſili: docetq; iiſdem uerbis prius eſſe ſenſu ſenſibile: ſecum enim ſenſum tollit ſenſibile: at nō tollitur ſenſibile ſimul cum ſenſu: ſunt enim ſenſus in animali: animal autem corpus animatum eſt: ſenſibile uero eſt omne corpus. Quapropter neceſſe perdito ſenſibili & corpus aboleri, neque eſſe animatum abolito corpore: quod niſi animatum ſit, neque animal eſt: neque ſublato animali ſenſus eſt, ipſum enim eſſe obtinet ſenſus in animalibus. Itaq; ſub D lato ſenſibili, neque erit ſenſus, uti oſtendimus, quandoquidem eſſe ipſum habet in corpore ſenſus omnia, circumq; id ſolum ſpectatur, effugerunt enim ſenſum omnem incorporea, cum neque ſub ſenſum cadant, neque capacia ſint ſenſus. Quanquam non etiam reciprocat ratio: non enim perempto ſenſu interimitur & ſenſibile. Quāobrem: quoniam animal omne, animatum eſt, omne animatum corpus non omne autem corpus iam & animatum eſt animal, ſed omne corpus ſenſibile. Quo ſit ut uel intermortuo animali nihil alia eſſe uetet complura, ut ignem, aquam, terram, dulce, amarum, ac ſimilia. Ergo probatum ex his eſt priora natura eſſe ſenſibilia ſenſibus, quoniam ſecum ſenſus interimunt, non illa cum ſenſibus perimuntur: & inferuntur quidem ſimul cum ſenſibus, ipſos autem non ſecum inferunt. Cæterum cum etiam dixerit: {Senſus ſimul cum ſentiente ſit.} Argumentationem facit à maiore, atque eo quod conueniennius ad ſenſibile redditur, ſentiente inquam, ſentiens enim ſenſibilis eſt ſentiens: porrò ſentiens eſt quod particeps

ceps eſt ſenſus. Quid igitur dico? nempe ꝙ ſenſibilia affir-
met priora ſenſu exiſtere: quandoquidem ſentiens (animal
intelligo) quocum fieri ſenſum natura uoluit, eſſe ipſum ha
bet ex ſenſibilibus, igne inquam, & aqua, elementiſq; reli-
quis. Quod autem ex aliquo, ac uelut ex materia potiſſi-
mum fit, illo ex quo fuit conditum, & natura poſterius &
tempore eſt: quare poteſt ſenſibile inquit eſſe ſenſu prius ui
deri. Atque hactenus ipſi quidem progreditur dubitatio:
cæterum dictarum inſtantiarum ſolutionem non addidit.
Dicendum ad hæc, duplici quæ ad aliquid ſunt ratione in-
telligi poſſunt, uel ut res ipſæ per ſe abſolutæ, uel ut in mu
tua quadam relatione coniunctæ, ut pater ac filius. Nam
ſi patrem in iis nouerimus ut Sophroniſcum, filium autem
ut Socratem, prior erit Socrate Sophroniſcus: eſt enim So
phroniſcus prior, nobis ceu res ipſos intelligẽtibus: quod
ſi uelut patrem ac filium ceperimus, medio carebunt, reſpe-
ctu deuincta. Sic ergo & ſcientiam & ſcibile ſi perinde atq;
res conſideraueris, prius ſcibile eſt quàm ſcientia: ſin uerò
ut reſpectum, hæc ſimul ſubſiſtunt: neque enim ſcibile eſſe
aliquod poteſt niſi ſit circa ipſum ſcientia. Exempli cauſa
ſidera, quæ ſcibilia ſunt, ſi uelut res accipiantur, uerſante cir-
ca ea ſcientia, erunt priora: ſi tanquam ad aliquid ſint, ut ſci
bilia inquam, hæc cum ſcientia de iis ſimul erunt. Nam nec
ſcibilia eſſe poſſunt niſi de ipſis ſcientia ſit, ex qua denomi-
natiuè etiam dicuntur. Nam quonã ſcibilia forent? eſt enim
ſcibile ſcientia ſcibile: ergo non conſtante ſcientia, quomo
do illa ex ea quæ non ſit denominationem habebunt? uer-
ſum ut res quidem ſunt, ut ſcibilia uero non item. Eadem
quoque de ſenſu ac ſenſili dicemus. Quin & aliter ſoluas,
Cum rerum quædam poteſtate, quædam actu ſint: poteſta-
te habentur ea quæ aliquid eſſe natura idonea ſunt, nondũ
ſunt tamẽ: actu uero quæ naturalem etiam poteſtatem actu
oſtenderunt. Verbi gratia actu quidem, eſt conſummatus
grammaticus, cui nihil ad artem grammaticam deeſt: po-
teſtate, ut puerulus cui facultas ſuppetit ut grammaticus
fiat. In omnibus quoque quæ ad aliquid ſunt, ut ſeſe
habet alterum, ita & reliquum habebit. Nam ſi hoc actu
ſit, erit & alterum actu: ſi hoc poteſtate, & illud poteſtate
erit. Cum igitur ſcibile uel ſenſibile actu fuerit, erit actu ſciẽ
tia quoque & ſenſus: ſi ſint poteſtate illa, erunt & hæc po-
teſtate. Siquis ergo lunarem defectum ante Thaletem ut ſci
bile excogitaſſet, erit poteſtate ſcibile, & non actu: & uerò
huius ſcientia prorſus & hæc poteſtate adinuenietur. Nam
ſi lunaris deliqui ante Thaletem non fuiſſet ſcientia pote-
ſtate, utique in actum eius tempeſtate nõ produſſet. Quod
enim prius ut fieret facultate caruit, id fieri prorſus nequit
in poſterum. Quemadmodum equus, cum facultate ut ſit
grammaticus careat, nunquam fiet actu grammaticus: ita ſi
lunaris defectionis ante Thaletem ſcientia non fuiſſet pote
ſtate, certè neque Thaletis ipſius temporibus in actũ pro-
ueniſſet. Verum cum eius tempore conſtiterit actu ſcien-
tia, ſcibile quoque actu id eſt lunæ deliquium factum eſt: ea
dem etiam de ſenſu ac ſenſili pronunciabimus. Et uerò nũc
circuli quadrangulationem, ſi inueniri nunc queat, poteſta-
te ſcibilem eſſe conſtat, eiuſq; ſcientiam poteſtate futuram.
Quod ſi reperiri eam ab hominibus liceat nunquam, neq;
erit ſcibile facultate, ſed eſt quidem ceu res, ſcibile uero ne
poteſtate quidem eſt: quemadmodum nec hominibus po-
teſtate ſcibilis eſt arenæ numerus. Hac porro ratione diffi-
cultatem quoque illam ſoluemus, quæ a legum peritis no-
bis obiicitur: affirmant quippe illi ſeruum eſſe qui hero ca
reat: uelut ſiquis moriens inquiunt, teſtamento dicat, Talis
ſi hoc fecerit, ſeruum hunc famulumq; meum habeto: ecce
hic igitur, aiunt, nulli addictus domino ſeruus eſt, quandiu
iuſſum hæres non exequitur. Itaque difficultatem etiam
hoc loco per poteſtatem & actum ſolui arbitramur. Nam
neque dominus ille actu eſt, neque hic ſeruus, ſed uterque
facultate: poſtea uero quàm mandatum hęres fecerit, & do
minus actu euaſerit, tunc & qui relictus famulus eſt, fiet actu
ſeruus. Qua de re uerus eſt ſermo, qui in omnibus relatiua
inquit ſimul natura eſſe.

A *Habet autem dubitationem utrum nulla ſubſtantia ad ali-* 45
quid dicatur, quemadmodum uidetur: an hoc contingat ſecundum
quaſdam ſecundas ſubſtantias. Nam in primis ſubſtantiis ue-
rum eſt: nam neque tota neque partes primarum ſubſtantiarum
dicuntur ad aliquid. Nam quidam homo non dicitur alicuius
quidam homo: neque quidam bos, alicuius quidam bos. Similiter
autem & partes: quædam enim manus non dicitur alicuius quæ-
dam manus, ſed alicuius manus. Et quoddam caput non dicitur
alicuius quoddam caput, ſed alicuius caput. Similiter autem &
in ſecundis ſubſtantijs: atque hoc quidem in pluribus: ut homo
non dicitur alicuius homo: nec bos alicuius bos: nec lignum ali-
cuius lignum, ſed alicuius poſſeßio dicitur. In huiuſmodi ergo
manifeſtum eſt quoniam non ſunt ad aliquid. In aliquibus uero
ſecundis ſubſtantijs habet dubitationem: ut caput alicuius caput
dicitur: & manus alicuius dicitur manus: & ſingula huiuſmodi.
B *Quare hæc fortaſſe ad aliquid eße uidebuntur.*

Cæterum dubitationem habet } Abſoluta de iis quæ ad
aliquid ſunt ueterũ finitione, eaq; quàm maximè licuit de-
fenſa: deinde expoſitis quoque relatiuorum conſequenti-
bus, cum propriam redditurus definitionem eſſet, abſurdi-
tatem prius quæ traditam ſequitur finitionem oſtendere
hinc auſpicatur. Porrò abſurditas eſt, ſecundarum ſub-
ſtantiarum partes ſecundum proditam finitionem repe-
riri ad aliquid, hoc eſt ſubſtantiam accidens: nam decem
prædicamentorum ut diximus unum eſt ſubſtantia, nouem
uero accidentis, ex quibus unum ad aliquid pertinentium
eſt. Ergo ſi partes ad aliquid ſunt ſubſtantiarum, eaſdem &
accidentia eſſe quis neget? ſi partes ſunt accidentia, totum
quoq; erit neceſſario: ſiquidem conſtat totum ex partibus
ſubſtantia igitur accidens erit: quo quid abſurdius? Cæterũ
traditur hoc loco ſubſtantiæ nobis id genus diuiſio: Sub-
ſtantia uel uniuerſalis, uel particularis eſt: uel totũ, uel pars.
C Hæc igitur quatuor cum ſint ſegmenta, coniugationes rur
ſum ſex ſiunt: quarum duæ, ut ſæpe commonuimus, incon
ſiſtentes ſunt: nimirum quæ contraria coniungunt: non po-
teſt enim idem & uniuerſale & particulare, & totum & pars
eadem ratione eſſe. Conſiſtunt autem quatuor reliquæ, ſub
alternas dico, & per diametrum aduerſas. Nam aut iũctum
toti uniuerſale, ſimpliciter hoĩem facit, qui & uniuerſalis ẽ,
prædicatur n. de indiuiduis, atq; ea complectitur, & quoddã
eſt totum, ſiquidem totalitas ut ſic dixerim quędam eſt pro
priarum partium, ut animalis, rationaliſq;. Rurſus uniuer-
ſale ſi parti applicetur, uniuerſalem partem cõſtituit, ut ſim
pliciter caput, & manum ſimpliciter: uniuerſale quidẽ, quo
niam de particulari capite omni prędicatur aut manu, pars
uerò, quoniam animalis partium una quędam propria eſt:
At particulare toti complexum, hominem quendam facit,
ut Socratem, qui ob id particulare eſt, quòd de nullo præ-
dicatur, totum uerò, quaſi partium ſuarum contentiuum.
Porrò iterum particulare ſi parti copuletur, caput confi-
D cit quoddam, aut quandam manum, ut Socratis, hęc nãque
particularis eſt quoniã ſolius Socratis, pars autẽ, ꝙ in ſuip
ſius integritate ſpectetur. In hoc ſiquidẽ pars à particulari
differt, ꝙ ſit in pluribus particulare, pars uni competat ſoli.
Harũ tres inquit haudquaquã ad aliquid cẽſueris, una au-
tem, quæ uniuerſalis eſt partis, ut caput, uel manus, quod
ad redditam relatiuorum finitionem attinet, uideri ad ali-
quid poteſt. Ac ꝙ prima inquit non ſit ad aliquid ſubſtan-
tia, clarè dilucet, nõ dicitur enim Socrates alterius cuiuſpiã
Socrates eſſe. Verum neque eius pars, particularis pars in-
quam, ut quædam manus, ne ipſa quidẽ eſſe ad aliquid po
teſt uideri, nemo etenim manum quandam dixerit cuiuſdã
quandam eſſe manum, quippe ridiculum eſſe. Verum neq;
ſecunda ea quæ uniuerſale ac totum connectit, homo in-
quam ſimpliciter, nemo nanq; hominem cuiuſdam homi-
nem, neque bouem cuiuſdam bouem eſſe pronũciabit, ſed
cuiuſdam eſſe bos & homo poſſeſſio dicitur, homo uerò
cuiuſdam eſſe homo, & bos cuiuſdam bos, non item, Quę

igitur uniuerſale inquit & partem duntaxat iungit, ea ex aſſignata definitione ad aliquid eſſe apparebit: ſimpliciter caput dico, & manum ſimpliciter: nã caput cuiuſdam caput, & manus cuiuſdam dicitur] manus. Mihi uerò particulare quoque & pars eſſe uidetur ad aliquid, caput quoddam dico, & quædam manus, quantum ex finitione præmiſſa colligitur. Si enim eſſe illa dicuntur ad aliquid, quæcunque ea ipſa quæ ſunt eſſe aliorum dicuntur, non pars modo uniuerſalis ut ſimpliciter manus ſimpliciter hominis eſſe dicitur, uerum & quædam manus cuiuſdã eſſe hominis perhibetur. Dicimus nanq; hanc eſſe Socratis manum: eſtq; hoc tum conſuetudo loquendi communis, tum antiquorũ uſus cõſertus: dicimus enim manu mea ſcripſi: huius manum aut caput cecidi: caput illius tale, ac tales ſunt manus: & hæ manus Ægei: &, Contremuere pedes manantis fontibus Idæ: &, At Iouis haud caput annuit. Quapropter & particulare & pars, alicuius eſt pars: erit ergo id quoque ad aliquid. Quod autem ſecundum dictionem ſequi uidetur abſurdũ, facile eſt ſoluere: neque enim dicere eſt neceſſe quandam manum cuiuſdam quandam manum eſſe: quoniam nec uniuerſalem manum uniuerſalis cuiuſquam nominamus, ſed hominis manum. Sic ergo & manum quandam cuiuſdam uocamus ut Socrates, præfinitione non addita. Duæ igitur prius poſitæ figuræ partes, uniuerſalis pars & particularis pars erunt ad aliquid: & dixi eueniet ſubſtantiam eſſe accidens. Hoc ergo abſurdum inquit, partes uidelicet ſubſtantiarum non eſſe ad aliquid, ex ſupra relatiuorum finitione edita aut ſoluere prorſus non licet, aut non facile. Itaque finitionem traditam per adductionem ad abſurdum dãnat. Eſt autem ad abſurdum adductio, ut cum demõſtrare quicquam uolentes huius acceperimus oppoſitum, atque huic abſurdum aliquod conſequens eſſe oſtenderimus: deinde ſimul intulerimus ex hoc ideo ſequi abſurdum, quòd falſa data propoſitio fuerit: ueram enim propoſitionem nullam aliquid comitatur abſurdi. Quòd ſi falſa hæc ſit propoſitio, huic ergo oppoſita uera erit. Exẽpli gratia. Si immortalem eſſe animam aſſerere libeat, contrariam huic propoſitionem ſumimus, quæ dicit mortalem: deinde abſurdum quoddam ex ea ſequi oſtendimus, ut contrarium hoc pacto confirmemus. Ergo ſi ſit mortalis anima, non erunt quæ apud inferos geruntur iuſta: ſed quandiu apparet ſolum eſt nobis uita, ſimulq; anima cum corpore interit. Non erit igitur neque operum penſatio bonorum, neque malorum pœna. Si enim in angoribus afflictionibusq; iuſtos complures traducere uitam omnem cernimus, peccatores autem è uita plurimos celebri gloria atque opibus affluentes exceſſiſſe, nec poſt hac in uita geſtorum ulla examinatio eſt, cum uita hominis in hoc mundo ſolum ſit, nemo paria meritis accipiet, neque erit prouidentia. Si enim principe bono ciuitatem adminiſtrãte, ordine geri cuncta in ciuitate uideas licet, honeſtari donis ac dignitatib[illegible] bonos, malos infamia notari, atque in ſupplicijs uerſari [illegible] magis cum Deus per eſſentiam bonus ſit, qui omni[illegible] intuitu uno cognoſcit, ac rebus prouidet uniuerſis, nihil in rebus humanis eueniet abſurdi: Non erit igitur prouidentia, niſi eorum ſit quæ uiuentes egimus ratio reddenda: hac uerò abſurditate quid magis impium? nam niſi erit prouidentia, nihil quod ſit, ordine conſtabit. Quod enim citra prouidentiam ſit, temerarium id eſt nulloq; ordine digeſtum: perinde atque caſu, ac fortuito feratur. Cæterum ꝙ non caſu uita conſtet, aut fortuito regatur, hinc dilucescit. Rariſſima ſunt quæ caſu uel fortuna eueniunt, atq; ex alijs ſequuntur: naturaliumq; motuum caſualia, fortuita eorum quæ fiunt electione ſunt conſequentia. Delatum eſt uerbi gratia ſaxum quodpiam ſuperne naturali impetu deorſum ruens: terræq; alliſum, ac confractis partibus circa id eminentioribus, idoneum ſeſſioni redditum eſt. Commodum igitur ſeſſioni euaſiſſe, caſu factum eſſe dicitur: quoniam conſecutum eſt naturalem ſaxi ad inferna impetum: rarò autem supernè deuolutus lapis ad ſedendum ſit aptus. Item equus in bello deturbato domino primum accurrit ſui conſectus: atque commiſſo prælio, cæſoq; cum omnibus domino ſeruatur: caſu igitur

Deus rebus prouidet uniuerſis. Vide etiã Alex. ꝓ hoc primo meteororũ cõm. 4. rerum uero ipſis per ſe aut per accidens ſiue alio mõ uidere ꝓ hoc mundũ Alex. 2. lib. qõnum naturalium, ca. 21.

A ſuperſtes equus perhibetur fuiſſe. rarò namque ſit ut equus in bello dominum excutiat, eaq; de cauſa ſeruetur. Rarum etiam eſt id quod fortuito accidit, ac eas quæ cum electione fiunt appetitiones cõitratur. Abijt quiſpiam exẽpli gratia, ut ſeſe lauaret, aut ut diis uota faceret, atque uenalem librum quem diu quæſiuerat offendit coemitq;, hoc forte fortuna accidit: non enim aliqua prouidentia, neque locum adiens ubi uenundari libri ſolent, librum comparauit: id uerò etiam rariſſimum eſt. Sunt ergo quæ caſu fortunaq; contingunt infrequentiſſima: artificialia uero ac naturalia, demum quæ ex prouidentia proficiſcuntur, ex eorum numero habentur quæ ut plurimum, ſiue etiam ſemper ſiunt. Frequentius enim finem aſſequuntur proprium materiæ eius faber atque ædificator, quàm eodem fruſtrentur: potiusq; ſanat medicus, quàm non ſanet. Nam ſi ex æquo ſanaret & non ſanaret, à nullo acceſſiretur: ac multo minus ſi rarius ſanaret. Et uero infantem cum quinque digitis crebrius quàm cum ſex creat natura, & cum ſex ob materiæ B redundantiam. Luna in congreſſu cum ſole, ſemper minuitur, inde recedens, augetur. Sol Capricornum tenens, ſemper hybernum ſolſtitium parit, Cãcrum ubi tenet, æſtiuum; neque aliter aliàs. Surſum quoq; ſemper ignis fertur, aqua ſum deorſum, pariterq; in omnibus tum arte factis, tũ naturalibus, ac denique iis quæ ex prouidentia ueniũt, id quod ſemper atque ut plurimum eſt licet, nec contrarium unquã uidere. Apertum eſt itaq; nec mundum caſu, nec eius partes conſtare, atque ſi ita ſit, cauſam eum habere quampiam uidelicet, quæ ipſi præſideat, mundanasq; res concinno ordine diſponat, quam prouidentiam uocamus. Ergo ſi ſit prouidentia, neceſſario quilibet pro dignitate tractabitur. Quod ſi uerum eſt, cernimus autem uti iam diximus multos contraria eorum, quantũ ex apparentibus iudices, quæ hac in uita gerunt ſuſtinere, non ergo præſenti uita circunſcripta eſt hominum uita. Quamobrem fiet poſt hanc uitã examinatio eorum quæ uiuentes geſſimus ubi prouidẽtia tribuet cuique quod meretur. Hoc ſi ſit, immortalis igitur C anima eſt, nec commoritur corpori, permaneat enim oportet ipſa diſſoluto corpore, nec corrumpatur, ut poſt hanc uitam quæ ipſi pro dignitate debentur accipiat. Itaq; hoc loco contemplare quonam pacto immortalem oſtendere uolentes animam propoſitionem huius contrariam ſubiecimus, quæ mortalem eſſe pronunciat, aperuimusq; quoddam ex ea ſequi abſurdum, nimirum colligi ex hoc prouidentiam non eſſe, atque hac ratione immortalem aſſeruimus. Si enim propoſitionem quæ dicit animam eſſe mortalem, abſurdi aliquid comitatur, ueram autem propoſitionem comitari abſurdi nihil poteſt, falſa igitur hæc eſt. contraria autem huic uera, quæ immortalem eſſe affirmat, uerum nanq; ex neceſſitate id eſt, quod falſo opponitur. Hęc itaque deductio eſt ad abſurdum, quam & hoc loco uſurpat Philoſophus. Vult enim ipſe ad aliquid ſe habentia eo ꝙ aliorum ſint obſignari, ſupponit autem huic cõtrarium, quod alijs uidetur, nempe ea eo ꝙ ipſa aliorum dicantur, figuram adipiſci. Supponit uero id, ac conſequens abſur- D dum demonſtrat, eſt autem hoc, ad aliquid ſecundarũ partes quoque ſubſtantiarum eſſe, nam & ipſæ aliorum dicuntur, atq; hac ceu falſa opinione hunc in modum reiecta ſuã confirmat. Sic autem dicta concludens inquit.

Si igitur ſufficienter eorum quæ ſunt ad aliquid diffinitio aſ- 46
ſignata eſt, aut omnino difficile, aut impoßibile eſt oſtendere, quòd nulla ſubſtantia eorum quæ ſunt ad aliquid dicitur. ſi autem non ſufficientes, ſed ſunt ad aliquid quibus hoc ipſum eſt eſſe, ad aliquid quodammodo ſe habere fortaſſe aliquid contra iſta dicetur. Prior uerò diffinitio ſequitur quidem omnia ea quæ ſunt ad aliquid, non tamen idem eſt, ipſa ad aliquid dici, & ipſa quæ ſunt aliorum dici.

Si igitur} Hoc autem difficilium admodum eſſe propterea dixit, ꝙ defendi quodammodo poſſe uideantur, dicebat

A bat enim finitio, ea ipſa quæ ſunt eſſe aliorum dicuntur. Caput igitur ad aliquid eſt non ut caput, uel corpus, ſed uelu ti pars: nam pars totius eſt pars, ſed uerum hoc non eſt. Si ſiquidem caput, non quatenus pars alterius dicitur, ſed in hoc ipſo ꝙ caput eſt. Quàobrem ſi æditam ſupra finitionē attendas, quæ dicit ſignari eo relatiua ꝙ aliorum dicantur, partes quoq; ſubſtantiarum ad aliquid reperientur: nam & caput alicuius caput dicitur. Quocirca finitio attributa relatiuorum, abſurditatē hanc effugere nullo modo poteſt: eam enim ob rē quoniā admodū difficilium dixit, & impoſſibilium addidit, inexcuſabilem nēpe abſurditatem oſtendens. {Sin minus ſufficiat, ſed ea ſunt ad aliquid quibus ipſum eſſe perinde eſt atq; quodā pacto ad aliquid ſe habere.} Nūc finitionem relatiuorum propriam exponit, atq; inquit, Sin minus ſufficiat, hoc eſt, ſin ſatis nequaquam faciat, nec integra ſit nobis data à ueteribus finitio relatiuorū, ſed ea ſunt ad aliquid quibus ipſum eſſe perinde eſt atq; quodam pacto ad aliquid ſe habere, ideſt quibus in hoc eſſentiæ cardo eſt, ꝙ aditum ad aliud quendam recipiant, forte ad hæc in- B quit dici aliquid poſſit. Ad quænā hæc dici fortaſſe poſſe pronunciauit: nimirum ad proditas difficultates: quoniam partes quoq; ſubſtantiarū ad aliquid eſſe opinātur. Si enim ſic inquit finitio ſit uti nunc edidimus reddita, obiectis occurrere abſurditatibus facile poſſumus. Qui autem ſit occurſus ipſe ſubiunxit. {Prior autē inquit finitio relatiua quidem comitatur omnia, nō hoc ipſis tamen relatiuis eſt eſſe, ꝙ ipſa ea quæ ſunt aliorum dicantur. Non enim ſiquid, aut alterius dicitur, huic ipſum quoq; eſſe in eo eſt ꝙ dicatur ad alterum: nam ſi alterius eſt quicquam, id alterius quoq; dicitur: at non ſi dicitur alterius aliquid, hoc & alterius iam eſt. Pater namq; cum filii ſit pater, ipſum in hoc eſſe habet ꝙ filii pater ſit: & uerò pater etiam filii dicitur. Cęterum caput cum animalis caput nominetur, non ipſum quoque in hoc habet eſſe quòd dicatur animalis. Nam & abſciſſum, animalis præterea & dicitur & eſt caput: at pater à filio ſeiunctus, neq; pater eſt, neq; inſuper ad filium dicitur. Quamob- C rem pronunciatum iure eſt, priorem conſequentem relatiuis finitionem eſſe, priori autem ſecundam non item: id quod & Homerus docet:

Amplius haud poſthac humeris caput inſit Vlyſſi,
Nec me Telemachi patrem quis nomine dicat.

Cum enim pater haud amplius ſit: quoniam non amplius eſt, neque poteſt uocari. Quapropter ipſum dici ei quod eſt eſſe conſequens eſt, nec uice obuerſa. Hac uerò ſi ita habent, partes ergo ſubſtantiarum cum eſſe aliorum dicantur, ad aliquid hac ratione non erunt. Illud uerò quærendū, cur in definitione eorum quę ad aliquid ſunt, quæ ad aliquid ſe habent aſſumpſerit: cum dicit quodam pacto ad aliquid ſe habere: neque enim includi finitioni cōuenit quod finitur. Ad hoc itaq; duplicia eſſe affirmamus quæ alio referuntur: dicuntur enim tum res ipſæ ad in quibus relatio ſit tum uerò ipſa relatio. Quo etiam modo prædicamentum ubi ac quando res ipſas quidem, ſubſtantiam inquam & tempus aut locū ſignificant: indicant uerò & relationem ipſum nu- D dam quam ad tempus aut locum ſubſtantia obtinet. Quandoquidem res igitur ſunt relatione illuſtriores, ut quæ ſenſibus pateant, eas idcirco in finitione accipit, ut præceptionem ex clarioribus conficeret.

47 Ex his *autem manifeſtum eſt, quòd ſi quis aliquid eorum quæ ſunt ad aliquid, definitè ſciet, & illud ad quod dicitur, definite ſciturus eſt. Manifeſtum igitur & ex ipſis eſt, ſi enim nouit aliquis hoc quod ad aliquid eſt (eſt autem eſſe iis quæ ad aliquid ſunt, idem ac ad aliquid aliquo modo ſe habere) & illud nouit ad quod hoc aliquo modo ſe habet. Si enim non nouit omnino ad quod hoc aliquo modo ſe habet, neque ſi ad aliquid hoc aliquo modo ſe habet, noſcet. Sed & in ſingulis palam hoc eſt: ut ſi quid nouit quis definitè quod duplum eſt, & cuius duplum eſt mox definitè nouit: ſi enim nullius definitorum nouit ipſum duplum eſſe,* A *neque ſi ſit duplum omnino nouit. Similiter autem & hoc aliquid ſi nouit quit quòd melius eſt, & quo melius eſt, ſtatim definitè neceſſarium eſt noſſe. Propter hæc autem non indefinitè hoc ſciet quòd hoc eſt peiore melius: ſuſpicio enim hæc eſt, non ſcientia. non enim adhuc ſciet exactè, quòd eſt peiore melius: ſi enim ſic accidit, nihil eſt deterius ipſo. Quapropter palàm eſt, quòd neceſſarium eſt, ſi nouerit quis aliquod relatiuorum definitè, & id ad quod dicitur definitè noſſe. Caput uerò & manus & eorum ſingula quæ ſubſtantiæ ſunt, ea ipſa quæ ſunt, ſciri definitè poſſunt, ad quod uero dicantur non eſt neceſſarium ſcire: cuius enim hoc caput, uel cuius hæc manus ſit, non eſt ſcire definitè. Quare non erunt hæc ad aliquid. Si uerò non ſunt hæc eorum quæ ſunt ad aliquid, uerum erit dicere quòd nulla ſubſtantia eorum eſt, quæ ſunt ad aliquid. Fortaſſe autem difficile ſit de huiuſmodi rebus uehementer aſſerere, niſi id ſæpe pertractatum* B *ſit: dubitaſſe autem de horum unoquoque non eſt inutile.*

Ex his} Cum propriam relatiuorum finitionem aſſignauerit, quoddam Geometrarum more colligit ex ea corollarium. Porrò corollariū illi uocant quod cum alterius rei demonſtratione reliquum colluceſcit: quemadmodum ſuperius animæ nobis demonſtrare immortalitatem ſtudentibus, ſimul eſſe apparuit prouidentiam. Et nobis igitur finitionem relatiuorum hic ueram quærentibus, hoc ſimul apparuit, nimirum ſi relatiuorum quis definitè alterū agnouerit, definitè ab eo ſcitum iri & alterum: atq; ſi teneat alterum indefinitè, reliquum quoque indefinitè cogniturum. Si quis enim patrem eſſe nouit Sophroniſcum, idem quoque filium eſſe Socratem intelliget. Nam niſi Socratem norit ut filium, nequeàn pater ſit Sophroniſcus cognouerit. Nonnulli uerò ad hoc aiunt, ſiquis toto obuelato corpore caput tantum nudum exerat aut manum, in hoc partem quidem, uerbi gratia manum uel caput certò agnoſci licere: C quippe partem omnino eſſe nouimus: cuius tamen ſit pars haudquaquam dignoſcimus, nō ergo inquiunt, qui definitè alterum agnouit relatiuorum, definitè & alterum intelliget. Verum præfinitè nos cognoſcere quidem dicimus ut caput uel manum: non uerò definitè etiam ut partem, ſed indefinite: non enim cuius ſit pars, intelligimus. Vt autem ſcimus hoc infinite ſic & id cuius pars eſt infinite cognoſcimus. Cæterum poteſt hoc etiam quaſi ſupra citatas dubitationes ſoluens addidiſſe. Quandoquidem enim ad aliquid quę ſimul natura non eſſent nonnulla eſſe affirmabat, quippe antecedere ſcibili ſcientiam, & ſenſum ſenſibili (nam plerunque rebus inquit præexiſtentibus ſcientias cōparamus) huic igitur ſolutionem hoc loco inferens ait, ſi ea ſunt ad aliquid quibus ipſum eſſe perinde eſt atque quodam pacto ad aliquid ſe habere, ergo ut ſe relatiuorum habet alterū, ita habere & reliquum ſeſe eſt neceſſe. Quare ſi poteſtate ſcientia ſit, poteſtate erit & ſcibile: ſin alterum actu, erit actu & reliquum. Verum de hoc perfecte locuti iā ſumus. {Eo- D dem modo ſi & melius eſſe definitè hoc quidpiam nouit, neceſſe quoq; eſt quonam id melius ſit, definitè norit. Non indefinitè uero ſciet eſſe hoc deteriore melius. Exiſtimatio quippe id genus res eſt, nec ſcientia. Non enim exactè etiā nū deteriore eſſe melius nouerit.} Qui enim quod melius ſit de quoquam cognouit, debet is & ꝙ melius, & cuius rei nomine melius, ſit diſtinctè cognoſcere. Niſi enim qua in re melius ſit cognoſcat, ne an melius ſit quidem dignoſcet. Quomodo enim cum differentiā neſciat qua melius eſſe illo perhibetur. {Nō indefinitè uerò ſciet eſſe hoc deteriore melius. Exiſtimatio quippe id genus res eſt, nec ſciētia.} Exiſtimationem hoc loco obſcuram infirmamq; cognitionem uocat, quæ uelut opinatio eſt, quam græci δόξαν nominant. Sciētia uerò cognitio eſt certa, atq; irrefutabilis exiſtimatio. Quamobrem qui deteriore melius hoc aliquid infinitè nec ſertè eſſe didicit, perinde quaſi erroribus labefactatam cognitionem habeat, de omnium quoque deterrimo, materia inquā, quòd melius ſit aliquo ſuſpicari poſ-

ſet quãdoq; ignarus diſcriminis penes quid melius,& quo A
melius ſit,quod eſt abſurdum. Ex huſce igitur caput & ma-
nuū parteſq́, ſubſtantiarum omnes, quæ ipſæ ſubſtantiæ
ſunt,non eſſe ad aliquid demonſtrat: ſi præfinitè cognoſce
re quidem ipſa ſit, ea uerò præfinitè quorum eſſe dicuntur
nō ſit neceſſe. Ad aliquid enim uocabantur, quoniam ut eo
rum alterum noris, ita & reliquum neceſſe eſt dignoſcas.
Q uocirca non ſunt ad aliquid partes ſubſtantiarum. {Cæ-
terum de talibus acriter pronunciare difficile ei forſitan ſit,
qui de iis non identidem cōſiderauerit. Inutile tamen haud
quaquam eſt de eorum ſingulis dubitando diſquiſiuiſſe.}
Philoſophicè admodum hoc loquitur. Q uoniam enim
manuum & caput ut ſubſtantiam quidem dicit præfinitè
agnoſci, ut partes uero infinitè niſi cuius caput ſit aut ma-
nus intelligatur,ea propter inquit,qui talia non admodum
cōſiderauerit,acriter hunc de ipſis pronunciare non opor
tere. Non de his uero duntaxat,ſed de re etiam qualibet mi
nimè conuenit, addubitare tamen de huiuſcemodi rebus
ac difficultates perſequi eſt neceſſe. Nam facultatis initium B
difficultas, ac quędam ad diſciplinam uia eſt. Hæc autem di
cit, cum nos eius uerbis acquieſcere nequaquam uelit,ſed
nos quoque ipſos quæ id genus ſunt indagare: neq; alio-
rum moueri iudicio.

DE QVALI ET QVALITATE.

QVALITATEM uerò dico, & ſecundum quam quales quidam eſſe dicuntur. Eſt autem qualitas eorum quæ multipliciter dicuntur.

Q ualitatem} Hoc rurſus loco ordinem qualitatis,inſcri
ptis,inſcriptionis cauſam, qualitatis diuiſionem, ac ordinē
diuiſionis ſpecierum perquirimus. Primum itaque de ordi
ne. Conſpicuus autem ea ſupradictis is eſt,in quibus doce-
bamus relatiuis ex eo anteponi qualitatis diſputationem
oportet,ꝙ per ſe hæc ipſa ſpectetur,ad aliquid uerò perti- C
nentia ipſum eſſe in relatione ad aliud obtineant: pluris au
tem ea ſiunt,quæ per ſe ſubſiſtunt, iis quæ ipſum eſſe per ſe
ipſa non poſſidēt: quodq́, ſublato quali,ſimul quoq; ad ali
quid exiſtens in eo perimitur: ut,albius,& calidius,diſcipu-
lus ac præceptor,ſimiliaq́. Q uod ſi non ſint relatiua,qua-
litatem omnem eſſe,nil uetat: quippe relatiua ſubſtantiam
prorſus non habere propriam,ſed pręedicamentis ſuperue
nire aliis diximus. Verum uti dicebamus, propterea quod
relatiuorum Philoſophus ubi de quanto diſſerebat, memi
niſſet, præceptionem de ipſis confeſtim facere habuit ne-
ceſſe,ne diu naturæ ipſorum ignorantia laboraremus. Atq;
hæc quidem de ordine. Cur autem duplicem titulum pręe-
ſcribit de quali & qualitate, nec ut in prædicamentis aliis
ſimplicem? Dicimus aliud quale eſſe, aliud qualitatem.
Qualitas enim,uniuerſali ipſa qualitas ē, à qua participātia
qualia denominatiuè nuncupantur, ut uniuerſalis albedo,
nigredo: quale aūt,corpus eſt particeps qualitatis, quodq;
ab ea denominatiuè appellatur, ut album corpus, aut cali- D
dum. Eſt ergo intellectu ſolo cōprehenſibilis qualitas: qua
le autem cadit ſub ſenſum. Q uandoquidem igitur nomen
eſt duplex qualitatis,uel ut ipſum per ſe ſolo intellectu cō
ſideratur,quale ipſum eſt qualitatis genus: uel ut ſenſu per
ceptibile: duplicem quoq; hac de cauſa inſcriptionem fe-
cit. Præpoſuit uerò qualitati quale: quoniā,utpote ſenſibi-
le, eſt notius ſemper enim à notioribus pęceptionē exor-
diri conuenit. Dicere autem & aliter poſſis: nempe ꝙ qua
litas quoq; ipſa quale ſit: nam de quali & qualitate cōmu-
nius prædicatur quale: quo ſit ut qualitas quoque quale di
catur: quo pacto & nomē communiter uerbi gratia de no-
mine prædicatur ac uerbo. Tametſi enim de qualibus,non
de iis tamen uerba facit primum,ſed qualitatis ipſius gratia
diſſerit: ut oratio de ea perſpicua uelut à notioribus fieret.
Diuidit uerò qualitatem in ſpecies quatuor: quarum pri-
mam habitū & diſpoſitionem uocat: alteram potentiam &
impotentiam: tertiā paſſiuas qualitates paſſioneſq́: poſtre

A mam uerò figuram ac formā. Cæterum ut intelligamus cu
iuſnā rei gratia qualitatis ſpecies quatuor dūtaxat,neq; plu
res pauciores'ue ſint,ac quam ob cauſam in huiuſmodi eas
diſſerit ordinē, qualitatis diuiſionem quandā faciamus. Eſt
ergo uel ſecundum potentiam & impotentiam, uel ſecun-
dum actum qualitas: ſecundum potentiam, ut puerulus eſt
facultate grammaticus: ſecundum impotentiam, ut equus
qui impos eſt percipiendę grāmaticę. Sin ſecundum actum
ſit qualitas,aut perfectiua eſt, aut deprauatiua ſubiecti, aut
nec perfectiua nec deprauatiua. Ac ſi perfectiua quidem de
prauatiua'ue ſit aut affectū in noſtro nequaquā ſenſu gene
rat,aut generat. Atq; ſi affectum non generet quidē,ægreq;
amittatur,habitus: ſin facile, diſpoſitio nominatur. Sanitas
exēpli cauſa & animi uirtus actu & perfectiua eſt,nullumq́;
affectū inuehit: morbus & uitium ſubiectū deprauant. Perfi
ciunt.n.ſubiectum ſanitas & uirtus,quoniam & ſecundū na
turam ſunt: neq; ingenerant affectum, quippe ſenſibus nul-
lis ſuccumbunt. Niſi forte cōſequentia ſanitatis memores,
B ut colorem probum: uel morbi labefactantis,pallorem. Ve
cum ſanitas ipſa & morbus ſimiliaq́, nullis ſenſibus occur
runt: uocantur habitus tamen cum diu perdurant,nec faci-
le amittūtur. Nam uirtutē obtinere in habitu ſeu uitium di-
cimur: nec non ſanitatem uel morbū. Q uocirca bono quo
que tum frui dicimur habitu,cum intēta ſanitas fuerit: quin
& hecticus quidam hoc eſt habitualis uocatur morbus: ma
ioq; rurſus laborare habitu dicimur. Quòd ſi breui finiātur
ac facile deſerant,diſpoſitiones nominantur. Cæterum ſpe
ciem hanc eſſe affirmat qualitatis primam, habitum in-
quam ac diſpoſitionem. Porrò habitum uocant,ſtabilem
qualitatem ægreq́, dimobilem: diſpoſitionem uerò,depo-
ſitu facilem. Sic nanq; habitum rhetoricæ habere eum dici-
mus,qui non eius rationes ac uias duntaxat nouit,ſed obſi-
ſtere quoq; obiectis difficultatibus ualet. At qui cōpos rhe-
thoricæ non admodum eſt,nec facile eius obtinet metho-
dos,alioquin uerò qualitate quodammodo rethorica affe
ctus,nō hunc quidem rhetoricæ habitu præditum,ſed quo
C dam pacto in rhetorica diſpoſitum appellamus. Q uid er-
go? non eſt & habitus diſpoſitio? qui enim poſſidet habi-
tum,diſpoſitionē is multo magis obtinebit. Diſpoſitio qp-
pe tū uniuerſalior eſt,tū particularior: ſecūdum eam enim
quodāmodo ſe habet, qui diſponitur. Nam duplex nomē
eſſe dicimus diſpoſitionis, alterum generalius, quod & de
habitu prædicatur: ſpecialius alterum, quod ab habitu ſeiū
gitur in oppoſitum. Diſpoſitionem itaq; hoc loco non ge
neralem,ſed ſpecialem aſſumpſit,quę ab habitu ex aduerſo
diſtinguitur. Illud uero ſciendū eſt,de iis habitus nomen di
ci,de quibus etiā boni habitus nomē dicitur: habitus enim
bonus eſt ipſius habitus intenſio. Ergo ſi boni habitus no-
men ſolis animatis tribuere conſueuimus, (nemo quippe
bene habere in caliditate ignem dixerit,aut in frigiditate ni
uē) nomen habitus quoq; de ſolis animatis prædicabitur.
Sin uerò actu exiſtēs qualitas,perfectiua deprauatiua'ue ſit,
ac noſtrum circa ſenſum affectum inducat, paſſiua qualitas
nominatur,quaſi noſtro ſenſui affectū importet. Perfectiua
D ut in igne caliditas,aut dulcedo in melle: deprauatiua,ut ui
ni acor,putredoq; in fructibus,aliiſq; corporibus. Perfecti
uæ porrò nō iniuria dicuntur illæ, ſi quidem iis formā mel
atq; ignis fecunt acceptam: hæ uerò deprauatiuæ, quoniā
ſubiecti ſunt corruptrices: ſenſui tamen omnes noſtro affe-
ctū conciliant. Cæterum non ut ab effectu hę fieri dicuntur,
quandoquidē non ſunt per mutationē ſubiecti quampiam
genitæ (de perfectiuis loquor) uerum qualitates ſubſtantia
les ſubiectorum ſunt,quibus itē illa inſigniuntur. Haud ue-
rò ſegmentū hoc ut alterum in facile ęgre'ue dimobile ſub
diuidi eſt neceſſe. Nam illud in ſolis animatis inſebatur,
in quibus deprauatiuas etiam qualitates & perfectiuas fie-
ri atque corrumpi uoluit naturas, ſubiecto autem manen-
te. idcirco & in diuturnas diuidebantur breuiq́, tempore
durabiles: hoc uerò in inanimatis ſegmentum ſpectatur,
in quibus & perfectiuæ ſubiecti, & deprauatiuæ qualita-
tes pariter cū ſubiectis perdurant,ſecumq́, & ſubiecta mar-
ceſcentes extinguunt,ſeu cum ſubiectis marceſcunt,ut in ro.

ſa ſeſe

ſa ſeſe res habet ac malo: quippe horum ſuaueolentia, coloriſq; probitas ubi corrumpitur, ſubiectum quoq; ſecum corrumpit. Verumenimuero habet ſe eodem pacto & deprauatiuæ, cum ſimul & ipſæ cum ſubiectis in quibus gignuntur perdurent atque intereant, qualis uini eſt acor, ac fructuum, corporumq; reliquorum putredo. Quòd ſi & deprauatiua in nonnullis qualitas non diu permanens reperiatur, ut ærugo in argento, aut huiuſmodi quidpiam, talia quidem potiſſimum quis forſitan magis proprie affectus ſeu paſſiones, quæ ad qualitatem referuntur nominauerit. Quoniam uero prorſus, deprauatiua qualitas perfectiuæ prius coniuncta eſt, propterea ꝙ in altera ſubdiuiſionis parte, ea inquam quæ perfectiuas nec paſſionem ingerentes capit, cõſors in omnibus eſt perfectiuæ, (ſiebat enim uel habitus utraq;, uel diſpoſitio: atq; in ſolis animatis conſpiciebatur.) idcirco & in parte altera, nempe hac propoſita, neceſſariò illi coniuncta, cum ea per omnia eſt delata: neque in diu breuiq; durabile diducta, atque effigiem ꝙ affectum inuehat, potius recipiens, quàm ex eo ꝙ ab affectu inducatur. Connexæ hæ porro inter ſe ſunt perfectiua inquã & deprauatiua, ne multifida diuiſio reddita, poſſet oculis tota incommodè ſubiici, atq; in eadem ſegmenta diſcerpi cogeretur. Sin nec perfectiua ſit nec deprauatiua qualitas, aut in profundum penetrat, aut per ſumma diffunditur. Ac ſi alte deſcendit, aut difficilis abiectu eſt, aut facilis. Si uix ergo abiiciatur, paſſiua qualitas dicitur, quaſi à paſſione innaſcẽs: ut dulcedo in iure: uel ab ortu pallor. Haud uerò hæc paſſionem circa ſenſum noſtrum ueluti ingenerans uocatur, quanuis ipſa quoque ingeneret: ſed tanquam à paſſione innaſcatur, propterea ꝙ ipſam peculiarius ab eo quod ipſi magis ineſt appellauimus. Id enim ipſius figuram magis expreſsè repræſentat, uidelicet ſecundum mutationem ſubiecti eſſe genitam, hoc eſt ſecundum paſſionem, quàm ꝙ eandem ſenſui noſtro inducat. Sin autem reiici queat facilè, id eſt breui tempore permaneat, niſi paruo negocio emendetur expellaturq;, paſſio dicitur ad qualitatem relata: ut pallor ex diutino morbo: et fuſcus color ex multo ſolis æſtu contractus: quæ ſeſe propterea quoque ſub qualitatem recipiunt, quoniam proprium & in his conſequens ſeruatur qualitatis, nempe id quod eſt, denominatiuè ab ea, quæ participant appellari. Quod ſi facilè emendetur, paſſio ad pati prædicamentum relata nuncupatur: ut ſiquis ex palluerit metu: uel pudore erubuerit. Hæc enim ne qualitates cenſent quidem prorſus appellandas: quoniam nec qui ita affecti ſunt, denominatiuè ex ipſis uocitur. Nemo enim qui uerecundia, (inquit) erubuit, rubicundum: aut qui impalluit metu, pallidum nominauerit. Tertia autem ex hiſce ſpecies ſit qualitatis, quæ ſunt qualitates paſſiuæ paſſioneſq;: paſſiuam qualitatem eam uoco, quę ceu paſſionem intus generat, quæq; ut à paſſione innaſcitur: & paſſionem eam tum quæ ad qualitatem, tum quæ ad pati prædicamentum redigitur. Nam ſunt priora quidem tria qualitates, quarta uero paſſio eſt. Verum quo pacto ſubiiſſe hæc in profundum dicimus, pallorem inquam atque erubeſcentiam, cum circa corporis ſumma duntaxat ſpectentur? Dicimus non ſine mutatione in profundo factam, circa ſuperficiem eſſe id genus qualitatem. Nam ſicuti ab ortu rubicundi, tales temperaturæ eiuſmodi cauſam extitere, ſuperante nimirum in ipſis calore, atq; ad ſuperficiem erumpente: ſic rubei quoq; uel pallidi per timorem aut uerecundiam redditi, ſine mutatione in profundo tales haudquaquam euaſere. At uerò ſi actu qualitas neq; perfectiua neq; deprauatiua ſit, ac ſuperficiẽ occupet, atq; in inanimatis habeatur imaginariiſq;, figura: in animatis uerò, forma ſeu græce μορφὴ nuncupatur: in imaginariis quidem, ut mathematicis omnibus, triangulis inquam, & circulo, ac reliquis figuris. Hæc namq; ipſum eſſe in ſola imaginatione obtinent. In inanimatis uero, lignis, lapidibus, ſimilibuſq;: quippe imaginaria, hoc eſt figuræ quæ inanimatis inſunt, ea quoq; tali ratione eſſe aut tali diſpoſita pro figurarũ differentiis, faciunt. In ipſis uerò animatis ut animalibus omnibus forma ſeu μορφὴ circa ſuperficiẽ ſolã cõſideratur. Quid ergo, non'ne formã

A habere & ſtatuã dicimus? Verũ non prima ratione. Figurã enim habere in primis dicitur, ſecundaria uero ratione & formã, ex eo.n. quoniam animati imitamen eſt, in quo & forma exiſtit, forma quoq; de ea abuſiue dicitur. Habes & ſpeciem quartã qualitatis, figuram inquam ac formã: reddetq; deſcriptio diuiſionis faciliorẽ captu rationẽ nobis ac uiã. Aperuit itaq; nobis diuiſio, cuiuſnã rei gratia ſolæ ſpẽs quatuor neq; plures neq; pauciores ſint qualitatis. Hæc uerò de earum ordine pronunciamus. Statuit quidẽ iure ſpeciem habitudinis ac diſpoſitionis primã: quandoquidem enim circa animata eæ uerſantur, præſtãtiora uerò ſunt omnibus animata, qualitas quoq; quæ in iis uiſitur iure ſibi primas uẽdicauit. Meritò autem ſecunda per potentiã ſpecies eſt atq; impotentiã. Nam quoniam potentia & impotẽtia naturalis quædam eſt aptitudo: quippe & puerulus naturalem quandã habet poteſtatem ſuſcipiendæ grãmaticæ uel rhetoricæ: & equus naturalẽ talium percipiendorũ impotẽtiam: ignis quoq; naturalẽ calefaciendi facultatẽ obtinet, B ſimiliterq; id genus alia, ſecunda uero ſunt ab animatis naturalia, qualitatis quoq; per potentiã & impotentiam ſpecies cum in naturalibus rebus uerſatur, ſecundũ locũ non immeritò obtinet. Quoniam uero naturali quadã ante præditũ eſſe aptitudine, dein ſecundum eam aut facere quidquã aut pati cõuenit. Nam niſi prior aptitudo exiſtat, utiq; nec pati quis poterit aut facere: quandoquidẽ Amiantum exempli gratia aptitudine ad hoc ut uratur, uacat: neq; ſi ſexcenties quis ignem admouerit, cõflagrabit: at lignum poteſtate ut uratur præditum, igne adhibito uretur. Habent & paſſiuæ ob id qualitates paſſioneſq;, tertium inter ſpecies qualitatis ordinẽ: quoniam nemo, uti diximus, facere ſecundũ eas aut pati ualeat, nõ prius facultate in eo exiſtente aliqua quę apta ſit ad eiuſmodi res capeſſendas. Cæterum figura & forma cum ſola ſuperficie conſiderentur, ſedem ſunt poſtremam ſortitæ, paſſiuis qualitatibus atq; affectibus uſq; in profundum peruenientibus. Hæc quoq; de ſpecierũ ordine. Sciendũ uerò modis pluribus eandẽ dici qualitatẽ poſ- C ſe: ut calor in igne paſſiua qualitas eſt nã ſenſui noſtro paſſionem inducit. In nobis uerò, ut febris, paſſiua qualitas nẽpe à paſſione ingenita. In ferro candente, atq; calorẽ pee diem, uerbi gratia, feruante, paſſio quæ ad qualitatem refertur. Calor autẽ qui nobis forte iuxta ignẽ ſit prætereuntibus, paſſio eſt quæ ſub pati prædicamentũ redigitur. {Qualitatem autẽ eam uoco, ſecundũ quã quales eſſe quidam dicuntur.} Cur qualitatis præceptionẽ facit per quale? Rñdemus quoniam manifeſtius quale eſt, ut iam docuimus, uelut ſenſui perceptibile. Ac deniq; à quali in qualitatis notionem uenimus: quippe album in lacte, in niue, in ceruſſa conſtituti, in albedinis notitiam uenimus: ſimiliter guſtato melle, & palmula, & carica, in dulcedinis intelligentiam deducimur. Ex quali igitur, utpote planiore, præceptionem conficit. Porrò ipſum id cui impertitur, quale: id quod impertitur, qualitas eſt. Sed quamobrẽ uerba adiacent illa, ſecundũ quã quales eſſe quidã dicuntur? an ob luborẽ ex uerecundia, & pallorẽ ex metu? non ſunt.n. qualitates hæ: quoniam D nõ rubicundi uel pallidi qui ſunt pudefacti ac territi dñr: nã anteuertit appellationem mutatio: ſed erubuiſſe atq; expalluiſſe: quod appellationem nõ anteuertit. Eadem de cauſa non ad qualitatem ſed ad prædicamentum pati hęc paſſio refertur: ſiquidẽ non patientes, ſed paſſi duntaxat nominãtur. {Eſt uerò qualitas ex eorum numero quæ multifariam dicuntur.} Quonã pacto multifariã: hoc eſt ſecundũ ea quę uelut ab uno atq; ad unũ pertinent: ſed nõ uti uox æquiuoca. Multifariã igitur dici qualitatem affirmat: hoc, cũ dicat, non æquiuocè, ſed modo diuerſo appellari indicat. Nã dici multifariã, non ęquiuocè ſignificat, ſed hoc in loco, differenter. Nã ſi ęquiuocè eſſet ſumptũ, in diuerſa ſignificata diductio fieret. Verũ quoniã pro differenter acceptum eſt, diuiſio idcirco ut generis in ſpecies obitur. Vtrum ergo non eſt qualitas genus? quamobrem igitur ſpecierum eius prima alia dicitur, alia ſecunda? Reſpondemus non quatenus qualitates primam hanc, ſecundam eſſe illam, ſed dignitate duntaxat differre: ut homo quoque differt ab equo.

49 *Vna quidem igitur ſpecies qualitatis, habitus & diſpoſitio di cantur. Differt autem habitus à diſpoſitione, quòd permanentior & diuturnior eſt. Tales uerò ſunt ſcientiæ & uirtutes, ſcientia enim uidetur eſt permanentium, & diuturnorum, ſi quis uel mediocriter ſumat ſcientiam: niſi grandis permutatio facta ſit, uel ab ægritudine, uel ab aliquo huiuſmodi. Similiter autem & uirtus, ut iuſtitia, & temperantia, & ſingula talium non uidentur poſſe facilè moueri neque facile permutari. Diſpoſitiones uerò dicuntur, quæ ſunt facilè mobilia: & citò permutantur, ut calor, & infrigidatio, & ægritudo, & ſanitas, & quæcunque alia huiuſmodi. Afficitur enim quodammodo ſecundum eas homo: citò autem permutatur, & ex calido frigidus fit, & ex ſanitate in ægritudinem tranſit. Similiter autem & in alijs: niſi aliqua earundem contingit per temporis longitudinem congenita & immobilis, uel omnino difficile mobilis exiſtens: quam iam quiſpiam ut habitum uocet. Manifeſtum eſt autem quòd hæc uolunt habitus dicere, quæ ſunt diuturniora & difficilius mobilia. Nanque diſciplinas non multum retinentes, ſed facile mobiles exiſtentes non dicunt habitum habere: & tamen diſpoſiti ſunt aliquo modo ſecundum ſcientiam, peius melius'ue. Quare differt habitus à diſpoſitione, quòd hæc quidem facilè mobilis ſit: ille uerò diuturnior & difficilius mobilis. Sunt autem habitus, & diſpoſitiones: diſpoſitiones uerò, & non neceſſe eſt habitus eſſe. Qui enim retinent habitum: & quodammodo, diſpoſiti ſunt ſecundum ipſos: qui autem diſpoſiti ſunt, non omnino retinent habitum.*

Vna quidem} Species prima qualitatis habitus ac diſpoſitio eſt. Differt uerò inquit à diſpoſitione habitus, quod amittatur facilè diſpoſitio, habitus non facilè: quodq; habitus omninò & diſpoſitio ſit, diſpoſitio autem non etiam habitus neceſſario.{Tales porrò ſcientiæ uirtuteſq; ſunt. Videtur enim ex iis quoque ſcientia eſſe quę tenatius adhærent nec facile dilabuntur, tametſi mediocriter ſcientiam acceperis: modo ne magna ſit uel à morbo facta uel alio quoquam eius generis mutatio.} Vocat hoc loco ſcientias non eas quæ certæ & errore carentes ſunt, ſed artes abſolutè omnes ſingulaſq;. Fit igitur hoc ſignificato, ut ſcientiæ tum grammatica, tum fabrilis ars, tum mechanicæ artes reliquæ ſint: ſtabilis enim ſunt quidam habitus ſingulæ. Tribus autem modis nominatur ſcientia. Nam & cuius ſubiectum errore uacat, atque ſecundum eadem ac eodem pacto perpetuò habet, ſic dicitur: qua ſignificatione & Geometria, & Aſtronomia, & Arithmetica ſcientię habebuntur. Medicina, ſi hoc ſignificatum attendas, non item, cum circa ſubiectum fluxile uerſetur. Vocatur ſcientia & ea quæ ex principiis per ſe fidem facientibus emanat, atque hæc re uera ſcientia eſt, quam philoſophiam ſuppoſitionibus carentem, ſeu græce ἀνυπόθετον nominant: propterea quòd ex communibus animi cōceptibus prodeat. Hac porrò ratione neque Geometriam, neque Aſtronomiam, neque ullam eius generis, ſcientiam appellabis: quoniam non ex principiis per ſe fidem facientibus oriuntur, ſed demonſtratione indigentibus. Sunt enim Geometriæ principia, punctum, linea, ſuperficies, ac ſimilia: definitq; horum quodlibet Geometra, punctum id eſſe inquiens cuius nulla pars eſt: lineam uerò, longitudinem latitudinis expertem: ac cætera uti habent. At horum demonſtrationem, quamobrem inquam ſine partibus punctum ſit, uel linea longitudo carens latitudine, non iam quatenus Geometra eſt, nouit: ſed horum faciendas demonſtrationes ad primū philoſophum relegat: cū ſcientia nulla ipſa ſui ipſius principia demonſtret. Quæ ergo non ex creditis per ſe principiis proficiſcuntur, eæ ne ſcientiæ quidem propriè fuerint id quod uel Plato affirmat. Cui enim ſunt quæ non nouit principia, media autem finiſq; ex iis ſunt quæ ignorat, quomodo adeſſe huic poteſt ſciētia? Eſt uerò & tertia quædam ratione ſciētia paratrix uitæ, (græci ἐπιστημονικὴν nocãt) intelligens quæ antecedere, quæ ſequi conueniat. In quo ſignificato ſcientia eſt tum Medicina, tum Mechanica ars omnis: qua ſanè ſignificatione ſciētiæ & hoc loco uſus eſt Philoſophus. Virtutes autem hic dicit perfectas, eas nimirum quæ & quòd ſit ſciant, & quamobrem ſit. Sunt enim uirtutes aliæ naturales, nam ſunt qui naturalem temperantiam obtinent quandam, aut mites natura ſunt: qua uirtute bruta quoq; prædita feruntur nonnulla, ut turtur & cornix caſtitate, ciconiæ iuſtitia. Aliæ morales, quæ honeſtum eſſe iuſtitiam, & omnem ſimpliciter uirtutem norunt, quam autem ob cauſam honeſtum ſit haud norunt: ſed hoc, qui prædictis ſunt ex partibus aut præceptoribus recta opinione inſtituti, intelligunt. Aliæ ciuiles, quæ ſimul & quòd ſit, & quamobrem ſit, cognoſcunt: quædam autem purificæ. Porrò à ciuilibus differunt purificæ eo, quòd circa inferiora ciuiles uerſentur, honeſtioreſq; arripiāt uoluptates, ac tempus & locum & quantitatem obſeruent: qui autem purè agunt, haudquaquam curent deteriora, uoluptateſq; ſemel contemnant. Sunt uero & contemplatiuæ quædam uirtutes. Itaque uirtutes hic, ut commonuimus, perfectas intelligit, nempe & ciuiles & purificas & contemplatiuas.{Modo ne magna ſit uel à morbo facta, uel alio quoquam eius generis mutatio.} Conſentaneum enim eſt ut diuturno aliquo uexatus morbo aut alioquin negociis impeditus ob poſt habitam meditationem ſcientiam amiſerit.{Dicuntur uero diſpoſitiones eæ quæ ſunt permobiles ac cito mutantur, ut caliditas, & frigiditas, & morbus, & ſanitas, atque id genus reliqua. Diſpoſitus quidem homo quodam pacto iis dicitur, non habitum tamen obtinere. Niſi harum quoq; aliqua ipſarum temporis diuturnitate iam in naturam abierit, ſitq; inſanabilis aut uix admodum dimoueatur, quam quis habitum forſitan appellauerit.} Talis enim non amplius diſpoſitio, ſed habitus nominatur. In naturam autem inquit abierit, hoc eſt mutata fuerit in naturam, atq; ob conſuetudinem multi tēporis ipſa natura euaſerit.{Qui enim participes nō admodum ſunt ſcientiarum, eos obtinere habitum haudquaquam dicūt.} Nam qui in grammatica uel rhethorica, uel de quibuſcunq; rogetur rhetoricę uel grammaticæ ſpeculaminibus, ad reſpondendum eſt promptus, rationemq; de iis reddit, atq; oborientes difficultates impigrè ſoluit, hunc rhetoricæ habere aut grammaticæ habitū affirmant: ſin eſt altera qualitate earum quodam pacto ſeu modicè perfuſus, non is quidem habitum obtinere harum dicitur, ſed iis quodam modo diſpoſitus.{Nā qui ſunt habitus, ii diſpoſitiones quoq;. At quæ diſpoſitiones, eæ non habitus ex neceſſitate ſunt.} Sicut enim de nomine & uerbo prædicatur nomen, eſtq; nomen tum genus nominis & uerbi, tum quod à uerbo è regione diſtinguitur, ita diſpoſitio quoq; altera ut genus de habitu ac diſpoſitione dicitur, altera ut ſpecies ab habitu in aduerſum ſemouetur. Quo fit ut qui habitus eſt, is & diſpoſitio ſit prorſus, quoniam genus eſt eius diſpoſitio: at quæ diſpoſitio, non protinus & habitus: nam per contrariam ab ea diſtinctionē dicitur habitus.

Aliud uero genus qualitatis eſt, ſecundum quod pugilatores uel curſores uel ſalubres uel inſalubres dicimus, & ſimpliciter quæcunque ſecundum potentiam naturalem uel impotentiam dicuntur. Non enim quoniam ſunt diſpoſiti aliquo modo, unumquodq; huiuſmodi dicitur: ſed quòd habent naturalem potentiam uel impotentiam, facilè aliquid facere, uel nihil pati: ut pugilatores uel curſores dicuntur, non quòd ſint diſpoſiti aliquo modo, ſed quòd habeant potentiam naturalem aliquid facile faciendi. Salubres uerò dicuntur, eo quòd habeant potentiam naturalem, ut nihil à quibuslibet accidentibus facilè patiantur: inſalubres uerò quòd impotentiam habeant naturalem nihil facile accidentibus patiendi. Similiter autem his durum & molle ſe habent. Durum enim dicitur, quod habeat potentiam non facile ſecari: molle uerò quod eiuſdem ipſius habeat impotentiam. 50

Aliud

A Aliud uero} Species eſt hæc ſecunda qualitatis, quæ potentia inquam conſtat atque impotentia. Sed hic genus ipſam qualitatis appellauit: genus.n. qualitas generaliſsimum eſt. Atnnt pro ſpecie genus ab, Ariſtotele dictum, ne ſpeciẽ quis hanc eſſe putaret ſpecialiſsimam. Huiuſce rei argumẽtum ideſt, quòd non genus generaliſsimum, ſed genus dixit, ut ſubalternum genus eſſe, ſpeciem uero quæ ſub qualitate ponitur indicaret: perinde ac ſi diceremus genus eſſe ſubſtantiæ animal, hoc eſt ſub ſubſtantia. Speciem igitur tradit qualitatis ſecundam ut diximus, quæ ad potentiam & impotentiam pertinet, ac ſecundum quã pugilicos, uel curſorios, uel ſalubres, uel ualetudinarios uocamus. Porrò eos pugilicos aut curſorios nominat, qui naturam ad horũ aliquod idoneam poſsident, hoc eſt qui tales ſunt facultate. Ac qualitatis prima quidem actu ſpecies cõſideratur, habitus inquam ac diſpoſitio. Secunda poteſtate. Aliud enim eſt pugilem, aliud pugilicum dicere: & aliud curſorẽ, aliud curſorium. Quippe actu pugil curſorq; eſt, poteſtate uero

B pugilicus atque curſorius, qui nondum actu quidem eiuſmodi eſt, cæterum ut talis fiat natiuam obtinet facultatem, id eſt aptitudinem. Qui eſt actu pugil aut curſor, nõ is amplius per naturalem poteſtatem dicitur, ſed habitum uel diſpoſitionem habet. Pugilicum autem nominamus infantẽ cui longę ſunt manus, tanquam ad certandum ſummis manibus utiles: & infantem curſorium qui plethoricus nõ eſt, ſed bene ualet. Quomodo uero & impotentiam qualitatem nuncupat? quoniam diſpoſiti hac ſumus quodam pacto. Equum enim dicimus, propterea ꝙ tali diſpoſitus ratione ſit, impotentiam habere frenitæ capeſſendę. Ac demum in quibus poteſtatem, in iiſdem quoque impotentiam contemplamur. Nam qui præditus patiendi eſt facultate, habet is & non patiendi impotentiam. Et qui facultate pollet non patiendi, is patiendi impotentiam obtinet. Poteſt enim pugilicus facere, poteſt & non pati ſaluber: quippe ab ægrificis cauſis peſtilentia ſæuiente non facile corripitur: nec facere poteſt conſilio tardus, de quo dictum eſt: Dilatorem operum nunquam non noxa fatigat. Facere non

C poteſt ignis ut refrigeret: facere non poteſt ignis quin calefaciat. Neque poteſt non pati molle: aut ualetudinarius peſtilentia graſſante: at pati durũ non poteſt. Alia ratio. Quoniam genus idem eſt oppoſitorum. Siue igitur quis hæc ut contraria oppoſita eſſe uelit, ſub quo genere unum habetur contrariorum, eodem ſeſe & alterum recipiet: ſi quidem & album & nigrum quæ ſunt contraria, ſub eodem genere uidelicet qualitate ponuntur. Ergo ſi ſub quali potentia collocatur, ſub eodẽ collocabitur & impotentia. Siue hæc mutuò aduerſari ſibi per priuationem atque habitum malis, ea ſic quoque ad idem genus reduces: nam cuius eſſe fertur habitus generis huius quoque priuatio dicetur, ut oculi: eſt enim eius & uiſus & cæcitas. Itaque ſub quo genere continetur habitus, ad idem priuatio quoque reuocabitur. {Non enim quale horum quoduis dicitur quod diſpoſitum ſit quodam modo.} Quaſi dicat non enim ii propterea ꝙ actu ſint, tales dicuntur: ſed quod eiuſmodi poteſtatem habeãt. Porrò uocatur tribus modis facultas. Nam

D aut ex eo nominatur ꝙ ad faciendum ſit quiſquam natura idoneus, hoc eſt facultatem quiſquã ad faciendum habeat, aut ꝙ ad patiendum, aut ꝙ ad non patiẽdum. Exemplum. adeſſe ualetudinario poteſtatem patiendi dicimus à multa ambulatione, aut ſolis ardore: ſubeſſe uerò ſalubri uim à talibus non patiendi: & fabro ianuæ faciendę facultatem adeſſe. Quot autem modis dicitur potentia, totidem & impotentia dicetur. Habet enim qui poteſt pati, impotentiam non patiendi: & qui poteſt non pati, patiendi habet impotentiam. Non iam uero qui facere poteſt, is omnino & nõ faciendi impotentiam obtinet. Quamobrem igitur ut cum patiendi potentia non patiendi quoque aſſumpſimus impotentiam, non itidem cum faciendi ui impotentiam non faciendi commiſimus? Reſpondemus, quoniam res quædam ſunt quæ ad faciendum duntaxat, nequaquam uerò & ad non faciendum uim habent: ut in libro quoque Ariſtoteles de interpretatione inquit: partim utroque ſpecta-

A ce potentiam, partim ad alterum tantum ſeſe habere contrariorum. Ancipitis eſt, naturæ quæcunque potentia rationali conſtat ſpecie: poſsidet contrariorum ſolum alterum, quæ eiuſmodi non eſt. Poteſt uerbi gratia ſanare Medicus, ſed nihilo minus & non ſanare: faber quoque ianuam potens conſtruere, nihilo minus & non conſtruendæ ianuæ præditus eſt facultate. At uerò calefacere cum poſſit ignis, non poteſt prætere a & non calefacere: ſimiliter cum adſit & refrigerandi uis niui, non inſuper uis quoque non refrigerandi præſto eſt. Et Deus cum faciendorum bonorũ facultate polleat, non eſt item & non faciendorum compos. Habentq; iure optimo poteſtatem ad utrunque rationabilia: quoniam non in iis poteſtas ſimul cum uoluntate progreditur. Nõ enim quæ uolunt, poſſunt & ea omnino: nec quæ poſſunt, ea etiam uolunt. Deus tamen Opt. Max. comitem uoluntati poteſtatem habent. Nam ſi uelle quidem dicamus cum, cæterum quæ uelit non poſſe, fatua eſſet uoluntas. Quẽadmodum fatuus & homo ille eſt, qui ea uult

B quę cõſequi nequit, ut uolare, immortalis'ue eſſe. Rurſum ſi poſſe cum quidem non autem uelle affirmemus, inanem facultatem obtinebit. Nã ſi facere poteſt quiſquã aliquid, nec facere id uelit, omnino non faciet, nec facultatem in actum prouehet. Quapropter inanis erit facultas, quæ nunquam actu illuſtretur. Eam ob rem ipſum in deo poſſe duntaxat dicimus, haud uerò etiam non poſſe: quoniã quæ poteſt, uult ea quoque: uolens autem, facit etiam prorſus: nec fortè quidem facit, fortè uero non facit. ſed facit omnino. Quidquid enim uult poteſt, & uult quidpiam poteſt. Porrò hic uoluntatem non quod græci βουλεύεσθαι uel βουλὴν appellant, hoc eſt conſulere uel conſultationem, ſed τὸ θέλημα, hoc eſt id quod lubet, uocamus. Nam neque conſulere propriè de Deo dicitur aut conſilium, nihil aliud cõſilium eſt, ut Ariſtoteles tradit, quàm prudentiæ defectus: quid enim facere oporteat, & utrum hoc faciundum an illud ſit neſcientes, cõſulimus. Nam in quibus eſt prælectio, in iis & cõſiliũ eſt, ſi eſt prælectio nihil aliud quidẽ quàm

C hoc præ illo eligere: conſilium autem rerum electionis gratia fit: conſulimus uero ignari: ignoramus prudentiæ inopes. Nam minimè eum latent res gerendę, cui ſuppetit prudẽtia: quippe uirtus ea eſt abſolutiſsima. Ergo ſi Deus quoque prudentia ipſe eſt, conſilio non egebit, ſi per defectum id fiat prudentiæ. Itaque his de cauſis Ariſtoteles rationalem ſolam eſſe facultatem in utrunque dixit procliuem. Verum ſi ſit exquiſitius loquendum, appetẽdi facultas omnis ad utranque partem habet momentum: præter appetitricẽ uerò, tum hac præſtantior, tum deterior, omnis membrum alterum contradictionis duntaxat poſſidet, ut iam in igne niueq; mõſtrauimus. Igitur ſi faciendi ſolum facultatem in rebus quibuſdam locum habere oſtenſum eſt, haud uerò & partem quoque contradictionis alteram, meritò non ut in patiendo ipſum non pati ex aduerſo collocauimus, ſic uolumus in faciendo id etiam quod eſt non facere oppoſitum ſtatuere: non enim omnem prorſus facultatem ſequitur impotentia. Porrò & deſcriptionem eorum ac negatio-

D num ſic facere conuenit.

Deus comitẽ uoluntatis poteſtatẽ hēt. Idem habet Auer. in li. de diſput. xi. ſ ſolutione pri me dubit ubi ait. poſſe Dei nõ deficiet a uoluntate eius ſicut deficit in homine.

AFFIRMATIONES NEGATIONES.

Poteſt facere,	Valetu- bres	Non poteſt facere,
Poteſt pati,		Non poteſt pati.
Poteſt non pati.	Salu- dinarii	Non poteſt nõ pati.

Itaque eas ob res triplicem hanc ipſe ſpeciem tradit poteſtatis. Ac eam quæ faciẽdi eſt, inquiens, Pugilici enim uel curſorii dicuntur, non quòd diſpoſiti ſint quodam pacto, ſed facultatem facilè quidquam faciendi habeant: hic facie

di eſt facultas. Salubres uerò appellantur, ꝙ naturalem habeant nihil à quibuſuis facilè patiendi poteſtatem ecce & ſecunda. Valetudinarij uerò, ꝙ natiuam impotentiam nihil à quibuſcunque patiendi obtineant. tertia hic. Nam habent quidem ualetudinarij poteſtatem facilè patiendi, non patiendi uero impotentiam, ſalubres contra. Optimè dixit ſalubria non à quibuslibet affici, ut ab æſtu, uel flatu, aut à quibus denique affici ſalubria noluit natura: affici enim poſſent à gladio, uel igne, aut huiuſmodi quouis alio. At morboſa poteſtatem à quouis obuio patiendi habent: impotentiam uero non patiendi. Simile his eſt & durum & molle. Habet nanque illud poteſtatem quo minus diuidatur facilè, atque huius ipſius impotentiam: molle autem potentiã ut facilè, impotentiam ut minimè diſſecetur.

51 *Tertium uero genus qualitatis eſt, paßibiles qualitates & paßiones. Sunt autem huiuſmodi, ut dulcedo & amaritudo, & auſteritas & omnia his cognata: amplius, & calor & frigus, & albedo & nigredo. Quòd quidem igitur & hæ qualitates ſint, manifeſtum eſt. Quæcunque enim has ſuſceperint, ipſa qualia dicuntur ſecundum ipſa: ut mel quoniam dulcedinem ſuſcepit, dicitur dulce: & corpus album, quoniam albedinem ſuſcepit: ſimiliter et in ceteris. Paßibiles uerò qualitates dicuntur, nõ quòd ea quæ illas ſuſceperint qualitates, aliquid patiantur (neq; enim mel quoniam aliquid paſſum ſit dicitur dulce: neq; aliquid aliud huiuſmodi) ſimiliter autem his & calor & frigus paßibiles qualitates dicuntur: non quòd ea quæ illas ſuſcipiunt aliquid paſſa ſint: ſed quoniam ſecundum ſenſus unaquæque dictarum qualitatum paßionis effectiua eſt, paßibiles qualitates dicuntur. Dulcedo enim paßionem quandam ſecundum guſtum efficit: & calor ſecundum tactũ: ſimiliter autem & aliæ. Albedo autem & nigredo & ceteri colores non eodem modo ijs quæ dicta ſunt paßibiles qualitates dicuntur: ſed eo quòd ipſæ ab aliqua paßione innaſcantur. Quoniã enim fiunt propter aliquam paßionem multæ colorum mutationes manifeſtum eſt: erubeſcens enim aliquis, rubens factus eſt: & timens pallidus & unumquodq; talium. Quare etiam ſi quis natura aliquid talium accidentium perturbationum'ue paßus eſt, ſimilem colorem uerisſimile eſt eum habere. Quæ enim affectio nunc in eo quòd uerecundetur, circa corpus facta eſt, etiam ſecundum naturalem conſtitutionem eadem fieri poteſt affectio, ut & naturalis color ſimilis ſit. Quæcunque igitur talium accidentium ab aliquibus paßionibus difficilè mobilibus & permanentibus principium ſumpſerunt, paßibiles qualitates dicuntur. ſiue enim ſecundum naturalem conſtitutionem pallor ſit aut nigredo, qualitates dicuntur (quales enim ſecundum eas dicimur) ſiue propter ægritudinem longam, uel propter æſtum talem contigit nigredo uel pallor, & non facilè prætereunt, uel etiam per uitam permanent, paßibiles qualitates & ipſæ dicuntur: ſimiliter enim quales ſecundum eas dicimur. Quæcunque uero ex ijs quæ facilè ſoluuntur & citò tranſeunt, fiunt, paßiones dicuntur: qualitates uerò minimè: non enim aliqui ſecundum ipſas dicuntur quales. Neq; n. qui propter uerecundiam rubens factus eſt, rubens dicitur. neq; cui pallor propter timorem uenit, pallidus eſt: ſed magis eo quòd aliquid paſſus eſt. Quare paßiones quidem huiuſmodi dicuntur. qualitates uerò minimè. Similiter autem his & ſecundum animam paßibiles qualitates et paßiones dicuntur. Quæcunque. n. mox in naſcendo ab aliquibus paßionibus difficulter mobilibus fiunt, qualitates dicuntur & ipſæ: ut amentia, mentis alienatio, & ira, & alia huiuſmodi. quales enim ſecundum eas dicuntur i. iracundi, atq; amentes ſimiliter autẽ & quæcunq; alienationes non naturales, ſed quæ ab aliquibus alijs accidentibus factæ ſunt difficilè prætereuntes, & omnino immobiles, qualitates ſunt etiam huiuſmodi: quales. n. & ſecundum eas dicuntur. Quæcunq; uerò ab ijs quæ facilè & citò prætereunt, fiunt, paßiones dicuntur: ut ſi quis contriſtatus, iracundior fiat: non enim dicitur iracundus, qui huiuſmodi paßione iracundior eſt: ſed magis quòd aliquid paſſus. Quare paßiones quidem huiuſmodi dicuntur, qualitates uerò minimè.*

Tertiũ uero] Genus rurſus pro ſpecie dixit. Quo autem genera ea nuncupauit, ſi ſpẽs hæ ſunt qualitatis: Quoniã habẽt & ipſa ſubiectas ſibi ſpecies alias, quarum ſunt genera. Hoc autem genus quatuor modis cõſideratur. Adeſt n. aut omni ſpeciei paſſiua qualitas, ut album omni niui: aut non omni, naturaliter tamẽ atq; ab ortu, ut nigrum Æthiopibus. Atq; ſi omni, aut completiua ſubiecti eſt, aut minimè completiua eſt, ut niuis albedo ac frigiditas: & ignis caliditas ſiccitasq;. Quam enim rationem habet habitus ad paſſiuam qualitatem, & diſpoſitio ad paſſionem, hanc habet album ad frigidum (diſgregat. n. utrunq;) & nigrum ad calidum, & congregant n. ambo: non tamen hæc eadem ſunt. non cõpletiua uero, ut nigritia coruorũ, atq; olorũ cādor. non. n. complet coruum nigritia (ut productum ſæpe eſt) propterea ꝙ deplumatus, niger quidem non eſt amplius. coruus tamen eſt nihilominus. Et aliter. quoniã in definitione ipſorum, nõ eiuſmodi uſurpamus qualitatum differentias, niſi ſæpenumero ſubſtantialium differentiarũ egeſtate coacti. Nihil. n. mirum eſt, cum ſimus homines, nõ in omnibus ſubſtantiales à nobis differentias inueniri, eaq; de cauſa cogi nos, res qualitatibus huiuſmodi ſignare. Si igitur ſpeciei omni competat, completiuaq; ſit, paſſiua qualitas nominatur ut ſenſui noſtro paſſionẽ ingerẽs. Sin in tota ſit ſpecie, quã tamen non cõpleat, paſſiua dicitur qualitas uelut à paſſione innaſcens, ut nigredo coruorũ. At ſi ſpeciei non ineſt omni, aut diuturna eſt, aut breui finitur. Si diuturna, rurſus paſſiua qualitas fertur quaſi à paſſione inuecta, ut dulcedo in iure, ut ab ortu pallor ac rubor. Sin ſpeciei nõ omni conueniat, breuiſq; permaneat, nec facile emẽdetur abijciaturq; paſſio dicitur ad qualitatem relata, ut pallor ex morbo diuturno, aut ex multa hyeme oborta frigiditas. Sin facile deponatur cõfeſtimq; emendetur, paſſio ad pati prędicamẽtũ pertinens uocatur, ut ex intẽpeſtiuo metu pallor, ut rubor ex uerecundia. Talia. n. qualitates apppellare non dignatur Ariſtoteles: quoniam nõ ab us denominatiuè participes dicuntur. Deſcriptio autem rurſus diuiſionem faciet conſpicuam ac ſubijciet oculis.

Qualitas paſſiua ſpeciei adeſt.

Omni.

Completiua ſubiecti, ut albedo & frigiditas niui, eſtq; ſenſui noſtro paſſionem ingerens qualitas.

Non completiua ſubiecti, ut nigrum in coruo. & paſſiua eſt qualitas à paſſione innaſcens.

Non omni, naturaliter tamen, & ab ortu, ut album æthiopi.

Diuturna, & eſt qualitas à paſſione innaſcens, ut dulcedo in iure.

Breui durans.

Nõ facile emẽdabilis. eſtq; paſſio ad qualitatem relata, ut pallor ex morbo diuturno.

Facile emendabilis, & paſſio eſt ad ipſum pati relata, ut rubor ex uerecundia.

Non

Non ſolum autem quatuor hæ paſsiuarum qualitatum ſpecies circa corpus, ſed animum etiam ſpectantur. Nam ſiquis optimo habitu ſit præditus ac ſimpliciter idoneo ad rationalem contemplationem, tunc is habitus dici poterit qualitas paſsiua, quod ſenſui noſtro paſsionem inducat, & non quod a paſſione generetur, quoniam animæ eſſentiæ completiuus perfectiuusq́ eſt id genus habitus. Paſsionē uero circa ſenſum producit non corporalem quidem, ſed eum qui diuinus & rationalis uocatur. Dicimur itaque rationes iniuriasq́ ſentire, nimirum animo, & nō corporeis ſenſibus. Furioſos autem ex corporea quadam temperie, uel iracundos, uel huiuſmodi alios paſsibilem qualitatem habere quis dixerit tāquam ab affectu innaſcentem: qui ex morbo tales euaſerunt, paſsionem quæ ſub qualitatem recipitur obtinere: qui ſunt ob caſum quempiam ira correpti, aut quidquam id genus perpeſsi, paſsionem eam quæ ſub pati prædicamentum confertur. Cæterum conſtat nos nominibus abutentes hæc dicere: quādoquidem propriè hæc omnia ad habitum ac diſpoſitionem referuntur. Sunt B uerò duplici modo paſsiuæ qualitates deſumendæ. Nam aut ab eo quod affectum ſubiectum ſit, ac paſsiua quædam ei qualitas ex affectu ingenita, qualitatem habere dicitur: aut quod iis percipiendis qualitatibus noſter afficiatur ſenſus, ipſæ uero in iis quibus hærent non per affectum ſiant, ſed naturaliter, ut in igne. Non enim per affectum eſt igni innata caliditas, nam ineſt ei ſubſtantialiter, eiuſq́ formatrix eſt. Similiter quoque res habet in mellis dulcedine, & niuis candore, ac ſimilibus. Alba tamen caro ab affectu habet albedinem, accidit nanque ipſi album, neque adeſt eidem ſubſtantialiter, nec formam indit. Eodē modo & de nigro, & dulcitudine, ac ſimilibus dicemus. Afficitur ergo ſenſus his ſenſus: uerum quoniam magis proprium eſt hæc ab affectu ingenita, quam ab inferēdo ſenſibus affectu nominemus, ideò ipſis hoc primo loco competit: ſecundo uero & affectum generare. Par ſiquidem eſt a magis proprio cognomentū paſsiuæ qualitatis fieri. Ergo & in melle, quoniam ei dulcedo non ab affectu prouenit (ipſum enim informat) idcirco ab affectu ſenſui inferendo paſsiua qualitas nuncupatur. C {Paſsiuæ uero qualitates dicūtur.} Duplex eſt, paſsiua qualitas: uel animo, uel corpori inſita. Quæ animo inhæret, aut ſpeciei omni impertitur, ut animi ferocia leonibus: aut nō nullis, & uel ab affectu aliquo ex generatione, ut fucor: aut ab accidente, ut improbitas in improbis. Ac quæ corpori inſidet, aut omni ſpeciei conuenit, ut albedo niui: aut quibuſdam: & aut ab aliquo ex generatione affectu, ut Æthiopibus nigredo, aut non a generatione eſt, ſed poſt ab affectu genita: idq́ duplici uia. Nam aut inuehit affectum, ut febris: aut ut pallor, non inuehit. {Albedo autem & nigritia coloresq́ alii non eodem cum ſupradictis modo.} Nō faciunt inquit affectū qui ab ipſis denominatiuè dicatur: non enim albeſcit qui album contuetur, uelut edulcatur caleſcitq́ is qui dulcedinem caloremq́ percipit. Cæterum ſi paſsiua qualitas albedo nigrorq́ eſt, ex quali prodit affectu, & quem affectum ingenerat? Albedo ab affectu frigido eſt, nigror a calido, affectus uero non circa habentem faciunt, ſed cernentis aſpectum, nam illa uiſum diſpergit, hic congregat. D {Complures igitur ob affectum mutationes colorum fieri conſtat.} Cum colores paſsiuas eſſe qualitates dixerit, quod ipſæ ex paſsione innaſcantur, id ita ſe habere probat oſtenditq́. Exterriti enim inquit, palleſcunt, dilecto naturæ ſanguine ad cor proprium fontem, ut ualidam arcem fontem inquam uitæ confugiente, & ideo poſtremū partium omnium morte occumbens. Nam ſi aliqui quibus uulneratum cor eſt biduum ac triduum uiuunt, id accidit arteriarum beneficio quæ ab ipſo proueniunt. Pallidū quoque & ad tempus & ab ortu una facit temperatura, fit enim ſanguinis defectione, quemadmodum eiuſdem abūdantia rubicundum & ab ortu & ad tempus reddit. Nam cum pudore afficitur natura, amatum ſanguinē ſibiipſi ueſtiti uelamen obtendit, eorum ritu qui ne cernant indigna manus oculis admouerunt, nobis propemodum dicens illud, Te uero ipſum maxime omnium pudeat. {Quæcunque igitur huiuſcemodi accidentia.} Colores accidentia eſſe dixit propterea quod aliis affectibus ſuperueniāt: ut morbum diuturnum comitatur pallor. Eſt & quidam ſubſtantialis color, ut album in ceruſſa uel niue, & rubrum in ſanguine, & nigrum in Sepiæ humore. Similiter enim quales inquit & ſecundum has dicimur, qualitas autem ea eſt ſecundum quam quales eſſe quidam dicuntur. Ergo ſi quales ab iis non dicuntur affectibus, qui leui moueri facile queunt, hi nec qualitates dubio procul nominantur. {Similiter his modo & in animo paſsiuæ qualitates dicuntur atque affectus.} Nō modo enim circa corpus īquit paſsiuæ qualitates & affectus, ſed circa animum quoque ſpectantur. {Dicuntur qualitates & quæcunque protinus in generatione a quibuſdam affectibus qui difficulter amouentur genita ſunt.} Sicut enim nigrities in Æthiope ab ortu contracta, paſsiua appellatur qualitas, ſic & mentis emotio ab ortu, uel ira, paſsiua qualitas uocatur {Similiter & quæcunque emotiones aliæ non naturales, ſed ab accidentibus B aliis quibuſdam genitæ ſunt, depulſu non faciles.} Rurſus quemadmodum paſsiua dicitur qualitas pallor ex longo morbo contractus, ſic & exorta ab aliquo accidente exorbitatio mentis, uel aliud eius generis quidpiam, qualitas paſsiua nominatur. {Quæ autem fiunt ab his quę facile diſſoluuntur & citò emendantur, affectus dicuntur, qualitates uero nequaquam.} Quales quidam igitur ſecundum has nō dicūtur, hoc eſt, finitionē q̄litatis nō admittūt, nec q̄les ſīn eas, q participāt illis nominantur. Non .n. ἐρυθρίας uel ὠχρίας id eſt diu rubicūdus uel pallidus habetur is qui in ſolo uerecundiæ uel metus tempore ruber aut pallidus euaſit. Non habentur autem, quoniam neq́ expectat appellationem mutatio, ſed in ſub pati prædicamentum recipiūtur affectus. Erubuiſſe enim & expalluiſſe ſolum & aliquid perpeſsi dicuntur, quæ ſpectant ad prædicamentum pati. eadem uero & in anima dicit, non enim iracundus eſt, qui ſolum iraſcitur tempore quo moleſtia afficitur.

C *Quartum uero genus qualitatis eſt figura, & circa unumquodque conſtans forma. Amplius autem ad hæc rectitudo, & curuitas, & ſiquid aliud his ſimile eſt: ſecundum enim unumquodque eorum quale quid dicitur. triangulum enim uel quadrāgulum eſſe quale quid dicitur, & rectum aut curuum. & ſecundum etiam formam unumquodq; quale dicitur.* 52

Quartum uero} Quarta ſpecies eſt hæc qualitatis. Genus autem rurſum dicit pro ſpecie, quæ figura & forma ſeu morphe eſt. Patet uero latius figura quam morphe. Nam morphe omnis & figuram & morphen habet, & nō habet autem & morphen quidquid eſt cōpos figuræ. Hac enim de cauſa figuram morphæ antepoſuit, quoniam potior uniuerſaliorq́ eſt. Dicebamus & paulo ante ſpectari in inanimis aut imaginariis figuram: morphen in animatis uel naturalibus, & quod licet inanimatis morphes aliquando nomen tribuamus, id per abuſum magis fit, quod ſit animatorum ſimulacrum. Inſuper dicebamus hæc iure qualitates eſſe, quandoquidem diſpoſita ſecundum hæc quodā D pacto ſunt, quæ iis participant, atque ab ipſis nominantur. {Ad hæc item rectitudo & curuitas & ſiquid ſimile his eſt.} Denominatiuè enim a rectitudine recta linea dicitur, a curuitate autem curua, ſuntq́ lineæ affectus rectitudo & curuitas. Eſt uerò illud ſciendum, cum punctū, linea, ſuperficies, corpus, quatuor hæc ſeſe ordine conſequantur, a puncto quidem, quoniam ſine partibus eſt, neque affectum, neque figuram recipi, multò minus formam. A linea uerò, quæ ſpacium unum habet, affectum ſolum, nam aut curua eſt, aut recta, aut ſimile: A ſuperficie, cum duabus conſtet dimēſionibus, longitudine inquam ac latitudine, & affectum admiſſum, & figuram. Affectus itaque ſunt ſuperficiei anguſtum & latum, figuræ triangulus, uel quadrangulus, & quæ ſunt huiuſmodi. Propterea enim quod ſupficies omnis clauditur lineis, (ſunt enim inquit Euclides ſuperficiei fines li

neæ)ea propter figuras quoq; iure accepit,conſtant enim ex lineis figuræ. At uerò a corpore quod in ſpacia tria porrectum eſt,longitudinem,profunditatem,latitudinem,& affectus ſuſceptos eſſe,& figuras,& morphas. Affectus quidem,craſſum & tenue:figuras,quoniam aut cubica eſt, aut cylindrica,aut id genus aliqua:ſed ſuſcipit morphas quoque animatum corpus. Quamobrem uero & uerba illa adiecit,& ſiquid ſimile his eſt:ob innumera inter rectū ac circunflexum comprehenſa,quę magis minusq; altero participent,hoc eſt conuoluta omnia. Sunt autem hæc qualitates: quæ participant eis,qualia illarum cauſa dicuntur. Triangulus enim tum contentus tum continens, & rectus, & curuus eſt,& retortus.

53 *Rarum uerò & ſpiſſum,& aſperum & lene putabuntur quidem quale quid ſignificare. ſed aliena huiuſmodi putantur eſſe à diuiſione quæ circa quale eſt: quandam enim poſitionem* B *magis uidentur partium utraque monſtrare. Spiſſum enim dicitur eo quòd partes ſibiipſis propinquæ ſint: rarum uerò,eo quòd diſtent à ſe inuicem. & lene quidem, quòd in rectitudinem aliquo modo partes iaceant,aſperum uerò,quòd hæc quidem ſuperet,illa uerò ſit inferior.*

Rarum autem & denſum } Quoniam enim ſecundum raritatem uel ſpisſitudinem,& aſperitatē lenitatemq; modo quodam diſpoſita ſunt participantia,atque ab iis nominantur,exiſtimationem quādam inquit qualitatum habēt, hoc autem uerum non eſt,ſed magis ad ſitus prædicamentum referentur,nam Poſitum quēdam ſignificant. Eſt enim denſum cuius prope inuicem ſunt partes poſitæ adeo, ut corpus admittere diuerſi generis nequeant. Rarum quod diductas habet partes,ut recipere alterius generis corpus ualeat. Rurſus lene id uocamus,quod æquales inuicem habet partium eminentias extantesq; pariter. Aſperum uero,quod inæquales inter ſe prominentias habet partium. C Lene pomum eſt,uerbi gratia,nam huius eſt ſuperficies ęqualis: facies aſpera,quoniā ea inæqualibus ac minus planis conſtat partibus,ore,naſo,oculis,reliquisq; ſitū partim eminētiorē,partim cauū habentibus. Ergo ſitū quendā potius indicare partes eorū uidentur: aſperūq; & lene ad ſitus pręducamentū dictis de cauſis omnium conſenſu rediguntur. Rarum porrò ac denſum hoc loco id ſolum cepit quod artis miniſterio tale redditum eſt: hoc autē eſt id quod ad ſitus prædicamentum reducitur,ut ſiquis lorum extendēs rarum fecerit. Non enim rareſcit per totum prorſus,ſed mutatur ſitus quarundam eius partium,quod à ſe mutuò magis diſcedant. Rurſus ſi nucibus quis manum impleuerit, conſiſtens ex omnibus corpus,rarum dicitur,quod non ſit unum: nam μανὸν hoc eſt rarum, τὸ μὴ ὄν ἓν, id eſt quod unū non eſt appellatur. Similiter & denſum. Nuces enim ſi minutatim contuſas,animo cōtemplabimur,conſtans ea omnibus corpus erit denſum: & rurſus ſi compreſſum quis uellus lanæ ac denſatum diſcerpat,efficiet rarum. Iureq; D hoc loco ad ſitus prædicamentum artificialem hanc raritatem ac ſpisſitudinem reuocat,uelut cum his qui introducūtur ſermonem habens: quoniam hæc uel denſa uel rara pro ſitu partium dicuntur. Non ſunt autem qualitates, neq; ſi naturalem raritudinem aut ſpisſitudinem habeant: neq; ſi tota per totum aut denſa ſint aut rara: ſed ſolo partium poſitu cenſentur,non ipſis uero etiam partibus ſimilem totorum raritatem accipientibus. At in naturali auſcultatione qualitates eſſe uult naturalem raritatem uel ſpisſitudinē quæ circa unum ſubiectum atque idem uerſantur. Aqua uerbi gratia cum naturalem habeat denſitatem, totaq; ſit per ſeipſam totam denſa,ſi depoſita hac denſitate irrarueſcit,ſit aer,quoniam aquæ ſextarius, decem fortè ſextarios fecerit aeris,idq; ſit aqua non in minutas portiunculas diſſipata: uelut ſi in aerem plena manu proiicias puluerem, plurimumq; is occupet ſpacii,quod partes ſint eius explicatæ, quandoquidem ſi id eſſet,nobis quoq; conficere aerem di-

A ſperſa minutatim aqua liceret. Cæterum ſiquis dixerit,at nobis negatum eſt aquam tenuiter adeo diuidere,quod ſi opere nequimus,uti que ne ratione id quidē ſuppoſuerimus, neq; fieri hoc ita poteſt,aquæ enim partes,prorſus aquulę ſunt,nam partes ſunt toti,ſubſtantia ſimiles, ac diſſoluitur quoque in hæc ex quibus quodq; componitur. Aqua igitur ſi ea partibus ſimilibus quæ aquæ ſunt,conſtat (nam toti ſunt ſimiles partes ut diximus) in has etiam omnino reſolutas diuiditur. Aer autem non foret continuus, ſed inanibus mediis interciperetur capedinibus,nam aut continuas eſſe aquæ partes neceſſe eſt,aut diſiunctas. Fieri non poteſt,ut ſe tangant mutuò,nam ſi tangant, continuæ protinus ob humiditatē ſiunt. Ergo ſi diuiſæ ſunt, non erit aer continuus,quod falſum eſt,ac præter euidentiam,ſin coniunctæ,totum rurſus aqua erit,nec aer. Aerem igitur non facit aqua tenuisſimè diſcerpta,ſed conuerſa prorſus atq; alterata. Porrò quod qualitates hæ ſint,oſtendit in phyſica au- B ſcultatione Ariſtoteles. Quemadmodum enim corpus (inquit) cum capax qualitatum ſit,per ſe ipſum totum ſecundum eas mutatur,ſitq; nigrum ex albo, & album ex nigro, ſic quoniam qualitates ſunt raritas etiam & denſitas, corpus quoque iure ſecundum eas mutatur, ac ſpisſitudinem accipiens,ſit aqua: terra autē,ſi magis item denſetur. Quòd ex denſitate in raritudinem tranſeat,ſit aer,magis uero adhuc rareſcens,ignis euadit. Itaq; naturalis raritudo uel denſitas,quæ circa ſubiectum unum uerſatur,qualitas eſt,quæ uero non circa unum,ſed plura corpora habetur, quāuis naturalis ſit,non qualitas,ſed poſitus nominatur, qualis dētium frequentia eſt aut infrequentia. Quanquam enim eſt ea natura,tamen quoniam non circa unum ſubiectum ſed plura ſit,hoc eſt dentes,nō qualitas dicitur, ſed poſitus magis. Hæc quidem hactenus. Verum cum Ariſtoteles qualitates eſſe rectitudinem ac curuitatem dicat,aſperitatem autem lenitatemq; non etiam qualitates,ſed (ut antè prodidimus) aſperum & lene ſitum eſſe partium duntaxat, ſunt qui addubitent utrum rectum quoque & curuum ſitum ſolum C indicet partium,ſi recta quidem linea eſt ea quæ ſuis ipſius punctis æqualiter ſita eſt,uel rurſus a cuius mediis præpediuntur extrema. Conſtat autem & hic a tali partium lineæ poſitu fieri rectam,nempe ut pars eius nulla foras intro'ue uergat,ſed ęqualiter addantur extremis media. Et uero curuum a rectitudine ſitu partium ſolo differt,quippe ſi inflectantur eius partes,foraſq; aliæ,quædam intro exorbitent, curuitatem fieri accidit. Ergo ſi & aſperum & lene qualitates non ſunt,ſed ſitum ſolum ſignificant partium, idem ſignificabit rectum & curuum. Huiuſmodi igitur eſt quæſtio; quam hunc in modum ſoluemus. Non eſt idem curuam lineam fractamq; dicere,non enim fracta rectæ ſpeciem qua ratione recta eſt,mutat,ſed ex una linea duæ ſiūt, & facere poſſunt angulum,curua autem ſpeciem habet a recta diuerſam,nam curuum circumuexum ſignificat. Porrò quod circunferentia ſpecie a recta euariet,pluribus compertas indiciis. Primū quod pars circūferentiæ omnis parti omni cohæret,quo pacto & rectæ rurſum lineæ partes inter ſe omnes conueniunt,nulla autem pars rectæ cuiquā parti D circunferentiæ congruit. Secundo, ſi conſiſtentes ex rectis figuræ a compoſitis ex circunferentia ſpecie diſtant, ſpecie igitur & recta a circunferentia dirimitur. Item recta linea neque una,neque duæ,ſed tres minimum figuram abſoluunt. Vnde rectā linearum prima figurarum ac ſimpliciſſima Triangulus eſt,qui tribus rectis comprehenditur, circunflexa autem una circuli figuram reddit: eſt enim circulus figura plana una linea contenta,&c. Itaque ſi recta & ambiens diuerſam ſunt ſpeciem ſortitæ,non ſitu ſolo partium differunt,aſperum tamen & lene ſolo disſident partium poſitu,quapropter nec circa hæc ſubiectum ſpecie euariat,ſed ſpecie eadem manente ſuperficiei, eadem aſpera leniſq; ſit. Exempli cauſa ſi ſit ager quadrangularis, quē quis partim fodiendo excauet, partim cumulet, aſper ſit manens quadrangularis,at ſi deraſis rurſum partibus eminentibus cauitates impleat, lene quadranguli non demutata ſpecie,nec aliqua aſcita qualitate,redditur, ſed dimoto

duntax-

duntaxat partium poſitu. Quare probè Ariſtoteles rectitudinem curuitatemq́, id eſt circunferentiam qualitates dixit, aſperum autem & lene ſola partium poſitione differre.

54 *Fortaſſe quidem igitur alius quiſpiã modus apparuerit qualitatis, ſed ferè qui maxime dicuntur hi ſunt.*

Fortaſſe} Poſtquam ſpecies quatuor nobis qualitatis tradidit, concluſionem quoque infert, atque hi ſunt inquit qualitatis modi. Cæterum cum non eius dictis acquieſcere nos uelit, nec deſidere ocioſos, atque ab aliis mouendos, ſed interno aliquo & nos ipſos motu eſſe præditos, ac ſcrutari, fortaſsis & alium uideri poſſe dicit qualitatis modum. At re uera præter traditos alius non eſt, ut diuiſio monſtrauit, & antiquiorum ac prudentium uirorum indagatio.

55 *Qualitates itaque ſunt quæ dictæ ſunt. Qualia uerò ſunt quæ ſecundum has denominatiue dicuntur, uel quomodolibet aliter ab his. In plurimis itaque & ferè in omnibus denominatiuè dicuntur: ut à candore candidus, & à grammatica grammaticus, & à iuſtitia iuſtus, ſimiliter & in alijs. In aliquibus uero, eo quòd non ſunt poſita qualitati nomina, non contingit ea quæ dicuntur, ab iis denominatiuè dici: ut curſor, aut pugilator, qui ſecundum naturalem dicitur potentiam, à nulla qualitate denominatiuè dicitur: non enim poſita ſunt nomina potentiis ſecundum quas iſti quales dicuntur, ſicuti diſciplinis ſecundum quas pugiles uel paleſtrici ſecundum diſpoſitionem dicuntur. Pugilatoria enim & paleſtrica diſciplina dicitur: quales uerò ab iis denominatiuè dicuntur, qui diſponuntur. Aliquando autem & poſito nomine non dicitur denominatiuè quod ſecundum eam quale dicitur: ut à uirtute ſtudioſus: eo enim quòd uirtutem habeat, ſtudioſus dicitur: ſed non denominatiuè à uirtute: non autem in pluribus ho: tale eſt. Qualia ergo dicuntur quæ denominatiuè à dictis qualitatibus dicuntur, aut aliquo modo aliter ab iis.*

Qualitates} Poſtquam de qualitate diſſeruit, nunc de quali ſermonem inſtituit: fecit enim de utroque inſcriptionẽ. Sunt ergo qualitates, ut albedo, nigredo, & ſimilia: quale autem, quod partem qualitatum habet: ut album corpus, nigrum, dulce, amarum: uel modeſtus animus, uel iracundus, corporeaq́, id genus & ad animam pertinentia. Et aſſumuntur quidem qualitates, qualia autem iis participãt. Dicuntur uero a qualitatibus qualia, ut proditum ſępe eſt, at non denominatiuè ab ipſis dicuntur omnia, ſed nonnulla & æquiuocè, aut ne ab ipſis quidem prorſus nominantur, nam & huiuſce rei gratia dixit, uel alio quouis ab ipſis modo. {In plurimis itaque, fermeq́, in omnibus denominatiuè dicuntur.} Quoniam in ſermonis de qualitate exordio illam eſſe qualitatem dixit a qua denominatiuè uocantur quæ participant, rudiusq́, de ea nec ſubtiliter pronunciauit (non enim hoc qualitatem omnem cõſequitur) nunc ſermonem repetit, atque exactius decernit: uerumq́, eſſe in plurimis inquit ſermonem, nempe a qualitate denominatiuè participantia nuncupari. Dicitur enim albus ab albedine: & a grammatica grammaticus. {At in qualitatibus nonnullis, propterea quod non ſint poſita qualitatibus nomina, non dicuntur ab ipſis denominatiuè participantia.} Hoc in ſpecie ſecũda qualitatis accidit, quæ in potentia atque impotentia poſita eſt. Nam neque curſorii, neque pugilici qui naturalem in his quandam obtinent aptitudinem, denominatiuè ab his dicuntur facultatibus: neq; enim poſita ſunt his facultatibus nomina, propterea quòd abſolutis rebus actuq́; exiſtentibus nomina indere conſuetudo ſtuduerit. Nam pugilicus aut curſorius a ſcientiis in actu pugilica nempe & curſoria nominantur. Ac quid inquam in poteſtatibus quibus non ſunt indita nomina, quã

A do nec in quibuſdam qualitatibus nomina habentibus denominatiuè ab ipſis participantia dicuntur: quippe uirtutis particeps non uirtuoſus, ſed ſtudioſus uocatur. Quandoque uerò & æquiuocè appellantur a qualitatibus participantia, ut a grãmatica ſcientia grãmatica mulier, & muſica mulier a muſica. Proinde exquiſitiorẽ nobis hoc loco, uti diximus, ſermonem exhibens qualitatis, uerba illa adiecit, uel quouis alio ab ipſis modo. Addidit uerò hæc ob innominata ac diuerſiuoca.

Ineſt autem & contrarietas ſecundum qualitatem: ut iuſtitiæ iniuſtitia contraria eſt: & albedo nigredini: & alia. Similiter autem & ea quæ ſecundum eas qualia dicuntur. ut iniuſtum iuſto: & album nigro. Non in omnibus autem hoc accidit: rubro enim aut pallido aut huiuſmodi coloribus nihil eſt contrarium, qualibus exiſtentibus. Amplius. Si contrariorum alterum fuerit quale, & reliquum erit quale. Hoc autem palàm eſt ex ſingulis proponenti alia prædicamenta: ut ſi eſt iuſtitia iniuſtitiæ contrariũ: quale autem eſt iuſtitia: quale igitur & iniuſtitia: nullum enim aliorum prædicamentorum aptabitur iniuſtitiæ, neque quantũ, neque ad aliquid, neque ubi, nec omnino aliquid huiuſmodi niſi quale. Sic autem & in aliis quæ ſecundum quale ſunt contraria. 56

B (beside "ponenti alia prædicamenta")

Ineſt} Accedit ad proprium qualitatis, eadem quemadmodum in prædicamentis aliis præceptionis regula utẽs. Proprium igitur qualitatis inquit eſt, contrarietatem admittere, neque iniuria. Nam & in corpore album nigro, & in anima iuſtitia iniuſtitiæ, & in utroque ſanitas morbo repugnat: ſpectatur enim in qualitate propriè contrarietas. Etenim & in prædicamentis aliis contrarietas penes qualitatem conſiderabatur: quippe & ſubſtantia huius nomine contrariorum eſt capax, & quæ contrarietatem admittunt relatiua ex qualitatis prædicamento deſumebantur. Propriè igitur, ut modo dixi, contrarietas circa qualitatem C uiſitur. Cæterum non adeſt omni qualitati contrarietas: nihil enim eſt cõtrarium qualitatibus inter contrarias qualitates mediis, ut rufo, uel pallido, uel ſimilibus. Sed ne figuris quidem eſt contrarium, triangulo inquam, & circulo, atque id genus reliquis. Similiter ineſt contrarietas & qualibus, dicitur nanque album nigro contrarium, & calidum frigido. {Item ſi contrariorum unum quale ſit, erit & alterum quale.} Patet enim ſub quod prædicamentum contrariorum quodq; recipitur, alterum quoq; eodem iri relatum, ex eo q; in aliud prædicamentum a nobis cooptari non poſſit. Nam genus idem eſt contrariorum.

Suſcipiunt autem qualia magis & minus. Album enim magis & minus album alterum altero dicitur: & iuſtum alterum altero magis & minus. Sed & ipſa intenſionem ſuſcipiunt. Cũ candidum nanque ſit, contingit amplius candidum fieri non tamẽ omnia ſed plurima. Iuſtitia nanque ſi dicatur magis & minus iuſtitia, poteſt quilibet ambigere: ſimiliter autem & in alijs diſ- 57 *D poſitionibus. Quidam enim dubitant de talibus. iuſtitiam nanque iuſtitia non omnino aiunt magis & minus debere dici: nec ſanitatem ſanitate: minus autem habere alterum altero ſanitatẽ aiunt: & iuſtitiam alterum minus altero habere dicitur. Sic autem & grammaticam, & alias diſpoſitiones: ſed tamen ea quæ ſecundum eas dicuntur, indubitanter recipiunt magis & minus: grammaticior enim alter altero dicitur: & iuſtior: & ſanior: ſic autem & in aliis. Triangulum uerò & quadrangulum non uidentur magis & minus ſuſcipere: neque aliqua aliarum figurarum. Quæ enim diffinitionem trianguli recipiunt & circuli, omnia ſimiliter trianguli uel circuli ſunt. eorum autem quæ nõ recipiunt rationem eandem: nihil magis alterum altero dicetur. Nihil enim quadratum magis quàm parte altera longius circu-*

lus eſt:neque alterum enim recipit circuli rationem. Simpliciter autem ſi utraque non recipiunt propoſiti rationem, non dicetur alterum altero magis:non ergo omnia qualia recipiunt magis & minus.

Suſcipiunt} Aliud conſequens ipſius qualis, nempe ſuſcipere magis & minus:album nanque albo magis & minus dicitur,& ipſum ſeipſo albius. Hoc autem inquit non eſt omnibus conſequens,idq; merito:ſiquidem dictum eſt, ubi contrarietas ac mixtio contrariorum uiſitur, ibi magis quoque & minus conſiderari:ubi nec contrarietas, nec cõtrariorum mixtio eſt,ibidem nec magis minuſq; ſpectari. {Iuſtitia nanque } Quòd autem nõ in omni qualitatis prædicamento ſuſcipi magis & minus dicere conueniat, patet ea eo ꝙ circa hæc quidam addubitant, nolentes iuſtitiam magis & minus iuſtitia eſſe,& ſanitatem ſanitate,& ſimilia: uerum de his Ariſtoteles non articulatè nobis rationem explicat. B Nos uerò hæc de iis in medium afferimus,affirmamuſq; admitti citra conuerſiam a qualibus, eo modo quo dicimus magis & minus,a qualitate tamẽ quæ finibilis eſt ratione,magis minuſq; non ſuſcipi:ut iuſtitia,ſanitate,ac ſimilibus. Iuſtitia enim ipſa per ſe non utique magis & minus quam iuſtitia fuerit:nam ſiquid iuſtitiæ finitionem non capiat,ne omnino quidem iuſtitia eſt. Vt enim ſunt homines ex æquo ii quibus hominis finitio congruit, quibus autem pars uel minima finitionis non conuenit,uel rationale ut brutis,uel ſciẽtiæ capax:aut mortale,ut angelis, nec omnino ſunt homines:ita niſi iuſtitiæ,uel ſanitatis,uel alicuius huiuſmodi finitionem æquabiliter accipiat,neque tale erit iuſtitia,neque ſanitas,neque eius generis quidpiam. Recipiunt tamen hæc qualia magis minuſq;, ſecundum ꝙ ſibi aut plus aut minus unumquodque qualitatis uendicauerit. Nam quod albedinis plus quàm nigri adeptum eſt,magis album dicimus illo quod plus nigredinis quàm albedinis obtinet. Similiter eum magis iuſtum appellamus,qui communicationem cum iuſto uberiorem eſt amplexatus: C & ſalubrem,qui aliis magis ſanitate fruitur, & ita in id genus omnibus. Quo enim pacto non æquè ignis omnes q circunſtant,exempli gratia, calorem percipiunt, ſed propinquiores magis,quanto copioſius pyra participant, remotiores minus,tametſi ignis unus idemq; ſit calor: ita & in qualitatibus omnibus arbitrari conuenit,nec intendi nec remitti per ſe eas poſſe. Quod ſi in ſubiectis ſint corporibus,in quibus miſceri quoque natura ſunt aptæ,contrariorum maiore aut minore admixtione intẽduntur aut remittuntur. {Triangulus autem quadrangulusq. } Per hæc etiã magis & minus non omni ineſſe qualitati comprobat:neque enim ulli competit figuræ. Quippe triangulus nullus triangulo magis & minus triangulus dicitur,nanque horũ uterque rationem ſimiliter capit trianguli. Neq; circulus circulo,quanquam decies millies fuerit maior : nam ſuſcipit & uterque horum ſimiliter circuli rationem : pariq; in cæteris modo,in quibus eadem inuariabiliter ratio cohæret. {Eorum uerò quæ non admittunt.} Hoc eſt quod ſibi D uult per hæc uerba. In quibus inquit ipſum magis minuſq; conſideratur,eadem in iis finitio,non tamen ſimiliter proſus,oportet cõueniat. Nam ſi nulla euariatione congruat, non accipiunt ipſum magis & minus. Salubre exempli cauſa eſt quod ad ſanitatem ſe commodè habet:competit exercitationi quoque hæc ratio,& cibis,& urinis,aliiſq; cõpluribus. Quandoquidem igitur finitionem eandem,non tamen indifferenter recipiunt omnia, ſed ut ſanitatis cuſtos,exercitatio,cibus ut efficiens, urinæ ut indicatiuæ, ipſum magis quoque ac minus iure admittunt. Dices enim exercitationem cibo magis ſalubrem,nam præſentem illa ſanitatem tuetur:hic abſentem reuocat. Magis uero cibus ſalubris eſt quàm lotia:tantum quippe duntaxat obtinent ſalubris lotia,quantum diſpoſitionem ſalubrem indicent. Quòd ſi ſit in quibuſdam finitio eadem nullo diſcrimine, aut prorſus diuerſa,hæc ipſum magis ac minus non ſuſcipiunt,nam ſunt prorſus quædam diuerſa, ut homo & equus,ideo nemo dixerit hominem equo magis hominẽ: nec equum cane magis equum,quoniã diuerſa planè ſunt nonnulla prorſus eadem,quare neque hominem homine magis hominem eadem de cauſa aliquis affirmabit, neque equum equo magis equum , quoniam inter ſe ſunt eadem penitus , finitionemq; eandem ſine diſcrimine accipiunt. Verum quoniam album in niue & ueſte eandem finitionẽ, ſed non citra differentiam admittunt,iure aliud magis ꝙ aliud dicitur. Suſcipiunt enim diffinitionem utraque non ſimiliter eandem,ſed nix ut cognatum habens album, propriæq; completiuum ſubſtantiæ, nec admittens contrarii: ueſtis uero,arte comparatum,demus id,nec ſubſtantiæ cõpletiuum,nec contrarii minime capax. Idem quoque in nigro modus eſt,atque aliis. Polygonus igitur ſeu multangulus ob id non magis triangulo circulus dicitur, quoniam eorum neuter finitionem recipit circuli. Neque uerò multangulus circulus aliis minus circulus perhibetur,eadẽ rurſus ratione.

B

Horum itaque quæ prædicta ſunt nihil eſt proprium qualitatis. Similia uerò aut diſsimilia ſecundum ſolas dicuntur qualitates. Simile enim & diſsimile alterum alteri non eſt ſecundũ aliud,niſi ſecundum id quod quale eſt. Quare proprium eſt qualitatis ſecundum eam ſimile uel diſsimile dici. 58

Horum itaque} Quemadmodum in ſubſtantia atque aliis fecit,reprobatis prius iis quæ propria uidebantur,poſtea quæ propria re uera eſſent tradidit,ita & hoc loco,reiectis duobus ipſius qualis conſequentibus,nimirum ineſſe ipſi contrarietatem, & magis ac minus accipere , quaſi non omne comitentur quale,eligit,quod ſimile dicatur atque diſſimile. Nanque in aliorum prædicamentorum nullo id dicitur. Cæterum non ipſa qualitas,ſed qualia ſimile ac diſſimile ſuſcipiunt. Nam qualitas quæuis una eademq; eſt,ſi ipſa per ſe,nec in ſubiecto ſpectetur , quo'nam pacto ſimilis ipſa uel diſſimilis ſibiipſi fuerit, ſubiecto tamen inſita C ſimile ac diſſimile excipit,uel prouenien ſyncera in uſo dem ,uel contrarii ſimiliter admixtionem recipiens , & ita ſubiecta ipſi ſimilia ſecundum eam inter ſe reddẽs , uel diſſimilia,eo quòd non ſimiliter in concretum deducatur,ſed contrarii mixtione ipſum magis & minus in ſubiectis admittat. Ideo itaque ut omni prædicamento proprium accommodemus,uti fecimus in ſubſtantia,aſſignato eius ꝓprio non nihil addentes,dicenteſq; ſubſtantiæ eſſe prædicamenti proprium,ut eius indiuidua unum idemq; numero manentia contrariorum ſint uiciſſim capacia, atque eo modo proprium omnis ſubſtantiæ conſequens effecimus eſſe dicere ita & hoc loco agemus,ac qualitatis proprium eſſe diſſimus prædicamenti,ut ei ſubiecta indiuidua ſimilia uel diſſimilia dicantur. Sic nanq; & omni prædicamẽto conſequẽs & ſoli conuenerit.

At uerò non decet conturbari,ne quis nos dicat de qualitate propoſitum facientes,multa eorum quæ ſunt ad aliquid connumeraſſe:habitus enim & diſpoſitiones eorum quæ ad aliquid D ſunt eſſe dicebamus. Penè enim in omnibus talibus genera ad aliquid dicuntur,nihil autem eorum quæ ſunt ſingularia:nam cum diſciplina genus ſit,idipſum quod eſt alterius dicitur: alicuius enim diſciplina dicitur:eorum uero quæ ſingularia ſunt nihil ipſum quod eſt alterius dicitur:ut grammatica non dicitur alicuius grammatica. nec muſica alicuius alterius muſica. Sed forte ſecundum genus & hæ ad aliquid dicuntur:ut grammatica & muſica alicuius dicitur diſciplina,non dicitur grammatica & muſica alicuius muſica. Quapropter quæ ſingularia ſunt non ſunt ad aliquid: dicimur autem quales ſecundum ſingula:hæc enim & habemus. Scientes enim dicimur,eo quòd habemus ſingularum ſcientiarum aliquas. Quare hæ erunt quã 59

quæ

qualitates que ſingulares ſunt: ſecundum quas aliquando & quales dicimur, hæ autem non ſunt eorum que ſunt ad aliquid. Amplius. Si contigit idem ipſum & quale & ad aliquid eſſe, nihil eſt inconueniens in utriſque hoc generibus enumerare.

At uero} Quandoquidem ei de qualitate ſermo eſt habitus uerò ac diſpoſitiones ſub qualitatem redegit, quæ erãt ad aliquid (nam ipſe quoque ad aliquid prius ea retulit, & habitum inquiens habilis rei habitum, & diſpoſitionem rei diſponendæ diſpoſitionem eſſe) idcirco difficultatem ſentiens, duplici eam ratione ſoluit: ac primum leuius quidẽ, dein ſubtilius. Habetq; ſolutio prima ad hunc modũ. {Ferme enim in eiuſmodi omnibus genera ad aliquid dicitur, ſingulare autem nullum.} Hæc ſolutio prima eſt difficultatis. Talium enim inquit genera ad aliquid referuntur ſpecies uerò ad quale. Scientia uerbi cauſa eſt ad aliquid, genus eſt enim ſcientia: & ſcibilis enim ſcientia dicitur. Geometria uerò ad aliquid non eſt, cum ſpecies ſit ſcientiæ: ſed ad quale reducitur. Habet ſimiliter res ſeſe in habitu & diſpoſitione, eiuſq; notæ omnibus. Habitus nanque habilis habitus, & habile habitu habile, & diſpoſitio, & diſponendi diſpoſitio, & diſponendum diſpoſitione diſponendum. Sunt tamen qualitates ſanitas uel morbus, & grammatica uel rhetorica, cum ſpecies habitus diſpoſitionis'ue ſint. Quales enim ſecundum eas ſumus, denominatiueq; ab ipſis grammatici uel rhetorici uel ſalubres uel morboſi, uel quouis modo appellamur. Dicimur uerò & ſcientes, non quod ſimpliciter ſcientiæ ſimus, ſed particularis alicuius ſcientię participes, grammaticæ, uel muſicæ, uel alterius cuiuſquam. Hæc igitur leuior eſt ſolutio. Porrò leuior eſt, quoniam in prædicamentis omnibus genera ad quod ſpecies quoque prędicamentum referuntur, ſeſe eodem recipiunt. Exactior autem ſic habet. {Item ſi idem forte ſit quale & ad aliquid abſurdi nihil eſt in utroque ipſum genere cenſeri.} Vt enim reducuntur ad ſubſtantiam pater & filius, reducuntur uerò & ad relationem, alia tamen atq; alia ratione, ita abſurdum nihil eſt habitus diſpoſitionesq; ut res ad qualitatem, ut reſpectum quendam recipientia, ad ea quæ ſunt ad aliquid referri.

DE ACTIONE ET PASSIONE.

60 RECIPIT *autem agere & pati contrarietatem: & magis & minus. Calefacere enim ei quod eſt frigefacere contrarium eſt: & calefieri ei quod eſt frigefieri. & delectari ei quod eſt contriſtari, quare ſuſcipiunt contrarietatem, & magis & minus: eſt enim calefacere & magis & minus: et calefieri magis et minus: & triſtari magis & minus, ſuſcipiunt igitur magis & minus agere & pati: de his igitur tot dicuntur. Dictum eſt autem & de eo quod eſt ſitum eſſe in ijs quæ ſunt ad aliquid, quòd denominatiuè à poſitionibus dicitur. De reliquis uerò, id eſt quando, & ubi, & habere, propterea quòd manifeſta ſunt, nihil de ipſis aliud dicitur quàm que in principio dicta ſunt: quòd habere quidem ſignificat calceatum eſſe, armatum eſſe: ubi uerò, ut in lyceo, in foro, & alia quæcunq; de his dicta ſunt. Igitur de omnibus generibus quæ propoſuimus ſufficiunt dicta.*

Recipit} Simplicia quædam ſunt prædicamenta: quædã ipſum eſſe per ſimplicium combinationem complexumq; obtinent. Simplicia ſunt quatuor expoſita, ſubſtantia, quantum, quale, & ad aliquid relata: per complexionem uerò ſubſtantiæ ad horum unum, uel ad ſeipſam, ſex ſunt reliqua: ut ex ſubſtantia & quanto, ubi, & quando: ex ſubſtantia & quali, facere, & pati: ex ſubſtantia & relatiuis, habere, & ſitum eſſe. Cęterum ut id quoq; intelligamus, propriè inquam prædicamenta ſupradicta quatuor eſſe, ſex uerò reliqua ex mutuo horum complexu fieri: ea quę diximus ex diuiſione ſumamus. Ex iis quæ ſunt, ſubſiſtunt alia per ſe: quædam ipſum eſſe in aliis poſſident. Subſiſtit per ſe ſubſtãtia. Quorum eſſe in aliis eſt, ea partim in reſpectu conſiderantur, ut relatiua: partim eodem carent. Quæ ſe ad aliud non habent, alia ſecari in partes poſſunt, ut quanta: (proprium enim id quanti eſſe dicebamus, nẽpe diuiduum eſſe in partes) alia diſtribui in eaſdem nequeunt, ut qualitates. Hæc ſunt quæ propriè ac primum prædicamenta appellantur. Alia uero ſex ſunt complacita tribus reliquis ſubſtãtia, quanto inquam, relationi, & quali. Quãto enim iuncta ſubſtantia duo prædicamenta efficit, quando, & ubi, nam tempori ſociata prædicamentum facit quando. Significat enim quando neque ſubſtantiam duntaxat, neque tempus, ſed ſubſtantiam quæ ſit in tempore: ſignificatiuum autem eſt in tempore, quando, ſecundum tres partes illius, uidelicet præſens, præteritum, futurum. Sin uerò connectatur loco ſubſtantia, Vbi prædicamentum conficit: quippe ubi neque locum ſolummodo indicat (non eſt enim locus in loco) neq; ſubſtantiam: ſed ſubſtantiam quæ ſit in loco. Vbi autem loci declaratio eſt, diuiditurq; ſurſum, deorſum, dextrorſum, læuorſum, ante, retro. Rurſus prædicamenta alia procreat duo ſubſtantia ipſi quali addita, faciendi & patiendi: nam facere & pati penes qualitatem ſunt: qui enim facit in aliquid, is aut calefaciendo, aut refrigerando, aut alia qualitate aliqua facit. Aliter quoque. Facere eſt in aliquid agere: & aut in ſeipſum agere, ut per ſeſe laborare, cernere, ſermocinari: aut in aliud, ut uerberans uapulantem uerberat. Et uerò patiens quòd afficitur caliditate uel nigredine, aut alia qualitate aliqua patitur: pati enim eſt ab aliquo alterari. Diuiditurq; ita, ut uel in corruptionẽ à contrario ducatur, uel in perfectionem ut uiſio à uiſibili. Iterum ſi relatiuis adiiciatur ſubſtantia, ſitus prædicamentũ facit. Eſt enim ſitum eſſe, talis corporis poſitus, atq; in hæc diuiditur, quæ ſunt recubare, ſedere, ſtare, ſitum autem eſſe, ad aliquid dicebamus. Ipſa uerò ſibi ipſi complicata in re quapiam arte conſtructa, prædicamentum habendi efficit, ſignificat enim habere, ſubſtantiæ circa ſubſtãtiam, in circuitu poſitionem. Hæc porrò arte comparata res aut tota eſt in tota ſubſtantia, ut tunica in corpore, aut tota in parte, ut annulus in digito, uel telum in manu. Dicitur nanque tribus modis habere, in animo ut habitus in corpore ut cicatrix, circa corpus ut pallium, tunica, calceamentum, arma. Cæterum proditis quatuor prędicamentorum rationibus finitionibusq; ac conſequentibus, Ariſtoteles ſex reliquorum neque finitiones, neque, diuiſionem in ſpecies tradidit, perinde quaſi hæc nobis ex dictis cognoſcere liceat. Nos igitur cuiuſque definitionem oportet ac diuiſionẽ in ſpecies edamus. Facere eſt in quidquam agere, cuius ſpecies duæ ſunt, nam faciens aut in ſeipſum facit, ut animus ſeipſum uiuificans, cognoſcensq; aut in aliud, ut ignis in nos cum calefimus, atq; ut ſenſus citra ſenſibile agens. Vel aliter quoquè duplex eſt facere, per animi impetum, ut in caue latrãte, per naturam, ut in ignis uſtione. Pati uerò eſt alterari ab aliquo, ſuntq; ſpecies eius duę. Nam aut ſic patitur ut in corruptionem agatur, ut lignum quod ab igne uritur, aut uelut in perfectionem ducitur, ut cum à uiſibili pati dicimus uiſum, deducitur enim uiſus in perfectionem à uiſibilibus, cum proprium actum recipiat. Patitur diſcipulus quoque à præceptore, neque corrumpitur ipſe, uerum perficitur. Rurſus item duplex eſt pati, nam aut corruptiuum eſt, ut ſecari, uri, aut perfectiuum, ut diſcere, legere. Poſitum eſſe autem eſt ſitum quendam habere, huius ſunt ſpecies tres, recubare, ſedere, ſtare. Aut enim, ut ſæpe commemorauimus, reclinatũ corpus totum eſt, ac recubare dicitur, aut partim reclinatum eſt, partim rectum, & ſedere nuncupatur, aut totum eſt erectum, & ſtare appellatur. Quãdo tẽpus declarat, uel quod eſt in tempore, ſpecies tres eius ſunt, præſens, præteritum, & futurum. Vbi locum ſignificat, uel quod eſt in loco, ſex ſunt huius ſpecies, ſupra, infra, dextrum, ſiniſtrum, ante, & retro. Sex autem iure ſunt loci diſcrimina, eſt enim locus, uti nos prodidimus, finis ambientis quatenus ambitum complectitur, ambitum autem corpus eſt, quod tres habet di-

A menſiones: quarum ſecundum rectam lineam unaquæque
definitè nec ſecundum altam ſpectatur. Siquis enim quanta
ſit parietis dimenſio ſecundum longitudinem, uerbi gratia,
noſce uelit, ad perpendiculum hanc metietur: eſt uero perpendiculum
recta linea. Eodem modo ſi quanta ſit dimenſio
in latitudinem uel profunditatem cognoſcere cuiquam
libeat, eā funiculo extento metietur, qui & ipſe recta eſt linea:
habet uero omnis recta duos fines. Ergo ſi tribus dimē
ſionibus conſtat omne corpus, quælibet aut per rectam lineam
figuratur dimenſio, habetq; recta omnis linea duos
fines, iure ſex finibus corpus concluditur. Sex igitur ſi
ſint corpori fines, locus quoque ipſum ambiens totidem
habeat neceſſe eſt: quoniam locus ſecundum dimenſionem
omnem corpus amplectitur: ſuntq; dimenſionis
in longitudinem extrema, ut in animato dixerim, ſupra
& infra: in latitudinem, dextrum ac ſiniſtrum: in profundum,
antè & retrò. Habere autem eſt ſubſtantiæ circa ſubſtā
tiam amictus: hoc uerò aut circundatur ut totum, uelut tunica
totum corpus ambitur: aut totum parti inducitur, ut
B annulus digito. {Facere autem & pati contrarietatem recipiunt.}
Quærendum hoc loco cur ipſum facere & pati Philoſophus
non ad ea quæ ſunt aliquid redigat, ſed alterius
eſſe ea dicat prædicamenti: faciens enim in patientem facit:
& patiens à faciente aliquo patitur: quamobrem ſunt hæc
quoque ad aliquid. Itaque ad hoc dicimus infinitiua uerba
naturę actionum uel paſſionum ſignificatiua eſſe duntaxat:
nam aut actionem tantum, aut paſſionem declarant: alia autem
uerba, uel participia, ſubſtantiarum uel cum actione uel
cum paſſione coniunctionem indicat. Facere igitur & pati
cum infinitiua ſint uerba, actionis ipſius indicatiua paſſionis'ue
ſunt, nec ex eorū genere quæ ſunt ad aliquid: nemo
enim ipſum facere in id quod pati eſt facere, uel ipſum pati
ab eo quod eſt facere, pati dixerit: patiens tamen uel faciens
ſub relatiua recipiuntur: nam faciens impatientem facit,
& à faciente patiens afficitur. Quęrit autem meritò in naturali
auſcultatione Ariſtoteles, ſi ex faciendo patiendoq;
C prodeat motus, utrum in faciente an patiente ſpectetur: affirmatq;
in patiente: eſt enim motus a poteſtate in actum uia.
Porro actus, eſt habitus ipſa adiectio: mouentur ergo quæ
ſunt indigentia, atque ab imperfecto ad perfectum tranſmi
grāt: mouibus igitur cientur pluribus, quæ plura deſiderāt:
quæ paucis opus habent, parcius mouetur. Deus ſanè Opt.
Max. cum nihilo egeat, eſt prorſus immobilis. Faciens itaq;
ſi habitum ſecundum ipſum quod facit perfectum obtineat,
non ſecundum illud quod facit mouebitur: patiens uerò
perinde quaſi facientis egent, quo inſitam ei facultatem
in actum producat, iure moueri dicitur, cum prouehitur ab
eo quod eſt poteſtate, ad hoc ut actu ſit id quod natura eſſe
poteſt. Quamobrem unus eſt motus qui in ſolo patiente
conſideratur, duplicem tamen licet eſſe motus ratione: poteſt
enim & in faciente, & in patiente ſpectari. Nam cum a
faciente aſpexerimus inchoantem motum in patiens deſinere,
actionem eam uocamus: paſſionē uerò, cum a patiente
exordiri eum, ac ceſſare in faciens uiderimus. Similis mo
dus quoque in doctrina diſciplinaq; eſt. Unus eſt itaq; ſubiecto
motus, ratione differens. Quæ uero ad aliquid habē
tur, non ſolum ratione, ſed ſubiecto quoque diuerſa ſunt.
Quamobrem ad aliquid non erunt facere & pati: cum circa
ſubiectum unum hoc eſt motum uerſentur: ſi ad aliquid
pertinentia nō relationem ſolum habere, ſed ſubiecta quoque
uolunt diuerſa. Cur ergo non de actione & paſſione titulum
indidit: quoniam duplex inquam eſt actio: ſiquidem
& uia ipſa actio dicitur: ut ædificatoris actio, & finis ipſe
actionis, uerbi gratia domus. Ne errorem igitur quempiā
æquiuocatio pareret, eumq; de fine differere arbitrarentur,
ob id ita inſcripſit, De faciendo & patiendo, id eſt de actione
ipſā & uia. {Facere autem & pati tum contrarietatem tū
magis & minus recipiunt.} Neque iniuria. Nam contrarietas
in qualitatibus duntaxat cernitur: facere autem ac pati
ex ſubſtantię complexu ad qualitatem conſiſtit. Et uero magis
minusq; ab illis ſuſcipi ſæpe prodidimus, quæ & contrarietatem
admittunt. Quandoquidem uerò non omnis

Deus ſanè Opt. Max. cum nihilo egeat eſt prorſus immobilis.

A qualitas contrarietatem, neque magis & minus recipit, cuiuſmodi
ſunt figuræ, merito nec contrarietatem, nec magis
ac minus ſuſcipere omni faciendi & patiendi prædicamento
eſt conſequens: ſed ſi magis minusq; accipiat, quod eſt
ex qualitate deſumptum, hoc ipſi ineſt: quòd ſi ex qualitate prodeat
quę contrarietatem non capiat, neq; erit quidquam ipſi
contrarium. {Itaque de propoſitis quidem generibus dicta
ſufficiunt.} Ex pauculis hiſce uerbis, de ſolis conceptibus
prædicamentorum intentionem eſſe ſuſpicati ſunt quidam
interpretes. Ariſtoteles enim, aiunt, genera ſoli nouit
poſterius genita, ac mente concepta. Quippe uniuerſale
inquit ipſe in commentatione de anima, uel nullum eſt, uel
poſterius: quę uero ante multa ſunt, ne omnino quidē uult
eſſe, ſed ea nænias dicit & ſuperuacuas nugas.

DE OPPOSITIS.

B *DE oppoſitis autem quot modis ſolent opponi dicendum eſt. Dicitur enim alterū alteri opponi quadrupliciter: aut ut ad aliquid, aut ut contraria, aut ut priuatio & habitus, aut ut affirmatio & negatio. Opponitur autem unumquodque iſtorum, ut ſit figuratim dicere: tanquam ad aliquid quidem, ut duplum dimidio: tanquam contraria autem, ut malum bono: tanquam autem ſecundum priuationem & habitū, ut cæcitas & uiſio: tanquam uerò affirmatio & negatio, ut ſedet non ſedet.* 61

De oppoſitis} Abſoluta eſt prædicamentorum diſputatio:
ac poſt prædicamentorum ſectionem auſpicatur: nanq;
diuiſum eſſe in tres partes librum inter initia diximus: nempe
in eam quæ in prædicamenta antecedit, & quæ de ipſis
agit prædicamentis, & quæ a prædicamentis, conſequitur.
De uocibus quoque in antepræedicamentis tractari quibus
foret in prædicamētorum præceptione, utendum, nobiſq;
C ignotæ ex uſu eſſent, cōmonuimus: in ſecundo autem ſegmento
de prędicamentis ipſis: in tertio hoc eſt præſenti, de
uocibus quibuſdam in prædicamentorum præceptione aſſumptis,
quarum notitiam quidem habemus nōnullam, ceterum
non articulatè diſtinctam atq; explicitam. Quòd uerò
hæc non ſeiuncta a prædicamentorum ſcopo ſectio ſit,
ut ſunt quidam arbitrati, tum ex iis quæ diximus liquet, tū
ex ipſa locutionis ſerie innoteſcit. Quippe coniunctioni 62
quidem in ſectionis fine præcedentis poſitæ, in hac uerò ipſam
coniunctionem intulit: nam cum in illa dixiſſet, Itaque
de propoſitis quidem generibus dicta ſufficiant, nunc in huiuſce
primordio inquit, De oppoſitis uerò. Itaque uel ex
hoc patet ſcopi continuitas. Docet uerò de oppoſitis primum:
etenim mentionem horum fecit cum de quanto diſſereret,
quando oppoſitum eſſe magnum paruo non ut cō
traria, ſed ut ad aliquid affirmabat: docere igitur hoc loco
uult oppoſita quot modis dicātur. Obiacēt ergo quatuor
inquit modis oppoſita: uel ut ad aliquid, uel ut contraria,
D uel ut habitus & priuatio, uel ut affirmatio ac negatio. Ceterum
quærendum eſt, cur ſpecies quatuor ſolæ oppoſitorum,
nec plures nec pauciores habeantur: & quænam ſit huiuſmodi
ipſorum ordinis cauſa. Ut ergo cur ſoli quatuor
ſpecies ſint diſcamus, dicamus hoc pacto: Oppoſita uel ut
orationes, uel ut res mutuò ſibi aduerſantur. Quæ rent res
ſpectu. Si careant reſpectu, aut in ſe mutantur inuicem, uelut
contraria, ut album & nigrum: aut non mutantur, quemadmodum
priuatio & habitus, ut uiſus cæcitasq; opponuntur
ergo ut orationes affirmatio & negatio, ut Socrates ambulat,
Socrates non ambulat. Ut res autem reſpectum habētes
oppoſita ſunt, quæ ad aliquid referuntur, ut pater & filius:
dextrum & ſiniſtrum: ſcientia & ſcibile. Ut res nullo reſpectu
deuinctæ, atque in ſe mutuò tranſeuntes opponuntur
contraria, ut nigrum & album: & calidum & frigidum.
Ut res autem quæ nec ullo reſpectu iunguntur, nec in ſe uiciſſim
mutantur, habitus & priuatio, ut uiſio & cæcitas: mutatur
enim in priuationem habitus, ut uiſus in cęcitatem: nō
tamen

tamen priuatio in habitum commeat, ut cæcitas in uiſum. Porrò per priuationem hoc loco abſolutam formæ poteſtatisq; ipſius corruptionem intelligit: at in auſcultatione naturali non interitum abſolutum poteſtatis, priuationem uocat (uult enim in libris illis priuationem quoq; in habitũ mutari) ſed formis ſolius abſentiam. Cuiuſnam igitur rei gratia ſpecies quatuor tantum ſint oppoſitorũ, nobis aperuit diuiſio. Quamobrẽ uerò oppoſitionem ſtatuerit relatiuorum primã, ſecundam contrariorũ, tertiam habitus ac priuationis, quartã affirmationis negationisq;, nunc explicabimus. Dicimus itaq; ab iis quæ molliorem oppoſitionem haberent, relatiuis inquã orſum eſſe. Hæc enim ſua oppoſitione in ſe mutuò ſolum nõ corrumpunt, ſed ſimul etiam inuehunt: quippe uno poſito, uerbi gratia patre, ſecũ alterum quoq; infertur, ut filius, ſublatoq; uno, ſimul auſertur & alterum: cum alterum ipſum eſſe alteri præſtet. Locum ſecundum obtinet contrariorum oppoſitio, ut albi & nigri: horum enim eſt oppoſitio quodam pacto ualẽtior: quoniam non ſe mutuò duntaxat non inferunt, ſed etiã corrumpunt: alterum enim nõ permanet uno præſente: quanquam hæc inuicem quoq; in ſe tranſmutentur, ut calidum & frigidum, album & nigrum. Tertium obtinent ordinem, quæ per habitũ ac priuationem repugnant: eſt enim horũ ualidior oppoſitio, contrariorum oppoſitione: nam mutãtur in ſe inuicem contraria, priuatio nunquã in habitũ tranſit: neq; enim ex cæco quis rurſus uidebit, ratione ſaltẽ naturali uel artificiali, niſi id diuina poteſtate acciderit. Poſtremo loco ſita ſunt quæ per affirmationẽ negationemq; opponuntur: quippe horum oppoſitio ualentior eſt, quoniã in omnibus quæ ſunt & non ſunt, uerum falſumq; diuidit. Dicitur enim Socrates uel eſſe dexter, uel dexter non eſſe, ueraq; hæc ſanè diuiſio eſt, uel ſi ſolus ſit Socrates, uel cum pluribus, uel neq; omnino ſit. Nam & ſolus ſi ſit, uera eſt diuiſio quæ eum dicit dextrum non eſſe: ſiue cum pluribus, ſimiliter. Nam aut dexter eſt inter plures exiſtens, aut non eſt dexter, ſed uel medius, uel ſiniſter: utrunq; autem non dextrum ſignificat. Sed ſi ne omnino quidem etiam ſit, uerum eſt dicere dextrũ non eſſe: quo modo enim, ſi ne omnino ſit quidem? Vox quoq; alba eſſe dicitur, uel non alba: & lapis aut habere uiſum, aut non habere. Et uerò hanc in omnibus oppoſitionem ueram eſſe, non in particularibus ſolum oppoſitionibus, ſed in uniuerſalibus quoq; cõperies. Nam quæ ſunt, aut dextra ſunt, aut non dextra: uel alba ſunt, uel non alba: uel uiſum habent, uel non habent: non enim hæc oppoſitio in corporibus duntaxat, ſed in corporeis quoque obtinet locum: quippe nec illa dextrũ habent ſitum: quãdoquidem nec corpora ſunt: neque ſunt alba: neque noſtro ſunt uiſu prædita. Quin & nõ eſt neque dextrum eſt, neq; album, neque uiſum obtinet. Ergo affirmatio & negatio, uti prædiximus, omnia entia & non entia dirimunt, oppoſitiones aliæ minime. Nam nec relatiuorũ oppoſitio in omnibus dicitur, ſiquis enim forte ſolus ſit, non eſſe dicitur dexter, aut ſiniſter. Sed neq; ullum ex incorporeis, ut anima: quippe neque dextra eſt, neque ſiniſtra. Verum nec contrariorum oppoſitio: eſſe enim uox alba non dicitur aut nigra, cum quædam etiam mollis uocetur: neque colorum hi ſunt albi, illi nigri, quandoquidem ſunt & medii, fuſcus, & pallidus, atq; conſimiles. Sed neque in priuatione & habitu: non enim cæcus eſſe dicitur lapis, uel præditus uiſu. Meritò igitur primam dixit oppoſitionem relatiuorum, ſecundam contrariorum, tertiam quæ per priuationem & habitum, quartam quæ per affirmationẽ negationemq; obtinet: orſus nimirum ab iis quæ oppoſitionem ſunt molliorem ſortita: progreſſusq; ad ea quæ opponuntur uehementius. {Oppoſita uerò ſunt id genus ſingula, ut formula explicem, ceu relatiua quidem, quale duplum dimidio.} Notitiam per hæc nobis quandam eorum tradit, ſermonem in exemplis meditans: tum ita ſeparatim unumquodq; diſcernit à reliquis: nequis eandem horum eſſe oppoſitionem putet. Eandem nanque eſſe oppoſitionem contrariorũ relatiuorumq; ſunt quidam ſuſpicati, contrarium enim inquiunt contrario contrarium eſt. Ad hoc igitur reſ-

A quæ contrarietatem admittunt qualitates eſſe dicimus, ut album & nigrum, & calidum & frigidum: nemo quippe dixerit albũ nigro eſſe album, neq; nigrum albo nigrũ: ipſa tamen ad aliquid ſe habentium eſt contrarietas. Neq; abſurdum quidquã ſanè eſt, contrarietatem quę relatiuorum ſit, aliis in rebus conſpici: nanq; ad aliquid ſpectantia propria non frui ſubſiſtentia dicebamus, ſed in aliis prædicamentis cõſiſtere. {Vt aũt contraria, uel ut malum bono.} Bonũ hoc loco non ſuperſubſtantiale dicit: quandoquidem huic non eſt oppoſitum malum: ſed illud quod in generatione corruptioneq; uerſatur: quod malum habet contrarium. Eſt enim duplex bonum, alterũ per ſe. Deo ſuppetens ſubſtantialiter, quod contrarium obtinet nullum (nã nihil contrarium eſt ſubſtantiæ) alterum per accidens quod ad diſtinctionẽ contrarii dicitur, id inquã quod in nobis eſt. Quẽadmodum lucẽ quoque duplicẽ affirmauimus, tum ſolarem, cui tenebræ oppoſitę minime ſunt: quoniam ſolis ſubſtantiam complet, ſubſtantialisq; eius eſt: tum aeri infuſam,
B ei per accidens iunctam, cui ſunt tenebræ oppoſitæ, nimirũ & ipſæ aeri lucis receſſu superuenientes. Eſt uerò & cognitio duplex, ut Plato quoque affirmat: altera intellectualis, quæ uerum duntaxat nouit, nec falſum habet oppoſitum: altera eſt cogitatiua opinio, cui eſt oppoſitum falſum: falſò nanque cogitare opinariq; contingit: falſò uero non cõtingit intelligere ſiquidem mens amẽs eſſet. Aut enim, inquit Ariſtoteles, attigit mens intelligibile, aut non attigit: quocirca uacat errore. Huic igitur apud nos bono, generabili inquam malum eſſe oppoſitum dicit.

Quæcunque igitur ut ad aliquid opponuntur, ea ipſa quæ ſunt oppoſitorum dicuntur, aut quomodolibet aliter ad ipſa: ut duplũ dimidij, hoc ipſum quod eſt, alterius dicitur: alicuius enim duplum dicitur: & ſcientia ſcibili, tanquam ea quæ ſunt ad aliquid opponuntur. Et dicitur ſcientia ipſum quod eſt ſcibilis: & 62
C *ſcibile dicitur ipſum quod eſt oppoſitum ad ſcientiã: ſcibile enim aliquo dicitur ſcilicet ſcientia ſcibile. Quæcunq; ergo oppoſita ſunt tanquam ad aliquid, ea ipſa quæ ſunt oppoſitorum, uel alio quolibet modo ad inuicem dicuntur.*

Quæcũq.} Relatiuorũ oppoſitionẽ uult cũ cõtrariorũ oppoſitione nõ eandẽ eſſe demonſtrare: probatq; id, tali in ſecũda figura utens ſyllogiſmo: quæ oppoſita ſunt ut ad aliquid, ea quæ ſunt, aliorũ dicuntur, ut dextrũ ſiniſtri dicitur dextrũ: quæ uerò ut contraria ſunt oppoſita, non ea quæ ſunt dicuntur aliorũ: nam albũ nigri albũ nõ dicitur: oppoſita ergo ut ad aliqd ab oppoſitis ut cõtraria diuerſa ſunt.

Illa uero quæ opponũtur ut cõtraria, ea ipſa quidẽ quæ ſunt 63
nullo modo ad ſe inuicem dicuntur contraria tamen ſibi inuicem dicuntur: neq; enim bonũ mali dicitur bonum, ſed contrariũ quare differunt ab inuicem hæ oppoſitiones. Quæcunq; uero cõtra-
D *riorum talia ſunt, ut in quibus nata ſunt fieri, et de quibus prædicantur, neceſſarium ſit alterũ ipſorum ineſſe, horũ nihil eſt medium. Quorum uerò non eſt neceſſarium alterum ineſſe, horum omnino eſt aliquid mediũ. ut ægritudo & ſanitas in corpore animalis nata ſunt fieri: & neceſſarium eſt alterum ipſorum in eſſe animalis corpori, uel ægritudinem, uel ſanitatem. Et par quidẽ & impar de numero prædicantur: & neceſſe eſt horũ alterum numero ineſſe uel par uel impar: & nõ eſt horũ aliquod mediũ, neq; ægritudinis & ſanitatis: neq; imparis atq; paris. Quorum aũt non eſt neceſſariũ alterũ ineſſe, eorũ eſt aliquod mediũ: ut nigrum & albũ in corpore animalis nata ſunt fieri: & nõ eſt neceſſariũ alterũ eorũ ineſſe corpori: nõ. n. omne corpus uel albũ uel nigrũ eſt. Sed & prauũ & ſtudioſum prædicãtur quidẽ de homine, & de aliis compluribus: nõ eſt autem neceſſarium alterum eorum ineſſe iis de quibus prædicantur: non enim omnia*

A *aut praua aut ſtudioſa ſunt: ſed eſt aliquid eorum medium: ut al*
bi & nigri fuſcum & pallidum: & quæcunq; alij colores: praui
uero & ſtudioſi, quod neque prauum neq; ſtudioſum eſt. In ali-
quibus igitur medijs poſita ſunt nomina: ut albi et nigri fuſcum
& pallidum, & quæcunq; alij huiuſmodi colores: in aliquibus ue
rò non eſt nomine facile medium aſsignare utriuſq; uerò extre
morum negatione medium definitur: ut quod neque bonum neque
malum eſt, neque iuſtum neque iniuſtum.

Illa uero quæ} Diſcreta relatiuorum à contrariorũ op
poſitione, nunc ſeiungere eam à cæteris cogitat: priuſq;
ab habitus & priuationis oppoſitione diſcriminat. Quoniã
uerò ad hoc ei diuerſarum enumeratio confert ſpecierum,
quæ per habitũ priuationemq; ſunt oppoſitæ, prius tradit
nobis harum differentias, ſpecieſq;, ante hæc prodit diuer-
B ſas contrariorum. Nimirũ enim has quoq; ab iis protinus
diſcernit quæ per habitũ priuationemq; opponuntur, poſt
uarias aũt oppoſitorum per habitum priuationemq; enu-
meratas ſpecies, eorum quoq; exponit differẽtias, quæ per
affirmationem negationemq; obluctantur, poſtremo igitur
hæc quoq; à cæteris diſcernit. Nã ſe oppoſitionis cuiuſq;
differentias cõſequẽtiaq; nouerimus, oppoſitio nõ quoq;
inter ſe diſcrimina facilè intelligemus. Primum igitur con
trariorum, ut dictum eſt, diuiſionem tradit. Habet aũt hunc
in modum poteſtate: Contrariorum alia medio carent, ut
par & impar: alia medium obtinent, ut album & nigrum
(medium enim fuſcum eſt, & colores reliqui.) Ac medio
præditorũ quædã ſic habent, ut abeſſe utraq; à ſubiecto ua
leant, neq; enim corpus omne album ſimul eſſe uel nigrũ
eſt neceſſe, nã eſſe & fuſcũ poteſt. Quædã ita, ut ex neceſsi
tate præfinitè alterũ, nec quodlibet, adſit ſubiecto, ut calidi
tas in igne, nec unq̃ frigiditas. Similiter & in niue frigiditas,
calidi. nunquã: quod horũ ſic utrunq; naturà ſit cõparatũ.
C Atq; hæc quidẽ tum diuiſio, tum ſubdiuiſio eſt. Cæterũ ſu-
perdiuiduntur & hoc pactũ cõtraria medijs prædita. Me-
diatorũ contrariorũ quorundam media ſunt nominibus,
quorundã orationibus, atq; extremorũ negatione expli-
cata. Nominibus uocata ſunt, quæ albo nigroq; interiacẽt,
ut fuſcũ, pallidũ flauum, & ſimilia: quod aũt inter uitioſum
ſtudioſumq; eſt medio, id non exprimitur nomine, ſed ne-
gatione extremorũ indicatur, quod neq; uitioſum neq; ſtu
dioſum eſt{ Quæ aũt ſunt eiuſmodi contraria, ut in quibus
fieri natura ſunt idonea, uel de quibus prædicantur.} Contra-
ria partim per accidens, partim per ſe ſunt in ſubiecto. Decla
rauit igitur per hæc uerba, fieri natura ſunt idonea, quæ per
accidens: per prædicari, quæ per ſe ſubiecto inſunt. Porrò
ipſum per ſe duplex eſt, ut in demonſtratiua ipſe cõmentatio
ne affirmat: alterũ quod pars definitionis ſubiectæ rei ſit, ut
animal, rationale: ſunt enim per ſe hæc in homine, atq; in eius
definitione aſſumuntur: alterũ in cuius finitione ſubiectum
accipitur, ut par & impar: ſimitas & deſimitas (per deſimita
D tẽ intelligo, adunci naſi affectũ, quem græci γρυπότητα di-
cunt) namq; & par & impar finientes ſubiecti meminimus,
numeri inquã. Par enim dicimus, numerũ qui bipartitò ac
æq; diuiditur: & impar, numerũ qui ĩ partes æquales duas
ſecari nequit. At numerũ finientes nõ neceſſe, eſt enim mul
titudo collectioq; unitatum numerus, etſi numerus omnis
maximè aut par eſt aut impar. Simitatẽ quoq; ac deſimita-
tem finientes, ſubiectũ hoc eſt naſum neceſſario cõmemora
mus: ſimitatem dicentes cauitatẽ eſſe in naſo: deſimitatem
gibbum in naſo.{ Ipſorum ineſſe alterũ ſit neceſſe, eorum
nihil eſt mediũ.} Quod dicere uult his uerbis, huiuſmodi
eſt. Quæcunq; ſunt id genus contraria, ut ipſorũ ineſſe al-
terũ, uel ut per ſeſe, uel ut per accidẽs ex neceſsitate opor-
teat, horũ nihil interiacet medium. Quæ uero ſunt eius no
tæ ut ambo à ſubiecto abeſſe poſsint contraria, in quo uel
per ſe, uel per accidens inſunt, hæc medio non carent, ſed ali-
quod habent interſitũ medium. Exemplũ prioris. Contra-
riorũ quæ per ſe inſunt, par & impar, horũ enim nihil in me
dio eſt. Prædicatur autẽ par & impar de numero, eſt enim

A numerus omnis aut par aut impar, nec qui id genus nõ ſit,
dici poterit numerus. Eorum aũt quæ per accidens inſunt
contrariorũ, morbus & ſanitas: nã nec eſt aliquid horũ me
dium, ſed adeſſe ex neceſsitate eorum alterũ animalis cor-
pori eſt opus, uel ſanitatẽ, uel morbum: ut per morbum,
omnẽ quouis modo à naturali ſtatu egreſſum capiamus.
Secũdi exemplũ. Eorũ quæ per ſe adſunt: ut caliditas igni,
& aquæ frigiditas: medium enim eſt horum aliquod, tepi-
dum puta: eorum uerò quæ per accidens, ut nigrũ in no-
bis atque album, quibus fuſcum eſt medium. { Et uerò
prauum ſtudioſumq; de hominibus prædicatur, aliiſq; cõ-
pluribus.} Nam nõ in hominibus ſolũ, ſed in aliis quoq;
prauum ac ſtudioſum dicimus, ut in equo. { In nonnullis
itaque impoſita ſunt medijs nomina.} Per hoc, uti iam dixi
mus, alio pacto mediatorum cõtrariorum ſubdiuiſionem
facit: ſubdiuiſis iam ante his ipſis in ea quæ abeſſe à ſubie-
ctò ambo poſſunt, & quæ per oppoſitorum alterum ſub-
B iecto, ex neceſsitate ineſſe natura ſunt comparata.

Priuatio uero et habitus dicuntur quidem circa idem aliquid: 64
ut uiſio & cæcitas circa oculum. Vniuerſaliter aũt dicere eſt in
quo natus eſt habitus fieri, circa hoc dicitur utrunq; eorũ fieri:
priuari uerò tunc dicimus unumquodq; habitu ſuſceptibilium,
quando in quo natũ eſt ineſſe, uel quando illud natũ eſt habere,
nullo modo inſit. Edentulũ enim dicimus non quod non habet den
tes, & cæcum non quod non habet uiſum: ſed quod non habet
quando natum eſt habere: aliqua enim ex natiuitate neque dentes
habent, neq; uiſum: ſed non dicuntur edentula, neq; cæca. Priuari
uerò & habere habitũ non eſt priuatio & habitus. Habitus enim
uiſus eſt, priuatio uerò cæcitas. habere autem uiſum, nõ eſt uiſus:
nec cæcum eſſe, cæcitas. Priuatio enim quędã eſt cæcitas: cæcum
uerò eſſe priuari, nõ priuatio eſt. Amplius. Si idem eſſet cæcitas
C *& cæcum eſſe, utraque de eodem prædicarentur, ſed cæcus qui-*
dẽ dicitur homo, cæcitas uero homo nullo modo dicitur. Opponi
quidem etiã iſta uidentur, priuari ſcilicet et habere habitũ, quem
admodum priuatio et habitus: idem enim modus eſt oppoſitionis:
nã ſicut cæcitas uiſui opponitur, ſed cæcum eſſe et uiſum habere,
opponuntur. Nõ eſt autem neq; hoc quod ſub affirmatione et ne
gatione eſt, affirmatio & negatio. Affirmatio namq; oratio affir
matiua eſt: et negatio oratio negatiua: quod uero ſub affirma-
tione & negatione eſt, nulla eſt oratio: ſed res. Dicuntur aũt
hæc eſſe oppoſita ad inuicem, tanquam affirmatio & negatio;
nam & in his modus oppoſitionis idem eſt: ſicut enim affirmatio
ad negationem opponitur, ut quod ſedet, ei quod non ſedet: ſic et
res quæ ſub utroq; eſt opponitur. ſ. ſedere aliquem ad nõ ſedere.

Priuatio & habitus idem aliquod dicitur.} Cum diuerſa
contrariorum oppoſita ſignificata prodiderit, nunc eò cõ-
D uertitur ut de priuatione atq; habitu doceat. Iam enim di-
ximus horum ipſi præceptionem ut à relatiuis ea dirimat
conſerre: neque ut ab iis ſolum, ſed ab aliis quoque oppo
ſitis diſcernat. { Vniuerſaliter autem loquendo in quo fieri
habitum natura comparatum eſt, eorum utrunque circa id
dicitur.} Vt rem deſignaret, in quo natura comparatum
eſt dixit, quò particulare oſtenderet: natura autem compa
ratum ad habendum dixit, ut tempus indicaret. Illud
uerò ſciendum eſt, aut eſſe priuationem ſubſtãtiæ, aut facul
tatis, aut habitus, aut actionis, aut rectitudinis, aut perfectio-
nis. Sed nomen ac res, priuatiua in quibuſdam ſunt, ut in-
ſenſibili: in quibuſdam nomen ſolum, ut in immortali,
atq; incorporeo, illo quod à corpore in oppoſitum ſeiun
gitur: in aliis res duntaxat: non etiam nomen, in ſurdo, &
cæco. Tria ſunt in habitu priuationeq; obſeruanda: quod
accipere natũ eſt: & quando accipere, ideſt quo tẽpore ſit
aptum natura: & in qua parte accipere. Circa quã rẽ uerò
dicitur habitus, circa eãdẽ & priuatio ſpectatur, non. n. uiſu
priuatũ eſſe dicimus lapidem: quoniam ne omnino quidẽ
uiſum

uiſum recipere ſuapte natura eſt aptus: neq; uiſu priuatum A in pedibus hominem: quando uiſum ab eo hac in parte obtineri natura noluit. Sed nec catulum uiſu orbatum uocamus: quoniam eo tempore uiſu frui haudquaquem eſt natura idoneus. At hominem in facie uiſu priuatim appellamus, quòd homo uiſus compos eſſe naturæ beneficio eſt aptus, & hac in parte, atq; hoc ſimiliter tempore. Dicimus quoq; edentulum non eũ abſolutè qui dentes non hebeat: haud enim ſanè & recens natum: cum ad habendum tunc non ſit natura aptus: quo modo nec cęcum catulum: ſed eũ uerbi gratia edentulum nominamus qui à ſenectute uel affectu priuatus eſt dentibus. {Priuatũ uerò eſſe & hebitum obtinere non eſt priuatio & habitus.} Vult hiſce Philoſophus, non eſſe idem priuatum eſſe cum priuatione, neque habitum obtinere cum habitu, oſtendere. Nam qualitates quidẽ ſunt hebitus ipſe ac priuatio: qualia uerò ea quæ habitum ac priuetionẽ habent: denominatiueq; ab ipſis dicũtur, ut albedo & album: eſt.n. qualitas illa: hoc quale, denominatiuè ab ea deductũ. Oſtendit hoc porrò Philoſophus B habitum inquã aliud eſſe & habere habitum, non per genera, hoc eſt pee habitum & habitu præditum, uel per priuationem & priuatione affectũ, ſed per ſpecies, hoc eſt uiſum ac cæcitatem, & eum qui uiſum cæcitatemq; obtinet: quippe notiores ſunt ſpecies generibus. Perſpicuum nanque in his eſt aliud cæcitatem, aliud habens cęcitatem eſſe: & aliud uiſum, aliud qui uiſum habeat: ſunt enim qualitates illa: hęc participes earum ſubſtantię: itaq; ſi diuerſa ſint hęc, erunt & horum diuerſa genera. Vt enim uiſus cęcitasq; ad eum qui uiſu ac cæcitate præditus eſt ſeſe habet, ſic habitus & priuatio ad eum qui habitum & priuationẽ obtinet: quoniam ut ad habitum quoq; ac priuationẽ ſeſe hebent uiſus & cæcitas, ſic cui uiſus & cæcitas eſt, ad eum qui habitu & priuatione præditus eſt, ſeſe habet: cum eorum ſint ſpecies. Ergo ſi diuerſa ſunt hæc, uiſus inquam & habens uiſum, & cæcitas ac cæcitatem habens, erunt & genera eorum diuerſa, habitus inquam & qui habitũ poſſidet: & priuatio ac priuationẽ obtinens. Nã ſi cæcitas idẽ eſſet ac cæcũ eſſe, prædicaretur de C eodẽ utrunq;. Et aliter, ſi uiſus eſſet idẽ inquit & uiſum habens, ambo de ſubiecto eodẽ prędicarentur. Vt.n. mortalis, & homo, & rationalis, cũ idẽ ſint, de uno ſubiecto prædicantur, ita hęc quoq; ſi eſſent eadem, de uno ſubiecto eodemq; dicerentur: nunc uerò habere homo cæcitatẽ aut uiſum fertur, cæcitas autẽ uel uiſus ſimpliciter eſſe nõ dicitur: quamobrem uel ex hoc conſtat eſſe hæc differentie. Verum tametſi diuerſa hæc inquit ſunt habent eundem tamen oppoſitionis modum. Nã ut cæcitati obiacet uiſus, quemadmodum priuatio habitui: ſic habere uiſum & cæcitatem, per habitũ ſunt priuetionemq; oppoſita. {Neq; uerò quod ſub affirmatione negationeq; cõprehenditur, idẽ affirmatio eſt & negatio.} Quòd autem non idem ſit affirmatio & negatio cum illis quæ ab iis ſignificantur, probet, ex eo ꝙ orationes ſint affirmatio ac negatio: res uero, quæ ab ipſis indicantur. Nã ſedet Socrates, oratio eſt: res autem, ſedẽs ipſe Socrates, eſt enim ſubſtantia cum actione quadã, eum eo inquam quod D ſedere eſt. Et uerò eodem hæc oppoſitionis modo ſibi mutuò refragãtur. Etenim quemadmodũ Socrates ſedet dicẽs oratio, Socrates non ſedet dicenti aduerſatur: ita & ſedens Socrates non ſedenti repugnat: oppoſitio enim utraq;, ut affirmatio negatioq; obnititur.

69 *Quòd autẽ priuatio & habitus non opponantur ut ad aliquid, manifeſtum eſt. non.n. dicitur idipſum quod eſt oppoſiti. Viſus enim non eſt cæcitatis uiſus: nec ullo alio modo ad ipſum dicitur. ſimiliter autem neque cæcitas uiſionis cæcitas dicatur: ſed priuatio quidem uiſionis dicitur: cæcitas uero uiſionis non dicitur: neque uiſus cæcitatis. Amplius. Ad aliquid omnia ad conuertentia dicuntur: quare ſi cæcitas eorum quæ ad aliquid ſunt eſſet, utiq; & conuerteretur ad illud ad quod dicitur: ſed non conuertitur: non enim dicitur uiſus, cæcitatis uiſus.*

Quòd autem} Cum nos de oppoſitione ſeorſum unaquaq; docuerit, nunc diſcretionem earum facit: oppoſitaq; ut ad aliquid ab oppoſitis per habitum ac priuationem diſcriminat: iam enim ea à contrariis diduxit. Sermonem autem in ſpeciebus rurſus utpotè clarioribus exercet, uiſu inquam & cæcitate: ac primum quidem ita probat, iterum ſyllogiſmo in ſecunda utens figura. Relatiua, ea ipſa quæ ſunt dicuntur oppoſiti. Nã pater filiũ pater & dextrum ſiniſtri dicitur dextrum: quæ autem per habitum ac priuationem obſtant, non ea ipſa quæ ſunt oppoſitorum perhibentur (uiſus quippe nõ cæcitatis eſſe uiſus dicitur) ergo relatiuè oppoſita eb iis quæ per habitum priuationemq; opponuntur, diuerſa ſunt. Atq; ita primum quidẽ ab illuſtriore cõfeſſoq; demonſtrauit: ab eo inquam ꝙ uiſus non cæcitatis uiſus dicatur: dein poſt quoq; & ab ambiguo, nẽpe ꝙ nec cæcitas uiſus dicatur cęcitas: nam hoc dici uidetur. {Nec aliter ullo ad ipſum modo uiſus dicitur.} Hoc eſt quocũq; modo finxeris nomina, nullo pacto ad oppoſitũ dicitur. Quod ergo dixit nec ullo modo, ſiue per ablatiuũ, ſiue per aliũ caſum aſſignaueris, indicat: neq; enim uiſus cæcitate eſt uiſus eodẽ modo nec cæcitas uiſus dicitur cæcitas: quippe q uiſus eſt, is non ſit cæcitas, tametſi cæcus ſit oculus. Non itaq; cæcitas uiſus cęcitas dicitur, ſed uiſus priuatio cæcitas. Nam nec tenebræ lucis dicuntur tenebræ, ſed lucis priuatio: quippè nec lux ſit tenebræ, ſed tenebroſus aer, quanquam per lucis obumbrationem. Sciendum porrò eſt, non uidendi actũ ſolum, ſed ſubiectum quoq; hoc eſt oculum uiſus nomine indicari. Cum ergo in confeſſo, i. uiſu, non eũ dici ad oppoſitum probauerit, nunc in ambiguo demonſtrat. Nã cæcitas, inquit, priuatio quidem dicitur uiſus, cæcitas autẽ uiſus nequaquam. Niſi fortè cæcitatẽ non uiſus cæcitetem dici perperam pronunciari, arbitramur. Nã ſi priuationem, ut ipſe quoq; inquit, uiſus dicimus, genus autẽ ſi de quoquã prædicetur, ſpeciẽ quoq; eius aliquã prorſus de quoquã prædicari eſt neceſſe. (non.n. quidquã eſſe animal poteſt, quod omnino aut hõ, aut equus, aut aliorum quodpiam non ſit animalium: ſimiliter nec priuetionem eſſe licet, niſi quidquã ſit omninò cuius eſſe priuetio dicetur,) prorſus ergo eſt neceſſe oppoſitam quoq; illi ſecundũ ſpeciem habitudini, priuationem illius perhiberi: quippe uiſus priuetio non ſimpliciter uniuerſaliterq; omnino priuatio eſt: ſed quędã uidelicet priuetio, i. cæcitas. Ergo ſi uiſus priuatio, eſt quædam priuatio, ipſa autem quædam priuatio nihil q̃ cæcitas aliud eſt cæcites ergo eſt uiſus cæritas. Qui enim fieri poſſit, quin cũ dicatur alicuius eſſe genus, ſpecies quoq; alicuius eſſe affirmetur, ſi quidem ni ſpecies aliqua ſit genera exiſtere minime poſſunt: aut ergo nec genus, i. priuatio, uiſus eſſe priuatio dicitur: aut ſi genus, omnino & ſpẽs aliqua. Sed ad hoc dixerit quiſquam fortaſſis, ſi ſcientiæ priuationẽ dicimus, ſpeciem priuationis huius aliquã (quod ad rõnem hanc attinet,) eſſe oportere, quæ de ſcientia prædicabitur, aut ad eã diretur: nunc oerò cũ prædicetur de ſcientia genur, quampiã de eadẽ prædicari ſpeciẽ, non cõperimus. Dicere ergo ad id poſſumus, nec nominatã haberi oppoſitã ſciẽtiæ priuationẽ, quemadmodum oppoſite uiſui priuatio cæcitas nuncupatur. Nã ſi eſſet, ad ſcientiã illa quoq;, ut cæcitas uiſus, cæcitas, diceretur. Vbi.n. priuationes per habituum priuationem nominemus, ut inſcitiam, indocilitatem, indoctũ, ac ſimilia, non talie itẽ eſſe oppoſiti, ſed recipiẽtes dicuntur. Non.n. inſcitia ſciẽtiæ fertur inſcitia, ſed animi inſcitia: & indocilitas: & reliqua: quippe in ſeipſis oppoſitũ de quo priuationẽ prędicant habẽt. Verũ priuatio etſi id ipſum quod eſt fertur eſſe oppoſiti, nõ genus ipſum duntaxet, ſed ſi ſpecies quoq; nomẽ adepta ſub hac quæpiã ſit: nõ propterea ſi & habitus id ipſum quod eſt priuationis dicitur. At oppoſitorum utrunq; relatiuorum, id ipſum quod eſt, oppoſiti eſſe perhibetur, ut Ariſtoteles deinreps affirmat: quamobrẽ per habitum priuationemq;, oppoſita à relatiuis ſecerni har ratione poſſunt. Quin & hoc affirmare habeas, non quo modo ad aliquid ſpectantia ea ipſa quæ ſunt eſſe aliorum dicuntur, ſic priuationẽ quoq; eſſe hebitus priuationẽ dici. Nãq; in relatiuis, ut quę cauſæ ſibi mutuò ſunt, ſic eſſe utrunq; oppoſitorum dicitur reliqui, habitudinis uerò eſſe fertur priua-

A tio,ceu quæ illi non ut ſit,ſed contra,ut non ſit cauſam præſtet. An uerò eſt Ariſtotelis dicto opitulari,priuationem dici uiſus eſſe priuationem aſſerenti, cæcitatem autem uiſus non item? Ecce itaq; lucis quoq; priuationem,tenebras autem lucis non etiã dicimus:tametſi nihil aliud ſunt tenebræ quàm lucis priuatio,ut uiſus priuatio cęcitas,uelut alibi nobis pluribus oſtenſum eſt. Verũ quẽadmodum crurum uerbi gratia læſionem uocamus,haud uero etiam læſionẽ integritatis,uel rectitudinis,uel quouis modo crurũ ſitum naturalem appellaueris,dicimus:ſic tenebras quoq; aeris, lucis autẽ tenebras non etiã nominamus.Ergo nec uiſus cæcitatem:ſed ſi quidẽ loquendum ſit oculorũ cæcitatem ut oculorum quoq; læſionem nuncupamus: ſignificat.n. partem oculus uiſionis participem: uiſio poteſtatẽ ipſam. Verum quoniã ut in qualitatibus aliis quoq; ſæpenumero qualitate affectũ corpus æquiuocè cum qualitate nominamus,album q; tum dealbatum corpus,tũ ipſam appellamus albedinem,& calidũ frigidumq; ſimiliter,& graue ac leue,& reliqua: B ita uiſum quoq; non de poteſtate ſolum,ſed de ipſis etiam inſtrumentis dicimus:oculosq; ipſos uiſum ſeu lumina uocamus.Cæcitatẽ uerò oculorũ eſſe, propriè dicimus: at oculi,qui prodidimus uiſus ꝓprie uocãtur, ob id itaq; cæcitatẽ quoq; uiſus dicimus, nõ de facultate uiſus nomẽ,ſed de inſtrumentis nimirum dicentes. Ariſtoteles autẽ cęcitatẽ nõ ad oppoſitam facultatem dici, id quod uerũ eſt,arbitratur. Reliquum eſt igitur,illud ſoluamus,quomodo cum genus cæcitatis, priuatio inquam,eſſe prodatur habitudinis, non ſpecies quæuis etiam priuationis,oppoſitę cuiuſpiam eſſe habitudinis dicatur:ſi uerum quidem ſit, in quibus dicitur genus, omninò ſubiectam quoq; generi prædicari aliquam ſpeciẽ. Habitus igitur res quaſdam eſſe formã adeptas ſubſiſtentesq; aio. Proinde genus cũ ſit habitudo,ſubiectas quoq; ipſi ſpecies iure exiſtentes ac forma quapiam naturali præditas obtinet ſingulas. At priuatio nihil aliud porrò eſt q̃ habitus abſentia, quamobrem non ens eſt ipſa ſua ipſius ratione. Quonam igitur modo non entis ut exiſtentis aliquas ſpecies quærimus? C Quare tametſi ſpecialior aliqua cuiquam habitui ſit priuatio oppoſita,nõ ut ens aliquod tamen,ſed rurſum ut non ens per habitus negationẽ opponitur,ut docto indoctum,& dentes obtinenti edentulum,ab e priuatiua particula,& dente. Itaque & particulares hæ priuationes perinde ac genus per habitus negationem dicuntur. Quod ſi priuationi cuiquam inditum nomen uſquam fuerit inuentum,ut uiſus abſentia cæcitas nominatur,uel luminis abſentia tenebræ, non de habitus abſentia,ſed de affectu penes ſubiectum genito, aut aliqua ex aliquæ habitudinis abſentiæ ſuperuenit eiuſmodi prædicatur nomen:ut σκότος ideſt tenebræ, dicitur à uerbo σκοτοῦν quod eſt obumbrare,eſt autem umbra lucis impedimentũ quod in aere,uel ſimpliciter in perlucido contingit. Vel,ut Herodianus autor eſt,a uerbo σχέθειν quod eſt detinere.detinet,enim quo minus intelligamus, aut aggreſſus actusq; complures remoratur. Et uero τύφλωσις forte ideſt cæcitas à τύφειν ideſt inurendo deducitur, & τυφλὸς,i. cæcus,quaſi τυφὼς,hoc eſt inuſtos habẽs oculos nominatur. Oculi enim (inquit Poeta) paulatim uruntur inanes. D Quemadmodum πηρὸς quoq; ideſt oblæſus à πάθω,πάσχω ideſt patior,patiar,ut ab ὀκνῶ ὀκνεῖν,ὀκνηρὸς,hoc eſt, a pigreſco, pigreſcã,pigere eſt factum. Merito igitur talia eſſe inſtrumentorũ dicuntur,nec habituum, ipſorum nãq; ſunt habitibus ſubiectorum, nec ipſorum habituum affectus. {Item relatiua omnia ad reciprocantia dicuntur.} Alio rurſus probat ſyllogiſmo,diuerſa eſſe ut ad aliquid oppoſita ab iis quæ per priuationẽ habitumq; aduerſantur. Sic.n.poteſtate inquit: Quæ ſunt ad aliquid ad cõuertentia dicuntur,nã ut pater filii pater,ſic & filius patris filius dicitur:quæ uerò per habitũ,priuationẽq; opponuntur,non dicuntur ad conuertentia, (non enim uiſus eſſe dicitur cæcitatis uiſus) relatiua igitur ab iis quæ per habitum ac priuationem opponuntur diuerſa ſunt.

66 *Quòd autem neque ut contraria opponuntur, quæ ſecundum priuationem & habitum dicuntur,ex his manifeſtum eſt. Contrariorum enim quorum nihil eſt medium, neceſſe eſt uel in quibus fieri nata ſunt,aut de quibus prædicantur, alterum ipſorum ineſſe ſemper:eorum enim nihil medium erat quorum alterum in eſſe ſuſceptibili neceſſarium erat:ut in languore & ſanitate: & impari atque pari. Quorum uerò aliquid medium eſt,nunquam neceſſe eſt omni ineſſe alterum: neque enim neceſſe eſt omne ſuſceptibile uel candidum,uel nigrum eſſe: neque frigidum uel calidum: horum enim medium aliquid nihil eſſe prohibet. Inſuper autem & horum erat aliquid medium, quorum alterum ineſſe ſuſceptibili non neceſſarium erat:præter illa quibus unum ineſt naturaliter:ut igni calidum eſſe: & niui candidum: in his enim determinatè neceſſarium alterum eſt ineſſe,& non utrumuis contingit:non enim poſſibile eſt,ignem frigidum eſſe:neque niuem nigram. Quare omni quidem ſuſceptibili non neceſſarium eſt alterum ipſorum ineſſe:ſed ſolis quibus natura unum ineſt: & his de* B *terminatè unum, non utrumuis contingit. In priuatione autem & habitu neutrum eorum quæ dicta ſunt uerum eſt: non enim ſemper alterum eorum ineſſe ſuſceptibili neceſſarium eſt: quod enim nondum natum eſt habere uiſum,neque cæcum,neque uiſum habens dicitur. Quare non erunt hæc,ut ea contraria quorum nihil eſt medium. Sed neque ut ea quorum aliquid eſt medium: neceſſarium enim eſt, aliquando omni ſuſceptibili alterum eorum ineſſe. Quando enim iam ad habendum uiſionem natum fuerit, tunc aut cæcum,aut habens uiſum dicetur: & eorum non determinatè alterum,ſed utrumuis contingit: non enim neceſſariũ eſt uel cæcum uel uiſum habens eſſe.ſed utrumuis contingit. In contrariis autem quorum aliquid medium eſt,nunquam neceſſarium erat omni ſuſceptibili alterum ineſſe,ſed quibuſdã,& his determinatè unũ,& non utrumuis contingit. Vnde palàm eſt q; ſecundum neutrum modorum tanquam contraria opponuntur,ea quæ* C *ſecundum priuationem et habitum opponuntur. Amplius. In contrariis quidem cum ſit ſuſceptibile, adinuicem mutationem fieri poſſibile eſt:niſi alicui unum natura ineſt,ut igni calidum: etenim ſanum poſſibile eſt languere,& candidum nigrum fieri,& calidum frigidum: & ex ſtudioſo prauum, & ex prauo ſtudioſum fieri poſſibile eſt. Prauus.n.ad meliores exercitationes deductus et doctrinas etſi ad modicum aliquid proficiat ut melior ſit,ſi certè ſemel quãuis modicũ incrementum ſumpſerit, palàm eſt,quia aut perfectè mutabitur, aut ſatis multum incrementum ſumet: ſemper.n. bene mobilior ad uirtutem ſit,etiã quodcunq; incrementum ſumpſerit à principio. Quare etiam uerìſimile eſt plenius eum ſumere incrementum:et hoc dum ſemper ſit,perfectè in contrarium habitum reſtituetur:niſi fortè tempore prohibeatur. Verũ in priuatione et habitu impoſſibile eſt adinuicẽ mutationẽ fieri. Ex habitu enim in priuationem mutatio ſit: à priuatione uero* D *in habitum impoſſibile eſt,neq; enim cæcus factus aliquis,rurſus uidit,neq; enim caluus fuerit,rurſus comatus factus eſt,neq; cum fuerit edentulus,dentes,ei iterum orti ſunt.*

Quòd} Oppoſitionem relatiuorum à contrariorũ & habitus priuationiſq; oppoſitione diſcreuit, nũc deinde quæ per priuationem & habitũ,ab iis quæ ut contraria ſunt oppoſita dirimit. Ac relatiua quidẽ ab affirmatiuè negatiueq; oppoſitis diſcernere,quod ad conſequentiã attinet, debebat.uerum quoniam futurum eſt ut ratione quadã una quæ per affirmationẽ negationemq; oppoſita ſunt ſecernat à reliquis, idcirco nunc relatiuorum ab affirmatione ac negatione diſcretionem differt,ne eadẽ dicere cogatur. Rurſus autem ſpecierum contrariorum enumerationem repetit: uult enim contrariorum omnium oppoſita habitus priuationiſq; oppoſitioni conferre. {Nam cõtrariorum quibus nihil medium interiacet,neceſſe eſt alterũ eſſe in eo, in quo natura eſſe poſſunt. Numerum enim aut parem eſſe aut imparem

A parem omninò, & animal aut malè aut benè ualere eſt neceſſe: quibus autem medium quidquam intercedit, nunquã ineſſe omni alterum neceſſe eſt. Neque enim corpus ex neceſſitate aut album aut nigrum eſt omne, (nã fuſcum quoque eſt:) uel curſus calidum aut frigidum: eſt enim & tepidum {Præterea eſt & horum medium aliquod quorum in eſſe receptiuo alterum non eſt neceſſe: niſi in quibus eſt unũ natura.} Tertia fuit hęc ſpecies contrariorum, quę aliquod obtinet medium: niſi adſit ex neceſſitate contrariorum alterum acceptiuo, quoniam ſit illi natura inſitum, ut igni calidum, album niui. Nunquam uerò contrariorum utrunq; à ſuſceptiuo poteſt abeſſe: quippe fieri nequit ut calidus nõ ſit ignis: nix non frigida: terra non grauis: ignis non leuis. {At in priuatione atq; habitu neutrũ eſt ex iis quæ dicimus uerum.} Cum diuerſos nobis contrariorum oppoſitionis modos ad memoriam reuocauerit, nũc nullo ex dictis modo contrariorum oppoſitionem eſſe cum priuationis habitusq; oppoſitione eandem poſſe oſtendit: priusq; à contrariis eam medio carẽtibus diſcernit. ita enim inquit: {Neque enim ſuſceptiuo ineſſe eorum alterum perpetuo eſt neceſſe.} Nam in contrariis quæ medio carent ineſt ex neceſſitate alterum ſubiecto: at in iis quæ per habitum ſunt priuationemq; oppoſita, ſubiecto non adeſt neceſſariò alterum: ſed poteſt utrunq; abeſſe: quippe nec cæcus catulus eſt, nec uiſum obtinet: & editus recens in lucem puerulus neq; edẽtulus eſt, nec præditus dẽtibus. At uerò numerus eſt aut par prorſus, aut impar: & animal ex neceſſitate uel ęgrotat, uel ſecunda fruitur ualetudine. Aliter ergo quæ mediis uacant contraria, aliter priuatio habitusq; opponuntur. {Sed nec quibus eſt interſitum medium. Suſceptiuo nanq; omni aliquãdo ineſſe ipſorum neceſſe eſt alterum.} Nunc quæ per priuationem atq; habitum ſunt oppoſita à contrariis medium obtinentibus diſcernit, ac primum ſanè ab iis contrariis, quorum utrũq; poteſt a ſubiecto ſuapte natura abeſſe. Nãq; ex oppoſitis per habitum ac priuationem cum horũ capax ſubiectum fuerit, adeſt ipſi ex neceſſitate alterum. C Cum enim iam aptus natura eſt Socrates, dicetur neceſſariò aut cæcus eſſe, aut uiſu frui, non ita uerò in contrariis. Quippe non eſt ex neceſſitate uel albus uel niger, ſiquidem ipſe neutrum eſſe horum poteſt, quanuis natura contrario utroque recipiendo ſit aptus {Nec definite horum alterum, ſed utrumuis contingat.} His rurſus per priuationẽ habitumq; inter ſe aduerſa a mediatis contrariis diducit, in quibus alterum præfinitè contrariorũ ſuſceptiuo adeſſe eſt natura idoneum. Nam in priuatione & habitu non adeſt tunc, inquit, pręfinitè alterum ſubiecto cum ſuapte natura capax eſt, ſed utrũuis euenire poteſt, non eſt enim aut cæcus definitè Socrates, aut uiſu præditus, ſed ut cunq; acciderit. In mediatis uerò contrariis in quibus adeſt alterum per naturam ſubiecto, unum adeſſe certum neceſſe eſt, nec unquam contrariũ: adeſt enim igni calor diſtinctè: albedo & frigiditas niui: contrarium unquàm. Id tamen ob ſubiecti naturam, cũ alioqui interripiantur mediis per ſe caliditas ac frigiditas. Eadẽ itaque cum neutro mediatorũ contrariorum modo priuationis habitusq; oppoſitio eſt. {Item in contrariis, ſi exceptiuũ D exiſtat, poteſt utriuſq; in alterum mutatio fieri.} Cum diuiſis cõtrariis, eandem nulli ipſorum ſpeciei eſſe priuationis habitusq; oppoſitionem particulatim oſtenderit, hęc nunc in ſe mutuò uniuerſali ſermone diſcriminat, ſi inquiens: Contraria in ſe inuicem cõmeant, nam calidum in frigidum, & frigidum in calidum: & nigrum in album, & album in nigrũ demutatur: quæ autem ſunt per priuationẽ habitumq; oppoſita, non in ſe mutuò tranſeunt. Tametſi enim in cæcitatem uiſus degeneret, non redit tamen & cæcitas ad uiſum, non ſunt eadem igitur contraria cum his quæ per priuationem & habitum opponuntur. Probè autem dixit, ſi exceptiuum exiſtat: quippe ob id & contrariorum in ſe per uices mutatio fit: quandoquidem ipſæ per ſe qualitates ſunt immutabiles, in ſubiecto uerò cum ſunt, mutationem ſuſtinẽt. Probè etiam põt, dixit, non enim mutuum ſemper in ſe faciunt tranſitum contraria: nam quæ definitè cuiquam ſubiecto natura inſunt, hęc nunquã in contraria mutantur. Quippe nec ignis caliditas in frigiditatẽ, nec niuis frigiditas aut cãdor in calorem uel nigritiem cõmigrauerit. {Poteſt & uitioſum ex ſtudioſo, & ſtudioſum ex uitioſo fieri.} Quod fieri quidem è ſtudioſo uitioſo uitioſus poſſit, non oſtendit: probat autẽ ex uitioſo ſtudioſum reddi. Porrò ſtudioſum hic uocat, non conſummatum, qui q; id quod eſt in ſcientia præcipuũ obtinet, nam is habitum poſſidet immutabilem: quippe qui non ſolũ intelligat, uirtutem, honeſtum eſſe, ſed etiam cur honeſtum ſit. Non hunc igitur inquit mutari, ſed rectæ opinionis hominẽ: is enim labi in deterius poteſt falſis perſuaſus rationibus, aut ab hominibus malis deceptus, cum quãobrem honeſtum uirtus ſit neſciat. {Idq; ſi aſſiduè fiat, prorſus in contrariũ habitum reſtituitur, niſi tẽpus prohibeat.} Veriſimile eſt enim uel interrũpi morbo continuitatem: uel negociorum curis: uel prauorũ hominum cõſuetudine. Et uero aliter, ſiquis in poſtrema ſenectute philoſophari cœperit, deinde morte interrumpatur, prius quã ad perfectũ uirtutis habitũ perueniat. {Neq; n. cæcus quis redB ditus uiſum recepit.} Medica certe ratione ac naturali nemo unquam amiſſam oculorum aciem recuperauit: niſi forte diuina uirtus affulſerit.

Quæcunque uerò tanquam affirmatio & negatio opponun- 61
tur, palàm eſt quòd nullo prædictorum modo opponuntur: in ſolis enim his neceſſarium eſt ſemper hoc quidem eorum uerum, illud autem falſum eſſe. Neque enim in contrariis neceſſarium eſt ſemper alterum uerum eſſe, alterum autem falſum: neque in ijs quæ ad aliquid ſunt: neq; in habitu et priuatione: ut ſanitas et languor contraria ſunt: & neutrum horũ neq; uerum neq; falſum eſt ſimiliter autem & duplum & dimidium tanquam ad aliquid oppoſita ſunt: & non eſt eorum neutrum neq; uerum neq; falſum: ſed neque ea quæ ſecundum priuationem & habitum dicuntur, ſicut uiſio & cæcitas. Omnino autem eorum quæ ſecundum nullam dicuntur complexionem nihil neque uerum neque falſum C *eſt: omnia autem quæ dicta ſunt, ſine complexione dicuntur. Veruntamen maximè tale hoc contingere uidebitur, in ijs quæ ſecundum complexionem contraria dicuntur: ſanum nanq; eſſe Socratem, contrarium eſt. Sed neque in his neceſſarium ſemper alterum uerum eſſe, & alterum falſum Cũ enim Socrates ſit, aliud quidem uerum, aliud autem falſum erit: cum uerò non ſit, ambo falſa ſunt: neque enim languere, neque ſanum eſſe uerum eſt: cum ipſe non ſit omnino Socrates. In priuatione uerò & habitu, cum non ſit omnino, neutrum uerum eſt: cum autem ſit, non ſemper alterum quidem uerum erit, alterum autem falſum. Habere nanq; uiſum Socratem ei quod eſt cæcum eſſe Socratem opponitur, ſicut priuatio & habitus: & cum ſit, non neceſſarium eſt alterum uerum eſſe uel falſum: cum enim nondum ſit natus habere, utraque falſa ſunt: & cum non ſit omnino Socrates, ſimiliter quoque falſa ſunt utraq; & uiſum eum habere, & cæcum eum eſſe.* D *In affirmatione uerò & negatione ſemper ſiue ſit, ſiue nõ ſit, hoc quidem falſum erit, illud autẽ uerũ. Languere nanq; Socratẽ, et nõ languere Socratẽ, cũ ipſe ſit, palàm eſt q. alterũ eorum uerũ, alterũ uerò falſum eſt: & cũ non ſit, ſimiliter. Languere etenim, cum non ſit, falſum eſt: nõ languere autem, uerum. Quare in his ſolis proprium erit ſemper alterum eorum uerum, alterum falſum eſſe, quæcunq; tanquam affirmatio & negatio opponuntur.*

Quæcunque uero} Quę ad aliquid ſpectant ab oppoſitis per priuationem & habitum ac contrariis diſiunxit: & hæc ab iis quæ per priuationem & habitũ repugnant. Tres igitur fiunt coniugationes: ergo & tres aliæ reliquæ ſunt, ſecundum eam methodum quam in introductione tradidimus. Erat autem id genus methodus: Oportet multiplicare propoſitam multitudinẽ, per numerum propoſita multitudine minorem unitate, & aſſumere dimidiũ prouenientis numeri, at tot eſſe coniugationes pronunciare. Sunt res

A quatuor nobis uerbi gratia propoſitæ, has multiplicamus cum numero illis per unitatem minore, ideſt ternario & fiũt quater tria, duodecim: ſex horum dimidium, tot ergo ſunt coniugationes. Quapropter tribus nobis ut dictum eſt traditis, tres reſtant reliquæ, quas nunc communi oratione docet. Nam quæ per affirmationem negationemq́; opponuntur, nunc communi ratione à cæteris tribus diſcernit. { Nã in ſolis his partem eorum alteram ueram eſſe, alterã falſam perpetuo eſt neceſſe. } Si enim dicam Socrates ſedet, Socrates non ſedet: horũ alterum uerum eſt, alterum falſum: aliorum trium nec ueritatem nec falſitatẽ ullum ſignificant. Nã ſi pater, uel album, uel nigrum: uel uiſum, uel cæcitatem ſexcenties dixero, nullam nec ueritatem nec falſitatem indicaui. Quoniam ſi ipſa per ſe ſine uerbis proferantur nomina nec ueritatem ullam nec falſitatem declarant: ſin uerbis cõiungantur, tunc uel ueritatis ſignificatiua ſunt uel falſitatis. Quin & ipſa ſi per ſe dicantur uerba, nec ueritatem nec falſitatem indicant: quod ſi applicentur pronominibus, ueritatẽ aut falſitatem oſtendunt, ut ego ambulo. B Enimuero & pronomen à uerbo ipſo ambulo poteſtate continetur: etenim perſonam declarat. Id comprobãt ita eſſe infinitiua: quippe quæ non ueritatem declarant falſitatem'ue, cum perſonas non indicent ut ambulare, uel currere. Nudum enim ipſum eſt per ſe uerbum, nec facultate pronomen complectitur, ut ambulo. Ergo ſi per affirmationem ac negationẽ dicta ueritatis ſunt uel falſitatis indicatiua, trium autem cæterorum ne unum quidem ueritatem aut mendaciũ deſignat, eadem nulli horum oppoſitio per affirmationem negationemq́; eſt { Neque enim ſemper in cõtrariis alterum uerũ eſſe alterũ falſum, neq; in relatiuis, neq; in habitu priuationeq́; neceſſe eſt } Aduerbium Sẽper eapropter adiecit, quoniam hæc aliquando ſubiectis complexa, capacia ueritatis aut falſitatis fiunt, ut bene ualet Socrates, non bene ualet Socrates. { Denique eorum quæ nulla cõplexione dicuntur, neque uerum neq; falſum eſt ullum. } Quæ per nullam dicuntur cõplexionem, eorum nullum aut uerum aut falſum indicat. C Nam relatiua, & contraria, & per habitum priuationemq́; oppoſita abſq; ullo dicuntur cõplexu, nihil hæc igitur ueri aut falſi declarant, quare nec eadem ſunt cum his quæ per affirmationem atq; negationem dicuntur. { Verũ enimuero id in illis euenire cõtrariis quæ per complexum dicuntur uideri poſſit maxime. } Quam quis obiicere ipſi difficultatem potuiſſet, hanc aſſumẽs ipſe proponit, ac ſoluit. Contraria enim inquit quæ cum ſubiecti dicuntur complexu uerum falſumq́; diuidunt. Nã ſanus eſt Socrates uel ægrotat, partim uerum, partim falſum eſt, ſed & uiſum habere uel cæcum eſſe, uel patrem aut filium, hæc quoq; uerũ aut falſum oſtendunt. Ad hoc igitur etſi hæc inquit uerum à falſo diuidere per cõplexum uideantur, multò tamen uel hoc pacto ab affirmatione ac negatione differunt. Affirmatio enim ſemper & negatio in entibus omnibus & non entibus uerum falſumq́; diuidunt, nam cæcum eſſe Socratem uel cæcũ non eſſe, uel album eſſe uel non eſſe album, uel patrem eſſe uel patrẽ non eſſe, ſiue ſit ipſe, alterũ uerũ ſemper ex neceſſitate eſt, alterũ falſum, ſiue non ſit, ſemper uerũ eſt D alterum. Nã qui ne eſt quidẽ omnino, is neq; pater, neq; cæcus, neq; albus eſt. Et qui albam eſſe animã dicit aut albã nõ eſſe, & habere uiſum aut uiſum nõ habere & eſſe dextrã aut dextram non eſſe, is parte altera uerus erit, altera mẽtietur. At non ſic habent contraria, ſed ſi quidem ſit Socrates, uerum eſſe alterum neceſſe eſt, alterum falſum, nam aut frui illum ſanitate oportet, aut morbo torqueri, ſi non ſit, ambo ſunt falſa. Nam qui prorſus non eſt, quo queat pacto aut ſanus eſſe, aut ægrotare? In priuatione autem & habitu, tum ſi ſit, non ſemper contrariorum uerum alterum eſt, ſed ambo interim falſa, tum ſi nõ ſit, falſum, ſemper eſt utrunque. Siquidem edentulum eſſe Socratem, aut habere dentes, ſuperſtite eo, uerum nõ eſt perpetuò alterum, ſed eſt cum falſa ſunt ambo, non exiſtente, ambo ſemper ſunt falſa. Nam qui ne eſt quidẽ omnino, quomodo aut eſſe edentulus poterit, aut dentatus? Similiter & in catulo, utrunq; & habitus & priuatio, ſiue ſit ille ſiue non ſit, nempe & uiſum habere

A falſum eſt, & cæcum eſſe. Similis quoque in relatiuis ratio eſt. Nam & eſſe dextrũ ſiniſtrum'ue, tum exiſtente, non ſemper uerum alterum eſt, ſed ambo falſa interim, ſi ſolus quiſpiam ſit, tum falſa ambo rurſus, non exiſtente. Similiter patrem quoque aut filium eſſe, & niſi ſit, falſa ſunt ambo, & ſi ſit, ambo falſa quandoque. Etenim ſi nec patrem quis nec filium habeat, cuius'nã pater uocari aut filius poterit, niſi fortè per memoriam? re uera dici poteſt nullius. Quamobrẽ oppoſita per negationem affirmationemq́; ab aliis uel hoc pacto non parum differunt. Nam ſi hæc ſemper tum in entibus tum in non entibus uerum falſumq́; diuidunt, cætera uerò in entibus non ſemper, in non entibus nunquam, non idem ergo cum cæteris affirmatio eſt ac negatio. Quin & aliter dixeris. Nempe quæ quòd ueritatẽ interdum uel falſitatem prorſus admittant, non ipſis aliunde euenire quàm ex eo quòd in affirmationes euaſerint: quãdoquidem ipſa per ſe harum neutrius capacia ſunt. Nã ualet Socrates, aut cæcus eſt, aut pater, aut id genus quidquam, affirmatio eſt. B Quare & quod uerum aliquando uel falſum prorſus diuidant, id ſibi propter affirmationem uendicarunt. Cæterum ſciendum in his rurſus quæ per priuationem & habitum, quæq; relatiuè opponuntur, medium inter contraria & affirmationẽ negationemq́; locum obtinere. Nam cum uerum falſumq́; affirmatio ac negatio in entibus omnibus ac non entibus perpetuo diuidat. 10

* * * *

Contrarium autem bono quidem ex neceßitate malum eſt; hoc autem per ſingulorum inductionem palàm eſt: ut ſanitati languor: & iuſtitiæ iniuſtitia: & fortitudini timiditas: ſimiliter autem & in alijs. Malo autem aliquando quidem bonum eſt contrarium, aliquando malum: defectui enim cum malum ſit, ſuperabundantia contraria eſt, cum ſit etiam ipſa malum. Similiter autem & mediocritas, cum utrique contraria ſit, bonum eſt. Sed in paucis quis tale hoc aſpiciet: in pluribus uerò ſemper malo bonum contrarium eſt. 68 11

C Contrarium autem bono} Abſoluta oppoſitorũ diſputatione, quædã nunc nobis præcepta contrario tradit, quorum primum eſt, Bono quidẽ malum omnino eſſe oppoſitum, malo autem bonum non prorſus, ſed quandoque & malum, Vt iuſtitiæ, quæ eſt bonum, iniuſtitia, quæ malũ eſt, aduerſatur, & modeſtiæ petulãtia. Πλεονεξία uerò ideſt pluris uendicationi, quæ malum eſt, non prorſus δικαιοσύνη id eſt iuſtitia opponitur, ſed etiam μειονεξία ideſt minoris uendicatio, ut exceſſui defectus. Quid ergo? iniuſta eſt adeò natura, ut uni duo ſtatuat pugnantia? unum enim ubique uni oppoſitum cernimus, ut aquæ ignem, graui leue, humidum ſicco. Malo igitur bonum ut immoderationi moderationẽ oppoſitum dicimus, malo autem malum non item ut immoderationem moderationi repugnare (ſiquidem immoderationes ambo ſunt) ſed ut exceſſui defectum. Nam cum uirtus in moderatione conſideretur, uitium utrinq; unum, alterum per exceſſum, alterum per defectum ſpectatur. Iu- D ſtitiæ uerbi gratia, quã in moderatione contemplamur, exceſſus eſt, πλεονεξία ideſt maioris uẽdicatio, defectus μειονεξία .i. minoris uendicatio, quarum immoderatio eſt utraq;, opponuntur enim ut immoderationi moderatio. Rurſus modeſtiæ exceſſus procacitas, defectus ſtoliditas, fortitudinis quoque timiditas & audacia, prudentiæ calliditas atq; amentia. Vtraq; igitur declinatio uirtuti ut bono malum, & immoderatio moderationi obiicitur, inter ſe uero non ita, ſed ut defectus exceſſui. Quare non duo uni, ſed unum uni oppoſitum eſt. 11

Amplius. Contrariorũ non neceßarium eſt ſi alterum ſit, & reliquum eße. Sanis nanque omnibus, ſanitas quidem erit, languor uerò non: ſimiliter autem albis omnibus, albedo quidem erit, nigredo uero non. 69

Amplius} Secundum eſt hoc cõtrariorum præceptum. Vnum enim ſi ſit contrariorum inquit, non neceſſe eſt

eſſe

eſſe & alterum: quippe ſi omnes homines ſanos eſſe ſuppoſuerimus, erit ex neceſſitate ſanitas, morbus non erit. Similis ratio quoque in morbo eſt, & albedine, & nigritia, & cæteris id genus. Porrò hæc Ariſtoteles, ipſas per ſe res quæ contrarietatem admittunt, non etiam ut, contraria ſcruttãdo pronunciat. Album enim ut res uel abſque nigro eſſe poteſt, ut uerò huic contrarium, per ſe intelligi non etiam poteſt: quandoquidem ſunt ad aliquid contraria, ipſumq; eſſe in alterius adnexu habent: contrarium nanque contrario contrarium eſt.

70 *Amplius. Si ei quod eſt Socratem ſanum eſſe, Socratem languere contrarium eſt, non contingit autem ſimul utraque eidem ineſſe, non utique continget cum alterum contrariorum ſit, & reliquum eſſe: cum enim ſit Socratem ſanum eſſe, languere Socratem non erit.*

Amplius. Si ei} Sciendum porrò dictum hoc uel ad ſuperioris fuiſſe approbationem, uel quoniam alia eſſe in cõtrariis ſimplicia dicebamus, alia per ſubiectorum complexum intelligi. Cum itaque per ſuperiora, poſſe contrariorum exiſtente uno alterum non eſſe in ſimplicibus cõmonſtrauerit, nunc in iis quoque quæ per complexum conſiderantur idem fieri poſſe oſtendit. Nam ſi ęgrotans Socrates ſano contrarius Socrati eſt, minimè uerò poſſunt in eodem eſſe contraria, contrariorum uno exiſtente, non eſſe alterũ omninò eſt neceſſe. Quippe ſi ſanus ſit Socrates, ægrotare eodem tempore ipſe haudquaquam poteſt.

71 *Palàm uerò eſt quòd circa idem aut ſpecie, aut genere nata ſunt fieri contraria. Languor nanque & ſanitas in corpore animalis nata ſunt fieri: albedo autem & nigredo, ſimpliciter in corpore. Iuſtitia uerò & iniuſtitia in anima hominis.*

Palàm} Tertium hoc præceptum de contrariis tradit, quod eſt uel circa unum atque idem genus fieri, uel circa unam eandemq; ſpeciem nata eſſe contraria: ut albedo & nigritia. Nam circa unum & idem genere uerſantur, in lapide inquam ſunt, & equo, & homine, ac denique in animato corpore, atque inanimato, quę ſunt eadem genere: horum nanque genus eſt corpus ſimpliciter. Sanitas uero & morbus circa unum idemq; ſpecie habetur; ut circa hominem, & equum, atq; animal abſolute omne, quæ ſpecie ſunt eadem: quippe animalis corpus ſpecies eſt ſimpliciter corporis. Iuſtitia ſimiliter & iniuſtitia in hominis anima prouenire natura ſolent: hæc uerò ipſius ſimpliciter animæ ſiue incorporeæ ſpecies eſt. Quamobrem uerò cum idem uel ſpecie uel genere dixerit, non adiecit uel numero: nã idẽ, ut ſupra docuimus, uel genere uel ſpecie, uel numero eſt idẽ, ut & diuerſum: genere, ut homo & equus: ſpecie, ut Socrates & Plato: numero, ut enſis, gladius, mucro, machæra, & ſimilia. Aut ergo ut confeſſum, id prætermiſſum ab eo dicimus, perinde quaſi ſubaudiri nobis poſſet: aut quoniam etſi circa idem numero uerſentur contraria, non in parte eadem tamen. Nam albus parte alia Socrates eſt, alia niger, ut capillis: calidus item alia, & alia frigidus. Quippe fieri nequit ut in eadem ſimul parte exiſtant contraria.

72 *Neceſſarium autem eſt, omnia contraria uel in eodem genere eſſe, uel in contrarijs generibus, uel ipſa genera eſſe. Album enim & nigrum in eodem genere ſunt (color enim eorum genus eſt) iuſtitia uero & iniuſtitia, in contrarijs generibus: illius nanque uirtus genus eſt, huius autem uitium: bonum uero & malum nõ in genere ſunt, ſed ipſa ſunt genera aliquorũ exiſtentia.*

Neceſſarium} Quartum eſt hoc contrariorum præceptum, nempe aut ſub uno eodemq; genere eſſe contraria, ut album & nigrum, ſunt enim ſub colore: aut ſub contrariis generibus, ut iuſtitia, & iniuſtitia: nã illa ſub uirtute, hæc

A ſub uitio reponitur: cõtraria autem uirtus eſt uitio: aut ipſa eſſe genera, ut bonũ ac malum. Hæc enim ſub genere alio non cõtinentur, ſed genera duntaxat ſunt. Quid ergo? duo alia decem illis addenda prædicamenta boni & mali, ut nõ decem amplius prædicamenta, ſed duodecim numerentur? Hæc igitur nocata dicimus genera non eadẽ cum aliis prædicamentis ſignificatione, quod per ſe hæc inquam, quo pacto & prædicamenta, ſubſiſtant, ſed quemadmodum & Plato quinque illa, genera entium dixit, ens inquam, identitatem, diuerſitatem, motum, ac ſtatum, propterea quod in iis quę ſunt omnibus uiſantur, non autem quòd hæc per ſe ipſa ſubſiſtant. Sic ergo & bonum malumq; eſſe genera dixit hoc loco Ariſtoteles, non quod ipſa per ſe, ſed quod in prædicamentis omnibus ſpectẽtur: eſt enim in ſubſtantia bonum quodpiã ac malum, & in quanto, & in quali, prædicamentiſq; reliquis. Bonum nanque in ſubſtantia, eſt eius perfectio, abſolutamq; habere numeris omnibus naturæ rationem, neque in ratione redundare, aut deficere. In quanto, cõmoda cuique rei quantitas.

B In quali color unicuiq; commodus: ſimiliter & in aliis. At exactius rem æſtimantibus, nec contrariæ quidem bonum & malum, ſed per priuationem habitumq; oppoſita uidebuntur. Contrariorum enim utrunq; forma præditum ſit oportet, ac finitam habeat naturam, ut album & nigrum: malum autem certam quæ ſubſiſtat naturam nõ habet: ſiquidem ametria, hoc eſt (ut ſic dixerim) immenſitas quædam eſt, at immenſitas quomodo formam obtinere præfinitam poteſt? Quare fit ut nec ſub definitionem cadat uitium, ſed quemadmodum habitus abſentia uenit priuatio, naturam quampiam ipſa certam non habens, ſic uitium quoque, uel per exceſſum, uel per defectum eſt, uirtutis abſentia. Nam illa cum in mediocritate ſpectetur, declinatio à mediocri per exceſſum uel defectum, uitium fecit. Neque uerò id nos prætereat, contraria quanuis ſub contrariis generibus eſſe prodiderit, non de genere tamen eorum generaliſſimo, ſed proximo dixiſſe & ſubalterno, poni nanq; ſub eodem genere contraria neceſſe. Quanuis enim ſub

C uitio ſit iniuſtitia, ſub uirtute iuſtitia habeatur, tamẽ ea quoque ſub communi quodam uno genere, habitu inquam ac diſpoſitione comprehenduntur: id autem ad qualitatem refertur, quæ genus eſt omnium cõtrariorum generaliſſimũ. Iureq; ſub uno genere ponuntur contraria, quippe mutuũ eorum bellum intelligens natura, supernè illa atque infernè connectenda curauit. Supernè nimirum, communi genere: infernè, ſubiecto communi.

DE PRIORE.

Prius autem alterum altero dicitur quadrupliciter. 73
Primò quidem & maximè proprie ſecundum tempus, ſecundum quod antiquius alterum altero & uetuſtius dicitur. In eo enim quòd tempus amplius eſt, & antiquius & uetuſtius dicitur. Secundo autem quod non conuertitur ſecundum ſubſiſtendi conſequentiam: ut unum duobus prius eſt. duo-
D *bus enim exiſtentibus, mox unum eſſe conſequens eſt: uno uerò exiſtente, duo eſſe non neceſſarium eſt. Quare non conuertitur ab uno conſequentia, ut reliquum ſit: prius autem illud eſſe uidetur à quo non conuertitur eius quod eſt eſſe conſequentia. Tertiò uerò ſecundum ordinem quendam prius dicitur: quemadmodum & in ſcientijs, & in orationibus: nam in demonſtratiuis ſcientijs eſt prius & poſterius ordine. Elementa enim in geometria priora ſunt ordine iis quæ deſcribuntur. ſed & in grammatica, elementa ſyllabis priora ſunt: & in orationibus ſimiliter procemium narratione prius ordine eſt. Amplius. præter ea quæ dicta ſunt, quod melius & honorabilius eſt, prius natura eſſe uidetur: conſueuerunt autem & multi honorabiliores & magis dilectos à ſe, priores apud ſe dicere. Eſt quidem & penè alieniſſimus priorum hic modus. Modi igitur qui dicti ſunt de priore, ferè tot ſunt. Videtur autem præter eos qui dicti ſunt alter*

uertuntur ſecundum eius quod eſt eſſe conſequentiam, ut cum qui dem aquatile ſit, animal eſt, cum uero ſit animal, non neceſſe eſt, ut aquatile ſit. Simul ergo natura dicuntur quæcunque quidem conuertuntur ſecundum eius quod eſt eſſe conſequentiam, ſed nequaquam alterum alteri ut ſit cauſa eſt: & ea quæ ex eodem genere è diuerſo diuiduntur ab inuicem. Simpliciter autem ſimul ſunt, quorum generatio in eodem eſt tempore.

Simul} Meminit & uerbi ſimul in relatiuorum diſputatione, ubi dicebat: Videntur autem quæ ſunt ad aliquid ſimul eſſe natura: quapropter meritò de eo nunc ſermonem instituit. Quoniam uerò ſimul aduerbium eſt priori oppoſitum, triplicem eius aduerbii differentiam tradit: ac primũ quidem modum primo prioris modo opponit: ſecũdum ſecundo, & quinto: tertium tertio: quarto autem nullũ aduerſum ſtatuit modum: etenim hunc etiã antè iam diximus ex prioris ſignificatis alienisſimum. Primũ igitur ſimul aduerbii modum, quem maximè quoque proprium dicit, eũ B eſſe pronunciat, qui ad tempus pertinet: uerbi cauſa ſi duo quidam aut plures eodem in tempore generationem obtinerent. Hunc autem iure maximè proprium affirmat: ſiquidem hominum multitudo uerbo ſimul uti conſueuit in his maximè, nempe iis quæ eodem tempore exiſtunt. Cæterum primo prioris, uti docuimus ſignificato eſt aduerſus hic modus: quòd ipſum quoque prius eſſe maximè ac præcipuè dicebatur, id inquam quod penes tempus intelligitur: ut Socrates & Alcibiades: eſt enim Socrates prior tempore. Ergo ſi quod tempore ipſo prius eſt, id prius dici magis ac potisſimum ualet, opponitur autem uerbum ſimul priori, poterit & quod ſimul eſt tempore peculiarius nuncupari. Sunt autem ſimul ea quæ neque priora, neq; poſteriora habentur. {Simul autem natura ſunt ea quæ ſecundum ipſius quidem eſſe reciprocant conſequentiam.} Secundus eſt hic ſimul aduerbii modus, qui ſecundo & quinto prioris ſignificato repugnat. Secundo quidem, quoniã C prius id eſſe illic dicebamus quod in exiſtendi conſequentia non reflectitur, ut unum & duo: neque enim ut unũ duobus, ſic & duo uni ſunt conſequentia: hic uerò ſimul id eſſe pronunciat quod conuertitur in eſſentiæ ipſius ſequela, ut duplum & dimidium. Vt enim duplo exiſtente cõſequens eſt eſſe dimidium, ita ſi dimidium ſit, duplum eſſe ex neceſſitate cõſequitur. Quinto autem eſt oppoſitum, quoniã prius quidem illud eſſe prodebatur, quod in ipſius quidem eſſe obambulabat conſequentia, cauſa tamen alterari ut eſſet reliquũ erat, uelut in patre ac filio dicebatur. Hęc enim quanquam in exiſtendi reciprocantur ſequela (nam utrouis poſito alterum quoque ſubſequitur) cauſa tamen ut ſit, eſt filio pater: idcirco & prior eſſe ferebatur. Hic uero ſimul dicuntur quæ in exiſtendi commeant conſequentia, nullo autem pacto alterum alteri eſt cauſa, duplum inquam ac dimidium. Hæc enim tum reflectuntur, nanq; uno poſito infertur & alterum neceſſario, tum neutrum, ut ſit, cauſa eſt alteri. Porrò uerbis illis, Nullo autem pacto alterum alteri eſt D cauſa, aduerbium ſolum addendum eſt, quoniam pater ac filius, & duplum ac dimidium difficultatem in re pariũt. Eſt enim cauſa duplum dimidio, quanquam non ita ſolum, etenim cauſatum quoq; eſt, à dimidio cauſam obtinens. Similiter filio quoque cum cauſa ſecundum reſpectum ſit pater, cauſam obtinet filium. Adiectum itaq; ſit aduerbium Solũ, conuenit: quippe & cauſa propriè eſt ea quæ cauſa eſt ſolum, ſed nõ eius quoque cauſatum cuius eſt cauſa. {Et quæ ex eodem genere a ſe mutuò disiuncta in aduerſum ſunt, ſimul dicuntur natura.} Hic tertius ſimul exiſtẽdi modus eſt, qui tertio ſignificato prioris repugnat, ordine inquam priori: qualia ſunt in ſyllabis elementa, ſyllabæ in dictionibus, in orationibus procemia. Hic uero ſimul ea ſunt, quæ eundẽ ex priore ordinem posſident, qualia genera ſunt ex diuiſione eadem ſumpta: ut corpus & incorporeum, diſtant enim ęqualiter hæc & à ſubſtantia, & ſpeciebus ſpecialisſimis, homine inquam & equo, angelo & anima. Simul quoque animatum & inanime ratione eadem dicuntur, ſiquidem hæc

A pari, tum a corpore ſimpliciter dicto, tum ab animali, interuallo recedunt. Terreſtre quoq; & uolucre & aquatile atq; id genus omnia, ſimul dicuntur: eorum enim nullum alterũ altero eſt prius. Nam & a ſupremo genere parem diſtantiam eandemq; obtinent: ſimiliter & a ſpecie ſpecialisſima. Quòd ſiquis forſitan uolucre in aues & locuſtas diuiſerit, non amplius auis & uolucre ſimul dicuntur: ſed prius uolucre, quoniam ex animalis diuiſione acceptum eſt, auis autem ex uolucris ſectione prodiit. Sunt uero priora ſemper ſpeciebus genera, quoniam in nulla exiſtendi reciprocant conſecutione, nam ſpecie poſita ſequitur genus neceſſariò, at poſitis generibus ſpecies non neceſſe eſt, conſequantur.

DE MOTV.

M*OTVS autem ſpecies ſunt ſex: generatio, corruptio, augmentum, diminutio, alteratio, & ſecundum* B *locum mutatio.*

Motus} Non eſt ſub prædicamentis motus, quod in ipſis uiſatur. In ſubſtantia. n. generatio, corruptioq; ſpectatur, ſed nec ſubſtãtia generatio & corruptio, neq; auctio, & diminutio quantum, nec alteratio qualitas, nec localis motus ubi dicitur. Sed neque ad aliquid, quoniam nec ipſum eſſe obtinet in eo motus, quod ſeſe quodam pacto ad aliquid habeat. Ne uerò illud nos prætereat, diſputationem de motu uiro eſſe naturæ rationes perſcrutanti cõſentaneam, ſiquidẽ habẽt ipſum eſſe res naturales omnes in motu, eſt enim & natura, ut finiuit ipſe, motus principium & quietis, quapropter & in naturali auſcultatione ſermonem de eo producit longius, atq; exactius diſſerit. Cæterum quærendum eſt cuius rei gratia hoc loco motus meminerit. Quidam ergo quod prædicamenta facere & pati motiones eſſent, de quibus eſt nihil locutus, ea propter hic ab eo ſermonem de motu inſtitutum affirmarũt, quodam modo enim motus inquit ge- C nus eſt, ſpecies eius, tum alia plura, tum facere & pati. Sic igitur de his nonnulli definiuere. Sed non admittenda id generis ratio eſt, non enim propoſitum Philoſopho eſt plus de prædicamentis facere & pati, quam a principio dixerit, efſari. Prætere a, ut inter initia quoque dicebamus, mouere ad facere prædicamentum refertur, moueri ad pati, ipſe uero motus non item, non eſt enim motus facere. Motus quoq; non prædicamenta, ſed uias in prædicamenta eſſe docebamus. Quam ergo nos ſententiam ferimus? Nempe quẽ admodum de prius aſſumptis uocibus præceptionem fecit, quoniam earum cum de prædicamentis præciperet meminiſſet, ita ſanè & de motu dicemus. Fecit enim in ſermone de ſubſtantia mentionem de motu, cum proprium aſſignauiſſet ſubſtantiæ, unum idemq; numero capax uiciſsim contrariorum eſſe, dubitationemq; ad hoc protuliſſet, non eſſe hoc proprium forſan ſubſtantiæ, quandoquidem non ſoli ipſi, ſed orationi quoque & opinioni competat, nam & hæc unum idemq; numero manentia cõtrariorum ſunt D uiciſsim capacia, ueritatis inquam ac falſitatis, dubitationẽ ſoluens intulit, non eodem hæc modo capacia eſſe contrariorum quo ſubſtantia eſt. Fit enim capax contrariorũ ſubſtantia, motum patiens ipſa, illa uerò, non ipſa motu agitata, ſed aliis motum ſuſtinentibus, ueritatem falſitatemq; accipiunt. Proinde igitur quoniam meminit motionis, neceſſe eſſe eam nos docere arbitratus eſt. Decet itaque phyſicũ uirum, ut iam antedixi, ſermo de motu, quamobrem quatuor & ipſe poſteriores ex octo phyſicæ auſcultationis libris in diſputationem de motu conſumpſit. Hic uero tantum de eo diſputat quantam logico uiro ſcrutari cõuenit, in quot ſpecies diuidatur motus, & quæ ſint, & quæ quas conſequantur, uel non conſequantur. {Sex motus ſunt ſpecies, generatio, corruptio, auctio, diminutio, alteratio, ac loci mutatio.} Cur in ſex partes motus diſcerpitur? quoniam motus alienatio quædã ac demutatio eſt. Deturbatur autẽ uel a ſua ipſius quanquam ſubſtantia, & generationẽ ac corruptionem facit: uel ab iis quæ in ipſa ſunt ſubſtantia penes

Hic patet Ammonii ſententiã eſſe quintũ phy. auſcultationis haud eſſe de principiis ſed de motu pro hoc aſſeueras ordiendis noſtrã con Platonẽ aduerſum ſcholam parauimus, S. 31. G.


quantitatem,facitq; augmentum ac decrementum : uel penes qualitatem,& fit alteratio: aut ab iis quæ circa ſeipſum ſunt,& mutatio loci conficitur. Quæri autem hæc tria in diſputatione de motu ſciendũ eſt,quot ſpecies ſint motus,& quibus mutuò diſcernãtur,& ad hęc tertium,quali ſpẽi motus qualis ſit oppoſita. Q uot igitur ſpecies ſint motus iam Ipſe enumerauit,ſex ex pronuncians. Verum quò nos ſcientiaria quoque ratione intelligamus,cur ſpecies motus ſex, nec plures ſint,nec pauciores, rationem in medium ex diuiſione afferamus. Tria igitur eſſe dicimus, quæ circa naturam noſtram ſpectantur: ipſa ſubſtantia, quæ in ſubſtantia habentur, quæ ſunt circa ſubſtantiam. Sunt ergo in ipſa,ſi magnas partes diuidas,quantum & quale:magnas propterea diximus,quoniam etſi prædicamenta alia ſint in ſubſtantia,habẽt tamen ex his generationem,ut antè prodidimus: circa ſubſtantiam uero ſunt locus & tempus. Hæc tria cum ſint,generatio & corruptio eſt ſubſtantiæ motus: qualitatis alteratio:incrementum ac decrementum quantitatis:ubi uero prædicamenti,localis mutatio,quę φορὰ,hoc eſt,latio nominatur. Porrò latio quædam recta appellatur,quæ ſurſum uidelicet ac deorſum tendit:nonnulla circularis,quæ in orbem circumagitur:ut cæli latio,recta,& in orbem. Sex itaq; ſpecies hic tradit motus,lationem, in rectam & circularem nequaquam diuidens. At in naturali auſcultatione,genus eſſe uult mutationem,eiusq; tres eſſe ſpecies,motum,generationem,corruptionem: motum nanque à generatione & corruptione illic in aduerſum diſtinguit. Nõ enim uult illic generationem aliquorum manentium,formamq; obtinentium motum eſſe,uerum ſecundum illorũ aliquod quæ circa eã accidunt. Idcirco quæ mouentur, ea ſecundum quantum,uel quale,uel locum inquit moueri,ſubſtantialem formam quæ ab initio fuerat ſecutãtia. In generatione uerò ac corruptione uetus forma in eo quod mutatur non manet: quoniam generatio uia eſt à quodammodo nõ ente in ens quodãmodo,hoc eſt, ab eo quod poteſtate eſt in ens actu. Corruptio contrà uia eſt ab ente in non ens. Verũ hic quoniam introductorius liber eſt,& logicus potius,non phyſicus, exacta de his ratione non differit, ſed generationem quoque & corruptionem motus eſſe pronunciat: quando quidem non ut phyſicus hoc loco, ſed ut logicus diſputat, quærens in his quæ quibus ſint,uel non ſint conſequentia.

76 *Alij itaque motus palam eſt,quòd abinuicem diuerſi ſunt,non enim eſt generatio corruptio:neque augmentum diminutio, neq; ſecundum locum mutatio: ſimiliter autem & alij. In alteratione uerò habet quandam dubitationem, ne ſit fortè neceſſarium, id quod alteratur per aliquam reliquarum motionum alterari. Hoc autem non uerum eſt: nam ſecundum omnes penè paſſiones aut compleres,accidit nos alterari, nulla aliarum communicante motionum. Nam neque augeri neceſſarium eſt,quod per paſſionem mouetur, neque diminui ſimiliter autem & in alijs. Quare alia præter alios motus erit alteratio: nam ſi eſſet eadem,oporteret, id quod alteratur,mox & augeri, uel minui, uel quandam aliarum motionum ſequi: ſed non neceſſe eſt. Similiter autem & quod augetur,aut alia aliqua mutatione mouetur,alterari oporteret,ſed ſunt quedam que augmentatur, quæ non alterantur:ut quadratum gnomone circumpoſito creuit quidem, alteratum uerò nihil factum eſt ſic & in alijs huiuſmodi. Quare alij motus ſunt abinuicem. Eſt autem ſimpliciter motui quidem quies contrarium: ijs uero que per ſingula ſunt & ſingula: generationi quidem corruptio contrarium, augmentationi uerò diminutio,ſecundum locum mutationi,ſecundum locum quies. Maximè autem uidetur oppoſita eſſe ad contrarium locum mutatio, ut ei que inferius eſt,ea que ſuperius eſt,& ei que ſuperius eſt,ea que inferius eſt. Reliquo uerò aſsignatorum motuum non facile eſt aſsignare quid fortè eſt contrarium. Videtur autem nihil eſſe ei contrarium:niſi quis & in hoc ſecundum qualitatem quietem opponat,aut in contrarium qualitatis mutationem,ſicut & in mutatione ſecundum locum,quietem ſecundum locum, aut in contrarium locum mutationem,eſt enim & alteratio mutatio ſecundum qualitatem. Quapropter opponitur motui ſecundum qualitatem, quies ſecundum qualitatem, aut in contrarium qualitatis mutatio,ut album fieri ad id quod nigrum eſt fieri: alteratur enim,in contraria qualitatis mutatione facta.*

Alij itaq;} Poſtq̃ ſpecies enumerauit motus,hic eas deinceps à ſe mutuò diſtinguit, oſtenditq; quonam pacto non ſint eędem. Neque enim generatio,inquit,corruptio eſt,neque augmentum diminutio: quo modo enim,quandoquidem ſunt contraria?ſed nec auctio eſt generatio : ens enim augetur: non ens generatur. Nec decrementum corruptio, nam & in his eadem ratio congruit : ſignificat enim decrementum remisſionem entis ſecundum quantitatem:corruptio abſolutam entis abolitionem. Neque uerò rurſus localis mutatio cum aliquo ſupradictorum coincidit. Nam quod à loco in locum demigrat,id neque gignitur, neque corrumpitur,neque augetur,neque minuitur. Neque enim ſi Athenis uerbi gratia proficiſcatur Corinthum Socrates, aliquid ex dictis patitur:ſed idem prorſus manens loco ſolo dimouetur. {Verum in alteratione dubitatio habetur nõnulla,ſit ne id quoquam alteratur neceſſe cuiuſquam reliquorum motuum,modo alterari.} Q uòd alii quidem inquit motus omnes non iidem inter ſe ſint, nemini dubium ſuit,at in alteratione quærendum eſt,an quod alteraſcit, id ſecundum generationem,uel corruptionem,uel incrementum,uel decrementum,uel aliquem motum reliquorum alteretur. Sed non eſt uerum hoc inquit, nanque in plurimis affectibus,calefactione inquam & refrigeratione, ac ſimilibus,alteramur quidem prorſus, non tamen quenquam ex reliquis motum perfeſſimus. Neque enim augeatur omnino quod caleſcit aut refrigeratur,uel decreſcat,uel generetur,uel corrumpatur, aut reliquorum quodpiam oportet ſuſtineat,quare ſeiuncta ab aliis motibus eſt alteratio. {Idẽ enim ſi eſſet,protinus quod alteratur uel augeri uel minui oporteret.} Si idem cum uno eſſet inquit aliorum motuum alteratio,opus eſſet omnino quod alteratur, reliquorũ etiã motuum quempiam ſuſtineret, minimè uerò id nunc accidit, nam corpora quidem in ſole uerſantia caleſcendo, nigreſcendoq; alterantur, non tamen huiuſce rei gratia augẽtur,minuunturue, aut cæterorum aliquid perpetiuntur. Eadem potes & de iis dicere quæ à frigore, aut quouis aliter modo alterantur. {Similiter & quod augetur,aut aliis quibuſdã cietur motibus,alterari.} Sermone uice inuerſa probat,non enim inquit ſolum ſi idem aliis motibus eſſet alteratio,id protinus quod alteratur unoquoque aliorum motuum cieri oporteret, ſed contrà etiam ſiquid ſecundum augmentum,uel decrementum,uel cæterorum aliquid motum eſſet,id ſtatim quoque alterari,quanquam maximè cęteris motibus alteratio prior exiſtat, ſiue ipſos conſequatur: Nam alteratius quoq; omnino fiat oportet quod augetur:ſiquidem cibum alterari primum in ſanguinẽ opus eſt augeſcentibus,atque illum in carnem,nec fieri aliter nõ præcedente alteratione incrementum poſſet. Sed antecedit quoq; alteratio quæ generantur,nam ſemen alterari in ſanguinem poteſt:ſanguis in carnem,ac quouis aliter modo leges poſtulent naturæ. Et uerò in motibus aliis omnibus eſt alterationem uel conſequentem uel antecedentem contẽplari. Nam quæ locali cientur motu, præſertim ſi plus ſint cõtentiusq; agitata,alteratio ſequitur,nimirum iis quę mouentur caleſcentibus. Tametſi ergo alios ut dixi motus ſequitur alteratio, non idem tamen ob id cum aliis motibus alterationem eſſe affirmamus. Q uandoquidem & localis motus alios omnes comitatur: nam & quod gignitur, & quod corrumpitur,locali quoq; agitatu prorſus mouetur, ſimiliter augeſcens quoq; ac decreſcens. Nam ſingula hæc localis motus neceſſe eſt antecedat,qui niſi ſit,aliorum quiſquam fieri haudquaquam poteſt. Nam ſiue in communem æſtimes,appropinquante ſole & recedente uniuerſalis

generatio

generatio corruptioq; fit : ſiue priuatim perpendas, ſemen
uidelicet in terram, uel etiam in uterum cadat oportet : aut
mas quoq; fœminam adeat: hoc autem localis eſt motus.
Et in corruptione uidelicet congreſſa elementa, à ſe inuicē
opus eſt diſcernantur. Porro in augmento & decremento
perſpicua eſt loci mutatio: ſiquidem maiorem ex minore
locum obtineat oportet quod augetur : & minorem ex
maiore, quod diminuitur. Sed id etiam quod alteraſcit : tū
quòd à profundo ad ſuperficiem qualitas, ut in erubeſcenti-
bus, uel palleſcentibus permeet: tum quòd alterans appropin-
quare alteraſcenti ſit neceſſe. Verum etſi motum omnem
localis conſequitur motus, quòd tamen ſit ab iis alius planè
dilucet : quandoquidem etſi luci expoſitum corpus omni
no comitatur umbra, non ob id tamen & umbra iam cum
corpore in luce poſito eſt idem, ſic ergo & in alteratione
dicendum, quamuis motus hic alios omnes ſequatur, non
ideo tamen idem quoq; eſt cū illis: quando ne motus qui-
dem omnis comes eſt alteratio. Nam quæ per additionē
augentur, creſcunt quidem (euadunt enim ex minoribus
maiora) ut ſi aqua ciſternæ addatur, ſed non fiunt alteratio
ra, quippe aqua in ea contenta, infuſa alia creuit non alte-
rata. Et quæ extrahitur recta linea, nō alteraſcens augetur.
Verum nec quidquid alteratur augeſcit: ſiquidem qui di-
ſcit, qui iraſcitur, qui metuit, non augeſcendo alteratur : id
quod uel ipſe declarans ſubiungit, atq; inquit : {Quadran
gulus circumpoſito ipſi gnomone augeſcit quidem, at nō
alteratior euadit}. Nam & auctus, manet etiam quadran-
gulus: quare ne decrementum quidem eſt alteratio. Siqui-
dem detracto à quadrato gnomone, quadratum quod re-
liquum eſt manſit. Verum quoniam alterationis à cæteris
motibus diuerſitatem oſtendere uolens Ariſtoteles qua-
dranguli gnomoniſq; meminit, age uerba illa exponamus.
Gnomonem igitur Geometræ unum quempiam ex am-
bientibus diametrum quadrangulis nominant, ubi cū duo
bus ſimul complementis fuerit : quò autem plana ea quæ
dicimus fiant, ſermonem in hac figura meditemur. Spaciū
eſſe dicitur quadrangulus, quod à lateribus quatuor inui-
cem æqualibus, & rectis angulis continetur. Sit ergo qua-
drangulum ſpatium, a b c d, quod æquales quatuor angu
los, & æqualia totidem habeat latera, ducaturq; per ipſum
diameter, b c, in latere autem, a b, ſumatur punctum e, uerbi
cauſa, atq; ab ipſo e, pūcto, ab utrauis a c, b d, coſtarū æque
diſtans ducatur linea: ſitq; hæc e f, ab a e, uero latere abſtra
hatur, a g, linea æqualis lineæ, e b, perduraturq; à g, puncto
linea quæ ab utrolibet a b, c d, laterum pariter diſtet, ſitq;
hæc, g h: quæ e f, lineam in k, puncto interſecet. Fiunt qua
tuor itaq; intra a b, c d, quadrangulum ſpacia, quorū duo
diametrum ambientia, nempe e b, h k, & k g, c f, ſunt qua-
dranguli: reliqua duo, complementa nuncupantur. Vnū
ergo utrumuis quadrangulorum g c, f k, uerbi gratia cum
ambobus complementis,
quæ ſunt, a e, k g, & k h, d
f, gnomon uocatur. Quo
autem modo ſimilis e b k
h, quadrangulus a b c d,
quadrangulo ſit, haud ob
ſcura eſt probatio. Gno-
monem igitur contēpla-
re. Nam e b h k, quadran
gulus per, a b c d, quadrā
gulum auctior euaſit, alte
ratusq; minime eſt: ſiqui-



dem paruus auctus quadrangulus, ſimiliter exiſtens qua-
drangulus manſit. At uerò tametſi à toto quadrangulo,
qui eſt, a b c d, gnomonem, a e g h c d, detraxeris, qua-
drangulus tamen, e b k h, relinquitur: atque id totum qui
dem quod ab initio fuerat, decreuit ac minus euaſit, nequa
quam uerò eſt alteratum, ſed ſpecies ipſa manſit quadran-
guli. Quod ſi neque decretio, neque augmentum, qui mo
tus eſt in quantitate, ſpeciei quadranguli proprietatem di-
mouit, patet motum alium ſecundū qualitatem, aliud aug-
mentum decrementumq; eſſe. At ſi ſint hæ mutationes

A diuerſæ, multò magis quæ per generationem atq; interitū
fiunt. {Eſt porrò ſimpliciter motui quies contrariū.} Nūc
tertium deinceps eorum quæ diximus quærit in diſputa-
tione de motu, quali nam motus inquam ſpeciei qualis re
pugnet: atq; omni quidē inquit communiter motui oppo
ſita eſt quies. Nā ſi motus trāſgreſsio quædā ac uia eſt uel
ex entibus in nō eſſe, uel cōtrà ex poteſtate in actū, uel à lo
co in locū, uel à minore in maius, & ecōtrario, uel ab eſſe, ta
li in tale eſſe, ut ab albo in nigrum, quies autē ſtatus eſt qui
dam, iure omni motui contrarium eſt quies. Specialius ue-
rò motus obiacent inquit ex oppoſito inter ſeſe diſtincti :
generationi quidem corruptio: diminutioni augmentum,
locali uero motui opponitur quies præcipue, neque iniu
ria : quandoquidem notior aliis eſt potiſsimum hic mo-
tus: atq; huic maximè motus nomen tribuit multitudo. Cę
terum ſpecialius quoq; ipſe ſibiipſi poteſt hic motus op-
poni ſecundum diuerſas loci dimenſiones partitus : ut la-
B tio ſurſum, ſit lationi deorſum oppoſita, & latio quæ ſit in
anteriorem partem, lationi quæ ſit in poſteriorem : & de-
xtrorſum tendens in læuam deflectenti. {Reliquo autem
proditorum motuum non facile eſt quod nam ſit contra-
rium aſsignare.} In motuum quoq; diſcretione is fuit cur
ſus de quo quærebamus, alteratio inquam. Et huic igitur
inquit opponenda eſt qualitatis quies, perinde ac locali, et
mutatio qualium in contrariū, ut ab albedine in nigritiem.

DE VERBO HABERE.

*Habere ſecundum plures modos dicitur. Aut enim
ut habitum & diſpoſitionem, aut aliam aliquā qua-* 77
*litatem: dicimur enim diſciplinam aliquam atq; uir-
tutem habere. Aut ut quantum, ut quam contingit aliquis ha-
bens magnitudinem: dicitur enim tricubitam habere magnitu-
dinem, uel quadricubitam. Aut ut ea quæ circa corpus ſunt, ut
C ueſtimentum uel tunicam. Aut ut in parte, ut in manu annulum.
Aut at partē, ut manum uel pedem. Aut ut in uaſe, ut modius
grana tritici, aut amphora uinum: uinum enim habere amphora
dicitur, & modius grana tritica: hæc enim omnia habere dicun-
tur, ut in uaſe. Aut ut poßeßionem: habere enim domum & a-
grum dicimur. Dicitur autem & uir uxorem habere: & uxor
uirum. Sed qui nunc dictus eſt modus, alienißimus eſt eius quod
eſt habere: nihil enim aliud uxorem habere ſignificamus, quam
quòd cohabitant. Forte tamen & alij quidam eius quod eſt habe
re apparebunt modi: ſed qui dici conſueuerunt, penè omnes enu-
merati ſunt.*

Æquiuoca uox eſt habere: non enim decem prędicamē
torum unum tantum ſignificat, ſed alia quoq; complura.
Nam & habere ſcientiam dicimur, & uirtutem, ac quot-
quot enumerantur alia. Propriè uerò habendi prædicamē
tum, ſubſtantiæ circa ſubſtantiam amictum declarat : ut cū
D circumpoſitū pallium, uel annulum, uel calceos dicimus.
Habere autem uxorem, uel agrum, uel id genus aliquid
aliud quiddam eſt. Ergo ne ex æquiuocatione fallamur, di
ſtincte nobis hoc loco quot nam modis habere dicatur,
expoſuit. An uerò quoniā de ſubſtantia, & quanto, & qua
li, & relatione, & faciendo, & patiendo ſuperius locutus,
ſermonem de cæteris prædicamētis ut minime obſcurum
prætermiſit, finiuit autem & habendi prædicamentum, ſub
ſtantiæ circa ſubſtantiam eſſe poſitionem, inquiens, dici-
turq; aliis etiam modis habere, idcirco nunc de eo ſermo
nem repetit. Atque habere, ait, pluribus modis dicere con-
ſueuimus. Nam dicitur inquit habere uel penes qualita-
tem: quippe habitum, aut diſpoſitionem habere, aut ſcien-
tiam dicimur. Vel ſecundum quantitatem, ut ſiquis lignū
habere tres uerbi gratia cubitos dicat. Hæc quidem in cor
pore habentur. Circa uerò corpus dicimur habere, ut ue-
ſtem, uel locū, uel tantum temporis. Dicimus uerò & pa-

tem habere, ut manũ, aut pedẽ. Et ut poſſeſsionem, ut do A mum, aut fundum. Et ut in uaſe, ut cum ſeria habere uinũ fertur: ac quotquot aliis modis dici poteſt habere. Dicere autem inquit habere uxorem, inter habendi ſignificata uidetur eſſe alieniſsimum: ſiquidem uxorem habere nihil eſt aliud quàm uxoris eſſe contubernalem: alieniſsimum autem uocat, quoniam nihilò magis habere uxorem uir dicitur, quàm uxor uirum. Sed reſpondere ad hoc licet, quòd & in poſſeſsionibus, non ſolum habere nos agrum dicamur, aut ſeruum, ſed ager etiam, & ſeruus, & ueſtis dominum habet. In partibus quoque & toto, non ſolum habet partes totum, ſed etiam partes integritatem habent. {Fortaſsis uerò & alii quidam uideri poſſunt habendi modi, cæterũ enumerati ferme ſunt omnes qui dici conſueuerunt.} Rurſus uerò ſi acquieſcere eius uerbis nolimus, modeſtè nobiſcum agens inquit, ſunt quidem & alii forſitan habendi modi, uerum nos qui dici conſueuere omnes recenſuimus.

FINIS.

INDEX IN ARISTOTELIS PRÆDICAMENTA COPIOSISSIMVS.

ABDVCTIO ad incommodum quid ſit. 79
Accidentia iure tertiæ ſubſtantiæ haud quaquã uocata ſunt, quaſi non cuiquam ad exiſtendũ ſubiaceant. 39
Accidens dicitur eſſe in ſubiecto alio modo, ab eo quo totum eſt in partibus, nam accidens eſt in ſubiecto quia in aliquo, totum uero non in aliquo ſed magis in aliquibus quia in partibus. 20
Accidens alio modo eſt in ſubiecto ab eo quo forma eſt in materia, nam forma & ſi materiæ non ſit, tamen compoſiti pars eſſe affirmatur, deinde non forma cuiuſq; eſſe rei ſubſtantiæ completiua eſt, ſublataq́; ipſa ſubiectum tollitur, at accidens. 19. neq; ſubſtantiam complet, ſubiecti, neq; corrupto eo, ſubiectum interit. pro his uidete quid dicat Alexander, primo lib. quæſtionum naturalium cap. 8. ubi uult formam non eſſe in materia ut in ſubiecto, cũ neq; a principio ipſa materia ſit ita ſubiectum ut hoc aliquid non habens aliquo pacto formam in ſe, in iis autem quæ hoc modo ſunt eſt id, quod eſt in ſubiecto, aliquid enim & hoc aliquid eſſe oportet id, in quo eſt, illud quod in ſubiecto, huiuſcemodi enim eſt quod habet partes. quod ſi dicatur ex Ariſtotelis ſententia ſecundo phyſicorum. Tex. 4. formam ſubſtantialem in ſubiecto eſſe ibi enim pronunciat, ſubiectum quoddam & in ſubiecto eſt natura, ſemper ideſt materia, & forma ſiquidẽ materia eſt natura quæ eſt ſubiectũ, forma non eſt natura quæ eſt in ſubiecto, quare forma in ſubiecto eſt, ſcire oportet ex ſimplicio eo in loco quod Ariſtote. ibi accommodauit ſibi id quod eſt in ſubiecto, pro eo quod facit ad eſſentiam alicuius ſubiecti ceu etiam pleriſq; in locis dicere ſolet accidens de ſubiecto dici pro eſſe in ſubiecto ut primo Phyſicorum. Tex. 52 patet.
Accidens ſeparatum ab eo, in quo eſt perit, non autem locatum perit ab eo loco ſeiunctum in quo eſt. 20
Actionis principium contemplationis finis ſit, contraq; actionis finis contemplationis principium. 7
Ad aliquid entia uel in quanto, uel in quali, uel in ſubſtantia conſiſtunt. 63
Ad aliquid pertinentia reſpectus quidam ſunt, is autem in rebus duabus minimum ſpectatur. 65
Ad aliquid num nihil natura ſit, ſed noſtræ hæc eſſe cogitationis cõmentum, uel omnis res ad aliquid ſit, aut res aliæ ad aliquid, ſint aliæ non per ſe ipſas. 65
Ad aliquid propria ſubſiſtentia carent eſſe non in aliis habent prædicamentis, pulchre autem ipſa appendicibus comparatum, ipſam eſſe in ſtirpibus obtinentibus aſſimilant quemodo ea ſibi inuicem obtinentibus lignis, quippe horũ altero ſublato, haud quaquam reliquum ſtabit. 66. 68
Eorum quæ ad aliquid ſunt, diuiſio. 66
Cur æquiuoca non ſolum habeant rationem ſubſtantiæ diuerſam, ſed cum hoc adiecto ſecundum nomen. 11
- Aut compoſito præſtantior ut Deus, Angelus, Mens, Anima.
- Aut compoſito deterior,ut materia, & forma.

Aut compoſita.
- Aut prima ut Socrates.
- Aut ſecūda ut homo.

Alio modo de ſubſtantia Ariſtoteles in prædicamentis haud diſputat,niſi eo modo,quo pro ſubſtantia cōpoſita ſumitur,cuius multi homines notitiam habent. 31
Dictum eſt compoſito deteriorem eſſe materiam atque formam, de materia nullus ambigit, uerum de forma eſt difficultas, nunquid ſit deterior compoſito,propter Auer.2. Phyſi.4 cōmen.aſſerētem, forma eſt dignior habere hoc nomen ſubſtātia, quam cōpoſitum, quoniam per illam cōpoſitum eſt in actu, & cauſa rei eſt dignior cauſato. At pro deciſione huius difficultatis,num materia ſit magis ſubſtantia quam forma,& num compoſito deterior ſit materia atq; forma,ſcire oportet,quod de ſubſtantia bifariam loqui poſſumus,altero quidem modo quatenus a pluribus cognoſcitur, quomodo Ariſto.in prædicamentis de ea negotiatus eſt, nec non in.2. de Anima.7.3. Porrò hac ratione ſumendo ſubſtantiam maxime famoſum eſt,ipſam dici de corporibus phyſicis,quæ prædicamenti ſubſtantiæ indicia exiſtent, ſic'q; nec materia, nec forma,neque ſubſtantialis differentia ſubſtātiæ nuncupabantur, quandoquidē vulgus hæc non cognoſcit, ut ait Ammonius in præſentes fol.60. Altero aut modo de ipſa ſubſtantia ſermonem habere poſſumus re ipſa,& hac quidem ratione materia & forma atque differentia ſubſtantialis,quæ apud vulgum ſubſtantiæ non erant, apud Philoſophos ſubſtantiæ ſunt, uerum num magis forma ſubſtantia ſit quam compoſitum, in hoc Doctores in diuerſas trahuntur ſententias,ſiquidem Auerroes,& eius ſequaces aſſerunt formam compoſito eſſe magis ſubſtantiam,ut uidere poteritis Tex. Met.ſett.& ſecundo Phyſico.4. Albertus quoq; ſecundo de Anima,in expoſitione Tex.3. fuit eiuſdem ſententiæ Scotus autem & diuus Tho. uoluit ſubſtantiam compoſitam. At uos peripatetice ſentiendo tenere debetis,formam dignitate, atque honore eſſe magis ſubſtantiam materia,nec non cōpoſito,cum ipſa definiat,appellationes'q; præbeat,ut patet per Alexandrum.8. Met. commen.1. ſumendo uero ſubſtantiam ea ratione qua contrariis ſubiicitur atq; ſubſtat, nobis notius eſt,quod ſubſtantia cōpoſita ſit magis ſubſtantia quā materia,hunc'q; in modum Ariſto.de ſubſtantia.8. Met.4.loquutus eſt, ubi ex ſubſtantiis, compoſitis manifeſtauit materiam eſſe, ſubſtantiā,ut enim Socratē ſubſtantiam uocamus,propterea quod oppoſitis mutationibus ſubiicitur,ac illis & aduenientibus, & recedentibus ipſe perſiſtit,ſic quoniam materia formis ei aduenientibus & abeuntibus ipſa manet,illæ non item perſiſtunt, dubitari non debet, quin materia ſubſtantia ſit,quo uero ad naturā & rem ipſam, materia hac ratione erit magis ſubſtantia,quam compoſitum,ſiquidem cōpoſitum per materiam magis quā formā ſubiicitur cōtrariis,& ita intellexit Phyloponus.1. Phyſi. in expoſitione Tex.52. vbi affirmauit materiam eſſe magis ſubſtātiam ipſo compoſito. Accipiendo autem ſubſtantiam quo ad ſubſiſtentiam, ita compoſitum quare materia atque forma erit magis ſubſtantia, & hunc in modū ſumpſit ſubſtantiam Ammonius hoc in loco,enuncians compoſito deteriorem eſſe materiam & formam, huc etiam accedit Simplicii,qui primo Phyſicorum in expoſitione Tex.70. Tex.7.7. Met.legit in recto non autem in obliquo hunc in modū illud,quod ex utriſq; compoſitum eſt,eſt magis ens utriſq; ſcilicet materia, & forma,propter eandem rationem,unde ipſe Simplici. Tenet ſubſtantiam compoſitum eſſe maxime ſubſtātiam, ſecundo uero loco ſuccedere formam,atq; materiam. Idcirco dicēdum eſt quo ad ſubſiſtentiam, compoſitum eſſe magis ſubſtantiam materia atq; forma,ſi autem quiſpiam inſtaret,quia Ariſtote.in Tex. 7.7. Met. dicit,quare ſi forma prior ſit, & magis ens quam materies,& id profecto quod ex utriſq; conſtat,prius per rationem eandem erit,at ut ait Alexāder forma eſt prior materia, quoniam per formam quodq;,non per materiam nuncupatur, quin etiam quoniam a forma ordinatur & definitur, idcirco forma magis eſt ens quam ipſa materia,cum autem cōpoſitum,& non materia habeat formam partem ſui eadē ratione,qua forma eſt prior & magis ens materia,erit prius ipſum compoſitum eadē materia. Vnde fit cōpoſitum materia duntaxat eſſe prius & magis ens,& nō etiam forma,cuius contrarium determinatum eſt. porrò reſpōdendum eſt, quod & ſi forma in honore atque dignitate ſit magis ſubſtantia quam materia atque compoſitum tamen alias,ſcilicet quo ad ſubſiſtentiam compoſitum erit magis ſubſtātiam quam materies atq; forma,neque illud obſtat quod compoſitum in actu per formam, ſiquidem compoſitum eſt id quod ſubſiſtit habet'q; ſpeciem completam,forma uero eſt pars ſpeciei, unde ipſum & non forma eſt hoc aliquid,quapropter dubitari nō debet, quin ex materia & forma conditum, hac quidem ratione magis ſubſtantia ſit quam forma quod ſi dicatur cauſa rei eſt dignior cauſato ſciendū eſt quod ea ratione qua forma eſt cauſa compoſiti, & non e conuerſo, ipſa eſt magis ſubſtantia quam compoſitum qua uero ratione compoſitum ſubſiſtens cōpletam habet ſpeciem eſt magis ſubſtantia quā forma,ex quo fit quod cauſa quatenus cauſa eſt præſtantior cauſato qua ratione illud cauſatum eſt, non autem ſimpliciter, nam & ſi forma ſit cauſa ipſius ſubſiſtere, quia tamen eo modo reperitur in compoſito,quo dictum eſt,ideo compoſitum eſt magis ſubſtantia, forma.
Subſtantiam ſecundam cur ſpeciem atq; genus nominauerit,& non dixerit ſpeciem ſecundam genus uero tertiam. 36
Subſtantia cur non habeat finitionem. 40
Subſtantia indiuidua ab Ariſto.hoc aliquid appellatur, uniuerſalis uero talis, Plato autem contra,nec mutuo diſcrepant,utraq; enim & hoc aliquid,& tale nominari poteſt, nam hoc aliquid finitum, tale autem infinitum declarat,enimuero in utraque & finitum eſt, & infinitum,indiuidua quidem finitum,ipſum numero unum,infinitum autem ipſum mutari,in ſubſtantia uero uniuerſali finitum eſt,ipſum immutabile,infinitum in multitudine homo enim dixero,ſum particulares omnes complexus. 45
Subſtantiæ non aduerſantur ſibi mutuo qua ratione ſubſtantiæ ſunt, ſed qua affectæ ſunt qualitatibus. 46
Subſtantiarū partes ad aliquid dicuntur,abſolute uero ſumptæ ſunt ſubſtantiæ. 72
Subſtantia eſt prior cæteris prædicamentis. 29
Quæ nam ſubſtantia ab Ariſtotele in prædicamentis conſideretur. 31

Subſtantiæ propria:
- Non eſſe in ſubiecto,hoc quidem omni ſubſtantiæ conuenit, ſed non ſoli, natura differentiæ etiam conuenit omnia uniuoce prædicari,quod quidem neque omni ſubſtantiæ competit, nec enim conuenit primæ, neque ſoli, quandoquidem & differentiis.
- Omnis ſubſtantia uidetur hoc aliquid ſignificare, hoc ſoli ſubſtantiæ, ſed non omni conuenit, nam ſecundæ ſubſtantiæ ſola uoce conuenire uidetur.
- Ineſt ſubſtantiis nihil eſſe contrarium, porrò hoc omni ſubſtantiæ ineſt, ſed non ſoli ſubſtantiæ,nam & quanti adeſt.
- Non ſuſcipere magis & minus) omni ſubſtantiæ non autem ſoli adeſt, nam & quantis conuenit unum idem'q; numero manens capax contrariorū eſſe, quod ut ſit maxime proprium ſubſtantiæ ita intelligēdum eſt, maxime proprium ſubſtātiæ eſſe uidere,indiuidua quæ ſub ea cōtinentur neceſſum capacia eſſe contrariorum. 50

Superficies cur terminans corpus duas habuit dimenſiones. 55
Superficiei notio quomodo habeatur. 55

Superficiem uel planum antiquiores nullo diſcrimine nominarunt, iuniores uero illam ſuperficiem dicunt planū, quæ extenſa eſt, teretem uero uel globoſam dicunt ſuperficiem, ſed non planū. 57
Supra & infra in rerum natura ut uera non ſunt, ſed circum & medium quæ non cōtraria, ſed ad aliquid ſunt 63. Hoc quidem eſt, ex ſententia Platonis, qui ut recitat ſimplici. primo cœli, in expoſitione Tex. 90. uolens oſtendere non natura eſſe quod deorſum, & quod ſurſum, & quod graue, & quod leue in ſphæra ſuppoſuit quendam in hypercaumate ſtantem, & uerſus terram habentem inclinatum caput, & accipiente uirtutem ut remotus ab igne ſtet in lances, & trahat libram ſuper aerem, in cuius altera lance ſit aliquod pondus maius in altera uero minus, tunc maius deſcendet, minus uero aſcendet. pro hoc etiam uidere eundē Simplicium primo Cœli, in expoſitione Tex. 19. quod uero dicendū ſit pro Ariſtotele uidete diuū Thomā, primo Cœli, in expoſitione Tex. 17.
Syllogiſmus ſimpliciter cur ſit neceſſarius logico. 7
Syllogiſmi nomine indicatur collectio propoſitionum. 7
Syllogiſmo cur non auſpicetur logicus, cum ſit compoſitus, & compoſita notiora ſint. 16
TERMINVS aliud eſt ab eo quod terminatur. 54
Tempus quid ſit.
Tempus continuitatem habet propter motum. 56
Tempus aliud eſt, aliud uero eſſe in tempore, natura tēpus eſt quantum continuum, eſſe uero in tempore in quando conſiſtit. 34
Tenebras lucis priuationem dicimus, non autem lucis tenebras, ſed aeris tenebras appellamus pariter neq; dicimus uiſus cæcitatem, ſed oculorum cæcitatem, ceu oculorum quoq; læſionem nuncupamus, nam oculus eſt pars, uiſionis particeps atq; cæcitatis, uiſio autem eſt poteſtas quæ non eſt particeps cæcitatis, & ideo non dicitur uiſus cæcitas, ſed dicitur cæcitas uiſus priuatio. 111
Titulum libri cur præfari oporteat. 4
Triāgulus quis dicatur æquipes, qs æquilaterus, quiſue ſcalaris. 71
VBI neq; ſubſtantiam neque locum duntaxat ſignificat, ſed ſubſtantiam quæ ſit in loco. 103
Quot ſint ſpecies ubi. 103
Verba primæ atq; ſecundæ perſonæ ac quæ tertiæ perſonæ de certa perſona feruntur, ut tonat, fulgurat, & ſi pronunciatione ſimplicia ſint, ſignificato tamen compoſita. 15
Omnia uerba tertiæ perſonæ citra illa quæ de certa perſona feruntur ab Ariſtotele ſimplicia aſſumuntur, quoniam in eis non diſtincte appareat ſubſtantia. 15
Verba proprie ſimplicia ſunt quæ uel actionem ſolam, uel paſſionē declarāt, citra id quod agit, aut patitur, ut uerberare, uerberari. 15
Verbi negociatio cur neceſſaria ſit logico. 7
Veritas non in ſolis orationibus neq; in ſolis rebus, ſed in uerborum cum rebus cohærentia, ueluti enim calceatio neque in ſolo pede neq; in calceo, ſed in calcei ad pedem concinnatione ſpectatur, ſic ueritas quoq; in uerborum cum rebus conuenientia. 52
Vetuſtius tum in animatis, tum in inanimatis dicitur, ſenius uero in ſolis animatis. 111
Videtur, uerbum, quandoq; non fingi ſignificat, ſed quod perſuadere non aliter queas, quodq; deponi non poteſt. 117
Virtutes quædam ſunt naturales, aliæ morales, aliæ ciuiles, aliæ purificæ aliæ uero contemplatiuæ. 90
Virtus in moderatione conſideratur, uitium utrinque unum alterum per exceſſum, alterum per defectum ſpectatur. 122
Viſus a Græcis nō modo dicitur actus uidendi, ſed etiā oculus. 123
Viſum non modo in poteſtate, ſed etiam in ipſis oculis ferimus quemadmodum & dealbatum corpus, & ipſam albedinē appellamus album. 112
Vita noſtra non conſtat caſu, neque fortuna regitur. 80
Vniuerſalis homo & Socrates non ſunt duo, quemadmodum neq; homo in umbratili pictura, & his qui eſt coloribus diſtinctus duo intelliguntur homines, nec qui complectiuus eſt, cōnumeratur, ſed alter communis, utique is qui obſcure delineatus eſt, alter particularis unuſque ambo ſunt, eſt enim ſciendum ut primum pictor communem in rudi pictura hominem deſignat, deinde coloribus exprimēs ducit, ut Socratem faciat uel Platonem ſic uniuerſalem hominem cum ſit primus, ſi formationem accipiat fieri Socratē aut Platonem, natura enim ſimpliciter hominem facit non Socratem Platonemue. 35
Vniuerſale trifariam reperitur, unū præ multis, aliud in multis, aliud poſt multa, quorum tertium duntaxat de indiuiduis p̄dicatur. 35
Vniuerſale ab Ariſto. indicatur per hanc dictionem, tale, ſingulare uero per hoc aliquid a Platone uero uniuerſale ſignificatur p hoc aliquid ſingulare autem per quale. 45
Vniuerſale dignius particulari, quoniam particularium ſcientes per uniuerſalia reddimur, in particularibus enim brutis nihil differimus animantibus. 18
Vniuerſalia quæ præ multis ſunt ab Ariſto. reputantur næniæ atq; ſuperuacuæ nugæ. 10
Vnitas ſub nullum prædicamentum recipitur. 9. cauſam huius uidete in his quæ de ipſo puncto deſignata ſunt.
Quare utilis de uniuocis præceptio prædicamentorum tractatui præſtat. 42
Vniuoca quæ dicantur. 9
Vniuocatio tam in nominibus quam in uerbis reperitur. 14
Vniuocatio etiam in accidentibus reperitur. 14
Vnum tripliciter dicitur. 13
Vni unum tantum opponitur, & ſi uni plura reperiuntur oppoſita, catenus opponuntur uni quatenus reducatur ad unum quemadmodum prudentiæ opponuntur caliditas, atq; amentia, ut utraq; immoderatio eſt, altera in exceſſu, altera uero in defectu, prudentia uero moderatio eſt, & ſic immoderatio moderationi opponitur. 116
Voces interdum rei abeunt munus, quemadmodum & res interdum uocum funguntur munere. 44
De uocibus ſimplicibus cur ad logicum in prima logicæ parte diſputare pertineat. 7
De uocibus ſignificatu carentibus Philoſophi haud ullam habent rationem, ſed de uocibus conceptus ſignificantibus habent ſermonem. 7
Voces conſiderantur a Grammatico & a Logico, uerum grammaticum de ſolis uocibus, ac ſyllabarum quantitate agit, Logicus autem de eis, ceu ſignificātibus diſſerit, quare grammaticus uere definit uocum compoſitionem iuxta quantitatem, logicus uero ad ſignificatum indicat. 16
Volucres quæ ſint aues, quæ uero non ſint aues. 70
Vtilitatem tractatus cur præfari oporteat. 2

FINIS.

AMMONII IN ARISTOTELIS

LIBRVM DE INTERPRETATIONE,

PROOEMIVM.

CELEBRIS quidem apud Philoſophos, nec quaquam ignobilis Ariſtotelicus de Interpretatione liber eſt: tum præceptorum quæ in eo traduntur frequentia, dictionis facultate. Eoq; factum eſt ut complures in hunc ſtudii multum Interpretes contulerint, ac cõmentationis. Quod ſi, Procli diuini præceptoris noſtri, Platonici ſucceſſoris, qui Veterũ placita interpretandi facultatẽ, ac ſcientiarũ naturæ rerum iudicium ad humani ingenii ſummũ exercuit, memoriæ proditis enarrationibus, quidquã quod ad libri perſpicuitatẽ faciat in medium adducere uel nobis liceret, magnas certe Deo ſtudiorum ac literarum præſidi gratias ageremus. Sumatur nobis itaq; expoſitionis exordium, capitum quinq; illorum explicatio quæ Auctoris explanationẽ antecedere conſueuerunt: ac quodnam libri de Interpretione propoſitum ſit quẽ inter cæteros Logicæ Ariſtot. tractationis libros locum obtineat, quæ huius ipſius de Interpretatione tituli cauſa habeatur germanum quoq; ac legitimum opus hoc eſſe Ariſtotelis, poſtremoq; omnium quæ libri huiuſce in capita diuiſio ſit aperiamus. Nam quid liber de interpretatione philoſophari uolenti afferre utilitatis poſsit requirere, ubi ipſius uobis propoſitũ apparuerit, ſuperuaruæ eſſe oſtẽdet diligẽtię. Qđ igitur hoc tandẽ eſt propoſitũ? id.n. definire præ cæteris neceſſum eſt, eiq; deinceps cuncta cõnectere. Atq; hoc ut diſtincte articulateq; pcipiamus, ea ſunt memoria repetenda q̃ in Prędicamentorũ pręlectionis pręfatione diſſeruimus, inuẽtionẽ inquã Demõſtrationis, finẽ eſſe Logicę facultatis: huic aũt ſimpliciter ſyllogiſmi notitiã anteire, atq; priorẽ hac rurſum eſſe ſimpliciũ orationũ cõtemplationẽ quę ſyllogiſmũ cõponunt, huic uero cõprehẽſionẽ præcedere ſimpliciũ uocũ per genera, ex quibus ſimplex oratio cõſtituitur. Itaq; cũ in Prædicamentorũ libro ſimplicium nobis tractationẽ uocum tradiderit Ariſtoteles, hic ſimplices nos orationes docere inſtituit, quæ ex uocum ſimpliciũ abſoluuntur cõtextu, ueluti in mediũ proferuntur ab iis qui in congreſsibus ſyllogiſmo probare quidpiam uolunt, quæ ueteribus Propoſitiones nominantur. Verũ, cum ſpecies quinq; ſint orationis, Vocatiua, ut Atride o beate: Imperatiua, ut I celeres perge Iri: interrogatiua, ut Qui genus, unde domus: Optatiua, ut Iuppiter, & nanque o utinã pater, prætereaq; Enunciatiua, qua, de re quacunq; decernimus, ut Et Dii uero omnia norunt: immortalis eſt omnis Animus: nõ de ſimplici nos oratione omni docet hoc tractatu Ariſtoteles, uerum de ſola Enunciatiua. Neq; id iniuria, quando capax ueritatis falſitatisq; ſpecies hæc ſola eſt orationis, ſub eaq; Demonſtrationes cenſentur, quarũ cauſa Logica omnis concinnata Philoſopho eſt pertractatio. Porrò Enunciatiuã orationem Axiomatis, hoc eſt Effati uel Pronunciati nomine uocant Stoici: Optatiuam Deprecatiuæ: Vocatiuam Appellatiuæ, addũtq; his quinq; orationũ ſpecies alias, quæ ad aliquam earũ quas enumerauimus planè referuntur. Quandam.n. Iurandi nuncupant, ut Hoc ſcito nunc Terra. Aliam Exponendi, ut Eſto recta hæc linea. Aliam Supponendi, ut Suppoſitum ſit Terram Solis orbis centrum eſſe. Aliam Pronunciato ſimilem, ut Fortuna q̃ humanis ſibi in rebus placet quæ oẽs cum uerum falſumq; admittant, Enunciatiuæ ſubiici ualent, Iurandi nimirum illa Dei teſtimonio, ea uero quæ Pronunciato ſimilis eſt quàm intentiui Aduerbii adiectu Enunciationem ſuperante. Quintam autem præterea eſſe addubitatiuam dicunt ut Dauus uenit, quid ergo nunciabitur quæ Interrogatiuæ eadem planè eſt, eo ſolum differens, q̃ propoſitionem interrogationi anteponat. Rurſum uero cum orationis duę ſpecies ſint Enunciatiuæ, atque altera Prædicatiua, Suppoſitiua altera nominetur, ſignificante quidem quid cui inſit uel non

A inſit Prædicatiua, ut cum ambulat Socrates dicimus, uel Socrates non ambulat, (prædicamus.n. ambulare uerbum de Socrate affirmatiue quandoq;, negatiue nonnunquam,) Suppoſitiua autem, quo exiſtente quid ſit, aut non ſit, uel quo nõ exiſtente quid non ſit, aut ſit indicante uelut cum dicimus. Si homo eſt, eſt animal quoq;. Si eſt homo, lapis non eſt. Dies niſi ſit, nox eſt. Si dies nõ ſit, non eſt Sol ſuper terrã. Prædicatiuã ſolam nobis Ariſt. orationis enunciatiuæ ſpeciẽ tradit, ut quę p ſeipſa perfecta abſolutaq; ſit, atq; ad demõſtratiões utilitatẽ afferat. Suppoſitiuam aũt, utpote mancam, perfectionemq; à prædicatiua prorſus expectantẽ nuſquã honore in

B primis afficiendam cenſuerit. Nã ſuppoſitiui ſyllogiſmi tranſumptionem quam uocant ſiue Aſſumptionem quandoquẽ & coniunctũ, disiunctum'ue, quod rationẽ poſtulet, abſque demonſtratione capientes, fidẽ ſibi ex ſuppoſitione arrogarunt, ſiquis primas eorum ſuppoſitione admittat. Itaque ad ſuppoſitiones has cõfirmandas ſi ſuppoſitiuo alio quiſ utatur ſyllogiſmo, huic alia rurſus ad ſuppoſitionum eius aſſertionem probatione opus erit, aliaq; ad illam, idq; in infinitũ prodidit, ſi ſuppoſitiones munire ſuppoſitionibus uelit. Quod ſi perfecta, nec quaquam inops fieri debeat Demonſtratio, uſus planè expoſcitur Prędicatiui ſyllogiſmi, qui propoſitam rem abſque ulla ſuppoſitione demonſtrare profitetur. Ea propter Prædicatiuos quoque ſimpliciter ſic ſyllogiſmos, Suppoſitiuos autem hoc totũ, ſyllogiſmos ex ſuppoſitione, haud uero etiam ſimpliciter appellamus; cum & alioquin ſuppoſitiuæ Enunciationes ortum prædicatiuis acceptum referant. Nã alterius ad aliam prædicatiuæ propoſitionis uel conſequentiam, uel auerſionem declarant, quas inter ſe connectunt uel copulatiua, uel disiunctiua quam uocant coniunctione. ut una quæ ex ipſis conſtat oratio eſſe

C uideatur. atq; has ob res Prædicatiuã enunciatiuæ ſpeciem orationis pertractat ſolã Ariſto. Eſt ergo huiuſce propoſitũ libri, ut ſemel explicẽ de prima uocum ſimpliciũ compoſitione diſſerere, quæ in Prædicatiua ſpecie enũciatiuæ ſit orationis. Primã uero inquam, quoniã facit & compoſitio ſimplicium uocũ ſyllogiſmos. nõ tamen prima, ſed ea quæ per orationum cõplexum in prima factarũ compoſitione perficitur. Quamobrẽ ſimplices haſce orationes hoc quidem libro ipſas per ſe contemplando, ut Enunciationes duntaxat, nec ut Propoſitiones inſpectabit. in Reſolutoriis aũt in partes eas capiens ſyllogiſmorũ, ſimul quoq; ut propoſitiones iure cenſebit conſiderandas. Eas.n. quaſi ab iis proponantur qui ſyllogiſmo quidquã affirmare colloquẽtibus uolunt, ſic Propoſitiones Antiqui nominant. Cæterũ quoto liber hic loco etiã ſit collocandus, p ſeſe ex iis quę prodidimus nobis perſpicuũ eſt. Nã ſimplices orationes ſi inter uoces ſimplices mediæ ſunt ac ſyllogiſmos, tradũt aũt Prædicamenta ſimplicium uocum contemplationem, orationũ uero ſimpli-

D cium hic qui in manibus liber eſt, Reſolutoria ſyllogiſmorum, medius eſt is inter Prædicamẽta & Reſolutoria dubio procul ſtatuendus, ut ſuccedat Prædicamentis, Reſolutoriis uero, ac cæteris omnibus facultatis Logicę cõmẽtationibus antecedat. Quod autẽ præſens liber ad Logicam hanc tractationem utilis hæc uero ad totam ſit Philoſophiã ex ſuperioribus dilucidat. Ad hæc igitur tituli cauſam inſpicientes dicamus quid tandẽ intelligens Ariſt. Interpretationis uocabulo hoc pacto De Interpretatione librum inſcripſerit. Haud.n. ſanè uel ipſe, perinde atque Demetrius, qui uolumen deſcribendæ orationis forma compoſuit, eiq; ſic, De Interpretatione titulum indidit, orationis conficiendæ rationẽ, quaſi de ea diſputaturus hoc uolumine, ſit Interpretationis nomine cenſet uocandã. Dicendũ itaq; eſt, cum noſtra facultatum duplici genere prædita Anima ſit, tum cognoſcendi, tũ uero etiã uiuendi, quod & concupiſcendi nominamus,

(Cognoſcendi eas uoco quibus res ſingulas nouimus ut In
tellectum,Cogitationem,Opinionẽ,Imaginationem,ac Sen
ſum:Concupiſcendi uero eas quibus bona quę uel ſunt,uel
uidétur expetimus,ut Voluntatem inquam, Præelectionẽ,
Iram, Cupidinem) ſpecies quatuor illas orationis , præter
Enunciatiuá, ab Animæ prodire cõcupiſcendi facultatibus,
non agentis per ſe qdẽ ipſius,ſed ad alium ſe conuertentis,
qui conducere ad id uidetur poſſe quod illa cupit aſſequen
dum,atq; uel ſermonem ab ipſo exigentis,ut in interrogati
ua quam uocant oratione,uel rem.Quod ſi res ſit,aut ipſum
illum indipiſci ad quem ſermo eſt exoptantis,ut in Vocati
ua,aut aliquam eius operam, eamq́, uel à præſtantiore,ut in
Optatione, uel inferiore, ut ea q̃ proprie nominãt iuſsione.
Solam uero Enunciatiuam à cognoſcendi facultatibus ema
nare,enunciariq́, ab hac inolitam nobis rerum cognitionem
ueram, uel uero ſimilem , atq; eo fieri ut ſola hæc etiam ca
pax ueritatis ſit,ac falſitatis,reliquarum nulla . proinde Ari
ſto. ſpeciem hanc orationis enunciatiuam Interpretationis
appellatione nominare, quaſi quid ſentiat Animus interpre
tantem,operæpretium eſſe duxere. Q uandoquidem igitur,
ut ipſe in huiuſce libri docebit exordio , ſunt & aliæ præter
Enunciatiuam orationes (nam deprecatio quoq; oratio eſt
inquit: Enunciatiua autem præſentis eſt contemplationis)
iccirco De Interpretatione librum inſcripſit , perinde quaſi
hoc modo,an De Enunciatiua inſcribas oratione,nihil inter
ſit. An uero ſit legitimum opus Philoſophi, nemo in Ariſt.
lectione uerſatus , ſi tum orationis probabilitatem , artifi
cioſumq́, & ſeuerum, ac familiare Philoſopho præceptorũ
genus quæ in eo traduntur, tum cũ aliis eius lib.conſenſum
reſpiciat,dubitãdum exiſtimabit , præter Andronicum Rho
dium,qui cum ab Ariſt. undecimus fuerit , ipſum autẽ inter
huiuſce libri initia cõceptus mentis Animi affectus uocantẽ
audiuiſſet, addentemq́, eſſe de iis in libris de Anima diſputa
tum,quoniã ubinam locorũ in tractatu de Anima cõceptus
mentis Philoſophus Animæ affectus nominaſſet nequaquã
uidebat, neceſſe eſſe duorũ operũ , huius illiusq́, de Anima,
falſo inſcriptum alterum Ariſt.dicere arbitratus eſt. magisq́,
hoc q̃ illud reiici oportere. Cæterum ſciendũ eſt loca in cõ
mentatione De Anima nobis haberi cõplura in quibus Ima
ginationem paſsim Intellectus nomine appellet Philoſo
phus . Intellectus quidẽ, uelut intra ſeipſam cognobilẽ rem
obtinentis,eoq́, differentis à Senſu, q quæ foris poſita ſen
ſus cognoſcit,illorum,ut circa ipſa agat,prorſus egens præ
ſentia,horũ ſimulacra ac formulas imitata per ſenſus Imagi
natio,ipſa in ſe habeat , atq; externarum rerũ opem nequaq̃
poſtulans poſsit incumbere.Quo etiam ſit,ut ſenſibus feriã
tibus imaginatione per ſomnũ agamus. Paſsiuũ autem pro
pterea, quod cum partitione quadã ac ſeparatione quodli
bet nocet: perinde quaſi eſſentiam actionemq́, à corpore ſe
parabilem nequaq̃ obtineat,ac principium quoddam ſit ſen
ſuum. Ariſto.ergo cum nihil Animo noſtro intelligi earum
quæ hic rerum ſunt ſine paſsiuo hoc Intellectu prodat in li
bris de Anima,uniuerſum cum inquit . Nõ meminimus uero,
quoniam eſt hæc quidem impaſsibilis , corruptibilis uero
paſsiuus Intellectus,citra quem nihil intelligit,& deinde: In
tellectiua itaq; formas intelligit in phantaſmatibus & præter
ea : At conceptus mentis primi quid intererit quominus ſint
Phantaſmata : An neq; alii phantaſmata ſunt: uerum non ſi
ne phantaſmatis , plane & in illis præfert conceptus mentis
Animi affectus nominare . Porro extendere affectus uoca
bulum ad Animæ quoq; functiones omnes communius ui
detur. Itaq; eſſe,in libris inquit illis,dubitationem,utrum affe
ctus Animæ omnes ſint, & habentis cõmunes, an quiſquam
ſit uel ipſius Animæ proprius. qua ſoluenda difficultate ſub
iungit: Ex plurimis autem abſq; corpore,neq; pati,neq; face
re ullum uidetur,ut iraſci,audere,concupiſcere, demum ſen
tire. At intelligere proprium uidetur maxime eſſe. Q uid ſi
quædam hoc quoque ſit Imaginatio , uel non ſine Imagi
natione,hoc quidem fieri poteſt,ut ſit ſine corpore . Et ante
hæc in eiuſdem etiam tractatus exordio. Contemplari uero
inquit ac cognoſcere eius naturam atque ſubſtantiã requi
rimus,dein quæ circa eam accidunt , quorũ alii proprii eſſe

A Animæ affectus.alii uel ipſis ineſſe Animantibus illius cauſa
uidentur communes.Ex quibus ipſe deprehenditur Animæ
quoq; Rationalis noſtræ intellectionẽ,neq;,uel ſi abſq; Ima
ginatione fieret,tamen quin ipſam affectũ nominet deuitare,
non ſupra dicto uidelicet ſenſu , ſed eo q in ipſa,ius ad eam
deducens,actionis cuiuſque ipſe antecedat. quod perinde eſt
ac ſi perfecto imperfectũ præire dixeris. quo.ſ.ab eius intel
lectus Actione differat,qui p ſe abſolutus uocatur,cuiuſq;
actionem habet ſubſtantiæ. Enimuero intellectũ hunc noſtrũ
uelut impartibilem impermiſtumq́, dicit,atque ab omni cor
pore ſeparabilem , quibus ipſum rebus ab eo diſcernit qui
Paſsiuus proprie uocatur,quique ab Imaginatiõe , ut dice
bamus,neutiq̃ differt.Ea de re cur nos nõ meminerimus cau
ſam quoque exquirens partẽ Animæ illã qua eſſe ipſo frui
mur expertem affectuũ eſſe inquit , paſsiuũ uero Intellectũ
poſſe corrũpi,intelligentiamq́, huic noſtrã qui corruptibilis
eſt coniugatã,obliuionis cauſam habere quapropter nõ iu
re Andronicus falſo librũ ferri acceptũ Philoſopho ſuſpica
B tus eſt. Reliquũ nobis ſit eorũ quæ ab initio propoſuimus,
ut libri huiuſce diuiſionẽ in capita tradamus . Quare cũ is in
quatuor ſegmenta perſpicue diuidatur, primũ de principiis
eſt Enunciatiuæ orationis. Et principia Enunciatiuæ oratio
nis uoco,quæ ad eius propoſitionẽ faciũt, quo Geometriæ
principia dixeris Finitiones Poſtulata,& quos Mentis cões
conceptus nominant , quas Diagrãmatum elementa appel
landas cenſuit in Prædicamentis Ariſt.Quandoquidẽ igitur
inter docendũ De Propoſitionibus quiddã nomen, quiddã
item Verbũ,Affirmationem,Negationẽ, Enunciationem,ac
Cõtradictionẽ, uocabit: merito quid ſingula ſibi hæc uelint
nomina,prius nos edocet, q̃ de propoſitionibus quidquam
loquatur. Ac conſentaneũ ſane erat ubi ea prius Introducti
tiis cognita reddidiſſet ad præcipiẽda ea quæ propoſuis trã
ſiret . Hoc ergo libri Caput primũ eſt qd de principiis quæ
diximus, Enunciatiuæ diſſerit orationis . Quæ tria deinceps
ſequuntur, Propoſitiones poſtea nobis ipſis tradunt . Verũ
quoniã Propoſitiões ex uocibus ſolis aliæ ſimplicibus dua
bus efficiuntur contextis , una ſubiecta, prædicata altera ceu
C cũ dico Socrates ambulat(hic.n. Subiectus terminus dicitur
Socrates,ambulat Prædicatus , quoniã in Prædicatiua omni
oratione aliud eſt id de quo ſermo habetur , aliud quod de
illo dicitur. Ac uocatur Subiectũ id quidem de quo fit ſermo
quale hoc in exẽplo eſt Socrates , quaſi de ſe prædicationes
accipiat. Quod aũt de eo fertur, quale eſt hoc loco uerbum
ambulat, Prædicatũ, ut qd de illo prædicetur celebreturq́,)
Q uãdo quidem igitur aliæ,ut docebamus, ex ſubiecto ſolo
& prædicato Propoſitiones cõplentur , aliæ apprædicatum
quoq; tertiũ obtinent ut cũ dico,Socrates iuſtus eſt,ſubiectũ
eſt Socrates, Prædicatũ, Iuſtus,apprædicatum aũt,ipſum Eſt
uerbũ,aliæ præterea & adiunctũ habent Modũ,qui quonam
pacto in ſubiecto inſit,prædicatũ indicat,ut Neceſſarium Im
poſsibile,Contingens,Bene,Sapienter, Iuſte, ut cum Socra
tem dico muſicũ eſſe contingit,uel edifferit ſapienter Socra
tes,plures uero his terminos qui inuicẽ cõplicentur ad Pro
poſitionẽ unam conflandã,ne cõplecti quidẽ animo ualeas:
Caput libri ſecundũ Propoſitiones tradit nobis ſimpliciſsi
mas. eritq́, de Propoſitione ſiue Enunciatione quæ ex ſubie
D cto & prædicato cõſtituitur. Tertiũ cõpoſitiores his,facta ap
prædicati adiectione, atq; de Propoſitione, uel Enunciatio
ne ex ſubiecto,prædicato, ac tertio apprædicato erit compa
cta. Q uartum Propoſitiones eas docet quæ cũ modo pro
feruntur. Itaq; cũ ſpecies oẽs hoc pacto proſecutus Ariſto.
fuerit propoſitionũ , ac fidenter non plures iis contradictio
nes eſſe pronunciauerit,finẽ breui tractatui imponit. Ad cal
cem aũt libri quædam præter hæc exhibetur quo erit à præ
ſenti ipſa quoq; contẽplationis haudquaq̃ aliena. Quare his
præmiſsis de cætero tempus eſt nobis ad Dictionis explana
tionem deſcendamus. quæ cõtorta cũ ſit,& plena argumen
tis,uberibusq́, referta ſententiis, atq; ex breui permutatione
torũ quandoq; ſenſum euariet,id q in multis iã accidit exẽpla
ribus,uniuerſa ſuis locis apponere operæpretiũ eſſe duximus,
quo queat dignoſci quæ nã emẽdatior eſſe editio uideatur.

FINIS PROOEMIVM.

ARI-

ARISTOTELIS LIBRI
DE INTERPRETATIONE

SECTIO PRIMA.

DE PRINCIPIIS ENVNCIATIVÆ ORATIONIS.

I.

*P*RIMVM *quid Nomen, & quid Verbum ſit, ponendum eſt. Deinde quid Negatio, & Affirmatio, & Enunciatio, atque Oratio.*

PRopoſitum, uti diximus, Ariſtoteli eſt præceptionem tradere Enunciatiuæ nobis orationis. Verum quoniam omnis ex Nominibus & Verbis oritur Enunciatio, uelut cum inquam, Socrates ambulat, prius uero ſimpliciora iis ubiq; ſunt quæ ex ipſis conſtat cognoſcenda, decens ob id maxime operis principium ſtatuit Nominis ac uerbi eſſentiæ contemplationem. Nam uerbum {Ponendum} pro definiendum acceptum nunc eſt. quod cum de aliis quoque ſignificatis prodatur, hic, id quod monemus, Definitionem notat. Enimuero uerbum, Ponere, pluribus modis appellari conſpicuum eſt. Suppoſitiones enim ſeu conceptiones ſæpenumero Poſitiones nominamus: ut quando Poſitû ſit dicimus uel concedamus Theatrum tantum capere multitudinis: ſit ſanè decem cubitorum magnitudine, liceat uel Regem eſſe, quid tum faciet? Poſitiones nuncupamus opiniones nobilis cuiuſpiã in philoſophia Viri, ab aliorum ſententiis alienas, ut moueri omnia quieteq; ea quæ ſunt, haudquaquam impertiri, ut Heraclitus affirmabat. uel id quod eſt eſſe unum, ut placebat Parmenidi Poſitiones etiam Intelligimus conſenſus Propoſitiones'ue: quemadmodum ſanè, & id quod communi lingua apud Græcos Allelogia, hoc eſt Condictum uocatur, unde & Reponere dicimus, confeſsionem uel pactionem retractare. Sed & aduerbia quæ poſitiua Græcis perhibentur, Poſitiones nonnulli appellant: ut gameteon, piſteuteon, ideſt ducenda Vxor eſt, fides habenda. Poſitiones præterea & ipſas appellamus Definitiones, quaſi ante ſubiectas Demonſtrationibus. Si enim perficiuntur ex iis Demonſtrationes quæ ſubſtantiæ nomine rebus inſunt, ſignificant autem Definitiones, eorum quæ ſunt uniuſcuiuſq; ſubſtantiam, merito antecedere Definitiones, ac ſubiici Demonſtrationibus debent. Quin eo communius adhuc Demonſtrationum principia abſolute omnia quæ medio carent, atque ex aduerſo ab Effatis diuiduntur, Poſitiones Ariſtoteles putat uocandas, cuiuſmodi ſunt Definitiones uti commemorauimus, & Poſtulata, dicta Græce Aetemata, & Suppoſitiones: quæ cum iam exigant Demõſtrationem, ſunt abſque illa deſumptæ: prout explicatum planè eſt in primo Demonſtratiuarum commẽtationum. Tot quidem, uel pluribus etiam modis dicitur ponere, ſed pro definire in præſentia id uſurpat Ariſtoteles, ut uerbis illis {Quid Nomen, & quid Verbum ſit,} ſubiungendis declarat, hoc eſt pro eo quod nobis Definitionem apertiſsime indicat. Cæterum quæſiuerit quiſpiam, cur cum in uniuerſo Prædicamentorum uolumine de ſimplicibus egerit Vocibus, hic rurſus de Nominibus dicere Verbiſq; inſtituat, quorum utrunque ſimplicem Vocem eſſe conſtat. At quod dicendum eſt, uocem ſimplicem, Nomen, Verbum, Dictionem, Terminum eſſe quidem ſubiecto inter ſe eandem, ſolo autem reſpectu differre, uelut Semen ac fructus & Aſcenſus Deſcenſuſq;. Nam ubi ſimplices Voces ut rerum quibus inditæ ſunt, ſignificatiuas contemplamur, ipſum hoc ſolum, ſimplices eas Voces appellamus, nequaquam hoc caſu diſtinguentes à Verbis Nomi-

A na. Quando uero quadam in ipſis duplicitate conſpecta nõnullas earum Articulis conſtructas inuenimus, alias minime: uel aliquas quæ tempus quoddam adſignificent, alias ſecus, a ſe mutuo illas diſtinguimus. Ac iunctas quidem Articulis, nec tempus adſignificantes quodpiam, Nomina uocanda eſſe arbitramur. Verba autem, eas quæ connecti non poſſunt Articulis, ac ſecundum tempus quoddam dicuntur. At rurſus cum Vocum huiuſmodi utranque nõ ipſam per ſe ſumimus, ſed quaſi Affirmationis partem uel Negationis, tunc Dictionem ipſam, quo pacto docebit nos dilucide ſuo loco Ariſto. nuncupandam exiſtimamus. Cum uero ut in ſyllogiſmo conſideramus aſſumendas, Terminorum in illis nomen ſtatuimus: ut in Reſolutoriorum proœmiis explicabitur. Sic porrò & Plato in nono de Legibus ſimplices Voces Terminos nominauit. Itaque eos inquit B adnuſceri inuicem Terminos quorum expers medii eſt oppoſitio, ut calidum, & non calidum. Interlimitium autem obtinere eos, quorum eſt aliquod medium, ut calidum ac frigidum: uel libens inuitumq;, de quibus eo loco diſputatur utique, cum uitium inoleſcens Animo medium habeant: quod nec pure uoluntarium eſt nec planè uoluntati refragatur. Quandoquidem igitur tametſi idem ſubiecto ſit Nomen, uel Verbum, ac Vocẽ ſimplicem dicere, tamẽ eo quem prodidimus reſpectu, hæc mutuo differunt: Prædicamentorum autem liber de ſimplicibus nos Vocibus duntaxat docuit, nihilq; inter nomina ac Verba ſeruanda differentia laborauit: cuius uſus frequens eſt ad Enuntiatiuæ orationis meditationem, ſiquidem huius opera Subiectos in Enuntiationibus terminos à Prædicatis dirimimus, ob id nunc ſpeculationem de Nominibus & Verbis tractandam proponit, ceu præſenti commemorationi coniunctiſsimam. Sed quamobrem dixerit aliquis cum multæ ſint quæ à Gramma- C ticis partes Orationis uocantur, has nunc ſolas edocemur, Nomen & uerbum? Quoniam ſolæ hæ (reſpondebimus) ſemotis aliis omnibus facere Enunciatiuam poſſunt orationem, uti cum dicimus, homo bene ualet. Ergo de ſolis hiſce Ariſtotel. conſiderat hoc loco, quæ in Enunciatiua omni oratione ex neceſsitate aſſumuntur, atque ad ſimplicem cõſtituendam Enunciationem ſufficiunt. Illud autem animaduerſione dignum eſt, ex octo partibus illis uulgo notis Orationis, alias naturarum eſſe quarundam, ſimpliciter'ue perſonarum ſignificatiuas, uel actionum, uel paſsionum, aut cuiuſdam harum cõplexionis, ut Nomen. Pronomen, Verbum, Participium, quæ ſolæ etiam ad efficiendam ſatis eſſe Enunciatiuam orationem poſſunt, ceu cum dicimus Socrates ambulat, uel Ego ambulo. uel Currens ambulat, uel Socrates currens eſt, quorum alterum eſt ſubiectum capitur, alterum ut prædicatum. Alias uero non hæc, ſed quandã Præ- D dicati ac ſubiectum cohærentiã indicare, quod genus pluſſima ſunt Aduerbia. Nam uel quo iſit modo deſignant Prædicatum Subiecto, uel quando, uel ubi, uel quoties, ſiue certo, ſiue incerto numero, uel quoad aliud ordine, ut hic poſt hunc curri, aut ab hoc ſeorſum habitat, uel cui ſimiliter, uel quo magis, minus'ue, uel etiam ineſſe cum intenſione, uel quo nos ipſum pacto ineſſe, aut non ineſſe, ſiue ut coniicientes ſiue ut affirmantes opinemur, aut etiam quonam modo affecti ad rem ſimus de qua enunciamus, uel ut dolentes, uel ut admirantes, uel ut Enunciationem quoque præſtantioris teſtimonio confirmantes. uel noſtra intereſſe oſtendentes prædicatum eligere, ut in poſitiuis uocatis Aduerbiis, uel clamore celebrantes Animi habitum ſupremo ipſo Bono inſignitum, quemadmodũ in diuini furoris Aduerbii, quæ

bene ſe habere Numine afflatos indicant: uel etiam dictam ab aliis Enunciationem per conſenſum amplectêtes, uel per negationem, ſiue inficiationem reiicientes. Significare autem quo modo inſit indicatiua inquam medietatis ſeu qualitatis Aduerbia: ut bene diſſerit Socra. Melanthius Vliſſem calcibus, quod Græci lax, aduerbialiter dicunt percuſſit: Apes racematim uolant. & quæ ſimul omnibus de quibus ſermo eſt, uel non ſimul ineſſe Prædicatum declarant: ut una graſſati ſunt hoſtes, uel hinc inde. nam & hæc qualitates quædam ſunt: quandoquidem ſub quale concretio ac diſcretio referuntur. De cæteris eorum quæ enomerauimus nihil præterea opus eſt addere cum iis in propatulo ſint qui uel parũ intelligere quid ſingula indicent poſſunt. Hæc itaq; id quod dicebamus, cum cohærentiam quandam prædicati ad ſubiectum declarent, conſerre aliquid ad faciendas huiuſmodi Enunciationes uidentur. Reliqua ſignificant quidem Aduerbia, non tamen utilia ſunt ad Enunciationem: ſed ad ſpecies quaſdam alias Orationis: ut optandi ſignificatiua ad Optatiuam oratione dehortandi uel adhortandi ad Imperatiuam: ad Interrogatiuam uero, interrogandi. Quæ autem partes præter has Orationis dicuntur, ipſe per ſe uel omnino ſignificatione uocant, ut Articulus apud Græcos, Præpoſitio, Cõiunctioq;. Ergo quæ naturarum, ac perſonarum, uel actionum uel paſsionum ſignificatiuę ſunt Ariſtoteles eas omnes in Nomina ac Verba partitur. Verbaq; illa appellat, quæ ſecundum tempus dicuntur prædicantur'ue in Propoſitionibus: Nomina, quę ſine temporis proferuntur ſignificatu, uel uſum complent Subiectorum. Quæ autem in neutra ex his loca conſeruntur, quamuis alioquin adiaceant Propoſitionibus, ineſſe uel non ineſſe, aut aliquando, aut quoquam modo, uel quoties inſit in ſubiecto prædicatum, alium'ue quempiam eorum inter ſe reſpectum ſignificantes, ne proprie quidem eas autumat partes Orationis nominandas. Quem.n. admodum aſſeres Nauis partes proprie ſunt, claui autem, ſtupa, & pix eas connectendi ac totius uniendi cauſa adhibẽtur, eodem pacto & Orationi Coniunctiones, Articuli. Præpoſitiones, ipſaq; Aduerbia uſum quorundam explent clauorum: partes autem haud ſanè, iure dicerentur: quæ compoſita ipſa per ſe plura conficere nequeunt Orationem. Nõ ſunt itaq; hæc Orationis partes: ſed partes ſunt Locutionis, cuius pars eſt ipſa quoq; Oratio, ut in libro de poetica proditum eſt. utileſq; ſunt ad quandam partium inter ſe Orationis compoſitionem conſtructionemq;. ut uinculum quoq; ad aſcititiam deligatorum unionem. & colla eorum quæ illius opera cohæreſcunt. Sed neq; colligatorum uel glutinatorum partes illæ, neq; Coniunctiones, uel Articuli, uel Præpoſitiones, uel Aduerbia partes ſunt Orationis. Enimuero à Locutione eo differt Oratio, ꝙ abſoluta congeries Oratio ſit uocum præſertim earum quæ res ſignificant: illa abſolute omnium quæ in diſſerendi facultatẽ aſſumuntur. Habes & à Platone Orationis cum Locutione differẽtiam in Tertio de Republ. traditam: ubi Hactenus inquit de Oratione. De Locutione uero poſthac conſiderandum, ac quæ nobis loquendum ſit & quo pacto loquendum, erit omnino perpenſum. ex quibus plane ſe oſtendit Orationis nomine ſententiam: Locutionis uero, pronunciationem appellare: ſeu per maxime neceſſarias partes fiat, Nomen & Verbum: ſecundum quam Oratio illa quæ prolatione continetur, ac proprie dicitur, ſpectatur: ſeu partes quoq; accipiat alias dictæ communius Orationis: quod perinde eſt ac ſi interpretationis dicas, quæ iam ad uenuſtatem ac certam cõpoſitionem reſpiciat. Placet igitur Aphrodiſieo Interpreti Aduerbia quoque in Nominibus cenſeri: quo modo & Pronomina. & quam Grãmatici Appellationẽ uocant. Sed nulla uidetur hoc prædictum eſſe ratione: quoniam alia ex Aduerbiis Nomina eſſe nequaquam putarentur: quod genus Aduerbia ſunt affirmandi: uel negandi, uel prohibendi, uel quæ iuſiurandis præponuntur, ut per aliaq; plurima aliqua uero ex eo quod à Nominibus deducta ſint quibuſdam, uim ei cum Nominibus eandem obtinere uiſa fuerint: ut bene & perſpicue à bono perſpicuoq;, uelut & iuſte à iuſtitia. Quod ſi hoc ita ſe habeat, legendum, nauigandum, quæ apud Græcos aduer-

A bia ſunt, uerba non nomina appellabimus. quaſi facta ex eo quod eſt legere, uel nauigare oportere. Sed non eſt rationi conſentaneum, uel uerba hæc, uel priora illa nomina dicere. quoniam nec ſubiici in Propoſitionibus, nec prædicari horum aliquod poteſt: quorum alterum Nomini Verboq; uſu uenire eſt neceſſe. Nam nomen quidẽ Perſpicuus in oratione, quæ locus hic de interpretationem perſpicuus eſt inquit, prædicatum inuenies: perſpicue non item. At uero nec compoſitũ aliquod fieri Prædicatum ex ipſo & eo de quo aduerbium perſpicue dicitur affirmabimus, quale eſt perſpicue enarratur: quemadmodum in hoc mortalis homo, & adulterinus Denarius. Sic enim talium Affirmationum fieri Negationes eodem modo oportebat quo illarum quæ ſimplex aliquod Prædicatum habent: ut in compoſitis re uera Prædicatis contingit. Nam ut huius Mortuus, homo eſt affirmationis negatio eſt Mortuus, Homo non eſt: huiuſque Mortuus defunctus uita eſt hæc Mortuus, uita defunctus nõ eſt ſic illius etiã Mortuus, uita defunctus homo eſt hæc Mor-
B tuus, uita defunctus Homo non eſt erit Negatio. At in Propoſitionibus cum Modo, diuerſius fieri Negationes, nec ut in iis quæ modo carent neceſſe eſt. Huius nanq; affirmationis Socrates ambulat. Negatio eſt Socrates non ambulat. At huius Socratem ambulare poſsibile eſt, non hæc Socratem non ambulare eſt poſsibile: ſed hæc Socratem ambulare non poſsibile eſt: prout planiſsime nos Ariſto. poſtremo huiuſce operis docebit ſegmento. Quapropter Enunciatiuam ubique inquit Orationem ex Nomine cõpoſitam & Verbo, in eaq; diſſolui: perinde quaſi ſolas has proprie partes putet Orationis uocandas: ipſo Eſſe uel non Eſſe alias de quibuſdam abſq; medio prædicandis: cum partes tunc fiant Propoſitionum: ut in his Socrates eſt: Socrates nõ eſt: neq; à Subiectis diuaricent. alias in Propoſitionibus quæ uel tertium Apprædicatum, uel Modum adiunctum habent aſſumendis: quæ, ut in Reſolutoriorum procemiis edocebimur, Propoſitionis addi partibus dicantur, uel ab iiſdem diuidi, aut huiuſmodi quidquã ſuſtinere. Quocirca pars Enunciationis, aut Nomen ſit prorſus oportet, aut Verbum. Non
C tamen Verbum pars omnino eſt Propoſitionis: nimirum cum de ſubiecto non ex ſeſe prædicatur: quaſi actionem debeat, uel paſsionem, uel ſimpliciter eſſentiã, priuationem'ue ſubiecti indicare, ſed prædicati gratia capitur cum ſubiecto concinnandi. Quod autem recte hæc nobis prodantur, uel ex ipſa partium Orationis aliarum appellatione cõſtat, quæ præter Nomen & Verbum dicuntur. Pronomen enim ceu Nomen non naturarum aliquarum, ſed perſonarum ſimpliciter, ita nuncupant. & participium, quaſi partem amborum capiat, Nominis inquam & Verbi, quanquam magis cum ſignificatiuum quorundam temporum ſit: ad Verborum proprietatem declinet. Articulum autem, uelut appenſum Nominibus, relationemq; habens ad alia. De præpoſitione, uel Aduerbio, uel Coniunctione quid etiam opus eſt dicamus? ex quibus Præpoſitionem ne nominant, quaſi Nominibus Verbiſq; præponatur. Aduerbium ceu tali modo complicetur Verbis Coniunctionem quaſi ſeiunctas Orationes colligantem. Cæterum concedere Ariſtotelem uideri quibuſdam locis comperies partes quoque O-
D rationis communis omnis appellari eaq; de re partes Orationis quaſdam eſſe ſignificatiuas poſt affirmabit: perinde quaſi nonnullæ quoque ſignificatu careant: niſi aliqua nobis uerborum illorum accommodatior expoſitio uideretur, nihil ſanè habens quod iis quæ modo prodidimus repugnet. {Deinde quid, negatio, & affirmatio, & enunciatio, atque oratio.} Tres quidem eſſe qui proprie dicantur Diuiſionum modi, Generis in ſpecies, Totius in partes Vocis, æquiuocæ in ſignificata diuerſa, Diuidiq; Enuntiationem in Affirmationem Negationemq; conſpicuum eſt. Dicimus enim partem alteram Enunciationis affirmatiuã eſſe, alterũ negatiuam. Quæſitũ uero eſt ab Ariſtotelis Explanatoribus quonam pacto in Affirmationem Negationemq; Enunciatio dirimatur, Atque alii, uelut Aphrodiſienſis Alexander, ut æquiuoca uox in diuerſa ſignificata ipſam diſiungi, alii ceu genus in ſpecies, ut Porphyrius Philoſophus, dicere maluerunt.

maluerunt. nemo.n.diſtrahi tanquam totum ipſam in partes fateri auſus eſt: quoniã neq; ut totũ diduci in ſimiles partes uidetur: ſiquidem Affirmationis ad Negationem haud leue diſcrimen eſt. neque in diſsimilares, quando nequaquam pars utraque totius nomine uacaretur. Quo igitur modo ſeſe uerum habeat, præſtetq; Porphyrii Philoſophi ſententia proceſſu commentationis noſtræ ſub loco demonſtrabimus: nimirum ubi proditas ab Ariſto. finitiones illarum exponemus. Nunc primum illud monendum eſt, uerbum, {Ponendum,} hoc eſt definiendum communiter in iis capi oportere. Deinde ponendum quid ſit Negatio & Affirmatio, & Enunciatio, atque Oratio. Ad hæc, dici quatuor enumerata poſt Nomen & Verbum definire opus eſſe. quoniam propoſitum eſt, ut docuimus, Prædicatiuam ſpeciem tradere Enunciatiuæ orationis. Hæc autem aut Affirmatiua eſt omnino, aut Negatiua. Ergo de affirmatione & Negatione doctum oportuit: quare de communi quoque earum genere, Enunciatione. Verum quoniam & Enũciatio inter ſpecies Orationis quædam una eſt, eratq; in finitione Enunciationis Oratio capienda, propterea quod & genera omnia finitiones complent ſuarum ſpecierum, notiora autem eſſe conuenit quæ ad docendum de quauis re aſſumuntur, co ꝙ per illa declaratur. ob id neceſſaria eſſe & Orationis contemplatio uiſa eſt quaſi anteire Enunciationi debeat. Si quis uero in quæſtionem adduceret, cur non genus quoque Orationis. Vox eadem de cauſa commemorari meruerit: perinde quaſi debeat uel ipſa, finitione explicari. Dicendum naturalis diſputationis eſſe de Voce differere: quoniam Vox ſolius eſt opus, Naturæ: quomodo uidere, & audire. uocales enim natura ſumus. At Oratio, & Enunciatio, atque ſpecies huius Affirmatio, Negatioq; uoces quædam certe ſunt: ſed ꝙ ſpeciem nanciſcantur, & tali uel tali ratione proferantur, à noſtra notione accepere, quapropter quædam ipſis quoque priuatim tributa eſt à Naturalibus diuerſa tractatio: quã Logicen hoc eſt Rationalem nuncuparunt. Ergo nec ſimpliciter genus Vox eſt, ut quidam putant Orationis. Non enim fieri poteſt, ut cum natura ſit Genus, non ſit & ſpecies natura. ſed ſi modo ſit, inſitæ Vocis orationi, ſimpliciter Vocem genus eſſe dicendum eſt. Ad ipſam Orationẽ uero materiæ loco Vocẽ capi dicemus: id quod uel ipſe in quinto de Animalium generatione Ariſto. ubi penes uocem differentias Animalium contemplatur pronunciat. ſed genus eius non eſt, ut planius ex ſequentibus conſtabit. Quod ſi quis quodnam igitur ſit genus Orationis requirat huic, Quã ti diuiſio in Prædicamentis tradita ad memoriam reuocanda eſt. Cæterum attendendum in enumeratis quatuor illis Ariſto. ſumpto à deterioribus principio ad perfectiora atque à magis particularibus ad uniuerſaliora euadere. Perfectior enim res Affirmatio eſt Negatione, utpotè eſſentiam ſignificans: Negatione eſſentiæ priuationem indicante. Affirmatione Enunciatio, ut quæ eius genus eſt uti diximus: Oratio autem Enunciatione: quoniam una eſt Enunciatiua inter ſpecies quinque Orationis. Eſtq; ordo ad nos prædictæ enumerationis quibus tranſire à deterioribus ad præſtantiora, magisq; particularibus ad magis uniuerſalia eſt natura inſitum. propterea ꝙ noſtra ab imperfecto ad perfectum promoueatur cognitio. Vbi tamen de iis docebit, pro rerum naturali ordine, uelut contrario ibi itinere: Genera Speciebus anteponens, perfectioraq; imperfectioribus. Quamobrem ſupradicto ea quoque modo enumerauit: nimirum cum enumerationis finem principium ſtatuera uellet præceptionis.

II.

Sunt ergo quæ continentur, inſitorum Animo Affectuum notæ. & quæ ſcribuntur, eorum quæ in uoce conſiſtunt. Ac quo modo nec eædem omnibus literæ, ita nec uoces eædem ſunt. Quorum tamen hæc ſigna ſunt primum: ijdem omnibus Animi ſunt affectus. ac quarum ſimulacra ſunt hæc, res iam ſunt eædem. Dictum itaque de his eſt in libris de Anima. nam hæc alterius ſunt tractationis.

A Conſequens ſanè erat, ut eſt pollicitus, Nominis ac Verbi finitiones poſthac promere. Verum quoniam non eſt omnis dictio Nomen uel Verbum, (nam quæ ſignificatione uacat, ut Blityri, Scindapſusq;, horum neutrum eſt eoq; differunt à Vocibus ſignificatu carentibus Nomina & Verba, quod ſignificatiua quarundam ſunt rerum) docet per hæc prius nũc Ariſto. quænam in primis ac proxime ab ipſis uocibus indicentur, mentis'que eos eſſe conceptus monet. horum uero interuentu res deſignari. Neque medium aliud præterea quidquam inter conceptum ac rem indagare oportere. quod Stoici ſupponentes, Dictile, Græce Lecton, appellandum putabant. Cum hæc itaque per ea quæ nunc dicuntur tradantur: tum uel maxime quibus in entibus quocunque fuerint modo ueritatem ac falſitatem ſcrutari conueniat. De quibus in præſentia nobis perpenſio eſt utrum in rebus, an mentis conceptionibus, an uocibus, an in quibuſdam harum duabus, an etiam omnibus. quod ſi in uocibus, qualibus iis uerſe- B tur, utrum in Nominibus Verbis'que, an compoſitis ex hiſce Orationibus. Ac ſanè præfinietur Nomina & Verba Voces ſimplices eſſe. quæ nec uerum nec falſum ſignificant, ut in Procemiis quoque dictum eſt Prædicamentorum: circa Enunciatiuam autem Orationem quæ ex illorum complexu efficitur, uerum & falſum ſpectari. Ante uoces quoque ipſas hæc circa conceptus conſiderari: ut qui cauſæ uocum ſunt. ſiquidem & horum alii ſimplices habentur, qui à ſimplicibus deſignantur uocibus: nec ueritatem ullam uel falſitatem admittunt. alii compoſiti, qui de compoſitis ſubeunt rebus: atque à uocibus declarantur coniunctis, falſitatis capaces ac ueritatis. quæ non in ipſis ſanè per ſe rebus etiam neque in compoſitis animaduerterit quiſpiam. Conſtat'que merito de iis ante differere hoc loco Ariſtotelem, quàm Nominis & Verbi definitiones reddat. Etenim cum de falſitate ac ueritate primum contemplari hoc opere propoſuerit, principio tum quæ harum utranque admittere, tum quæ neutri recipiendæ natura eſſent idonea nobis oportuit traderet. atque ubi in C compoſitis uocibus alterum ſpectari, alterum in ſimplicibus commonuerit, poſtea ſimplices uoces ac nequaquam, aut falſi capaces: aut ueri, in Nomen & Verbum, compoſitas autem ex hiſce, atque omnino uerum falſum'ue pronunciantes, quod perinde eſt ac ſi ad Enunciatiuam orationem pertinentes dixeris, in proprias'rurſum ſpecies, Affirmationem Negationemq; dirimeret. Hæc cum ita ſint, nos explicandis iis quæ à Philoſopho traduntur quatuor hæc ab illo his uerbis aſſumi, quaſi utilia ad propoſitam contemplationem dicimus, Res, & conceptus Animi, Vocesq; item, ac Literis. In quibus primum ſibi locum res uendicant: conceptus'ſecundum, tertium, uoces: poſtremum literæ. Nam conceptus quidem Animi, finem obtinens rerum comprehenſionem, ac tunc ſanè re ipſa conceptus ſunt, cum ipſis uelut accommodati rebus fuerint. Sunt enim imagines rerum Animo inſitæ. Enunciatiuæ autem ſunt uoces conceptuum: eaq; de re nobis à Natura datæ, ad Animi conceptiones ſeu notiones harum opera inter nos declarandas. ut & mutuo frui commercio, & ci- D uilia inuicem præſtare officia poſsimus. Homo nanque ſociabile animal eſt. Quamobrem nec qui uocibus non iiſdem utuntur, eiuſdem conſortes ciuitatis ſunt: ut qui conceptus inter ſe mentis haudquaquam norunt. Literæ autem, perennem uocum memoriam tueri finem obtinent. Porrò ex his quatuor, duo natura eſſe Ariſto. res conceptusq; arbitratur duo item poſitione, uoces ac literas. Quæ autem Natura ſunt ab iis quæ Poſitione conſtant diſcernit, utiturq; huiuſmodi regula. Quæ apud omnes eadem inquit ſunt, hæc Natura conſiſtunt: quæ non eadem apud omnes habentur, ea Natura non ſunt, ſed Poſitione. idq; non iniuria. Nam cum natura una ſit uniuerſi, ſimilia uidelicet ubiq; ita ea facit quæ cenſeri eadem ſpecie dicuntur. ꝙ ſi qua ſint apud alios atq; alios diuerſa, non erunt utiq; hæc Naturæ opificia. Cũ itaq; Res Mentisq; conceptiones eædẽ apud omnes ſint. (eſt.n.ubiuis eadẽ ſpecies Hominis, Equi,

Leonis idemq; eodem modo apud omnes de Homine, Lapide, rebusq; alijs ſingulis conceptus.) Voces autem & Literæ non omnibus eædem. quippe alijs Græci utuntur uocibus, Phœnices alijs diuerſis item Ægyptii. Nâq; alij Lingua eſt alia: Poetæ inquit carmen, rurſusq; alijs atq; alijs quilibet literis ſuas uoces deſcribunt. icirco aſſeuerat Res Conceptusq; natura, Voces autem ac Literas poſitione, nô natura eſſe côſtitutas. Ac compertum ſanè eſt circa literas magis q̃ uoces poſitionis conditionem ſpectari. Proinde ut mentio de eis haberetur omnino meruerût: quaſi affinitate quadam uocibus deuinctæ: non ſolum quod ad illarum côferât memoriam: ſed etiam ꝙ poſitione ſint, id ut manifeſtum obtineant: poſsintq; ſuo ipſarum exemplo, poſitione uoces eſſe, certiores non apertius reddere: quod notum non perinde eſt ac literas poſitu conſtare. De Vocibus igitur quærendum cenſuerunt ueteres, utrum ea natura dicendæ, an poſitione eſſent. Saneq; huc pertinebat uter ipſis exiſtendi modus conueniet explicare, eoq; ad definitiones uti Nominis & Verbi, atque ex iis compoſitæ Orationis: Nulla autẽ fuit apud illos de Literis controuerſia. Porrò literas uobis alſoquin eſſe ad propoſita contemplanda nullo uſui futuras, palàm ipſe faciet deinceps, omiſsis illis, res ſolas conceptiones uocesq; interdum ut ſimplices meditando, quandoq; uero ut compoſitas. Ex his ergo conceptiones ſimulacra rerum nuncupat. Voces autem non conceptionum ſimulacra, ſimiliter nec literas notum appellandas: ſed notas ſignaq; arbitratur. Enimuero differt à Nota Simulacrû, quatenus uult hoc ipſam rei naturam quoad licet repreſentare: nec ipſum transformare uobis eſt integrum. nam quod pictum eſt in tabula ſimulacrum Socratis, niſi & caluitiem, & ſimitatẽ, & oculorum prominentiam Socratis habeat, non eius adhuc ſimulacrum eſſe perhibebitur. Nota autem uel ſignum (utroq; n. uocabulo idem nominat Philoſophus) totum habet in noſtra facultate poſitum, quaſi ex noſtra quoque ſola cogitatione exiſtat. Poteſt uerbi cauſa quando inter ſe confligendum ſit bellatoribus ſignum eſſe & tubæ ſonus, & facies iactus: quomodo inquid Euripides,

„ Emiſſa poſtquam fax, cruenti prælij
„ Signum, tubæ ſonus, uelut tyrrhenitæ.

Signum quoq; ex compoſito ſtatuere quiſpiã poteſt elationem haſtæ, & ſagittæ emiſsionem, aliaq; ſexcenta. Quandoquidem igitur eædem uoces alijs atque alijs deſcribi literis poſſunt, ut peculiarium quas uocant ſcribendi figurarum inuenta declarant. alijs idem conceptus atque alijs uocibus enunciari, ut Linguarum multitudine, eademq; in linguam nominum traſmutatione iudicatur. (Nanq; Ariſtoclem Platonis nomine appellare. Veteribus placuit & Theophraſti Tyrtamium.) Fieri uero non poteſt ut res una eademq; alijs conceptibus aliisq; agnoſcatur, ſed conceptum quemlibet imaginem eſſe rei cuiuſcunque conceptus fuerit neceſſe eſt, in Animo uelut tabula depictum: ſi aliud nihil eſt intelligere, q̃ rei formam ſuſcepiſſe quam intelligimus, aut expromptã reddidiſſe: propterea rerum ſimulacra Conceptus ipſi, Nomina autem & Verba conceptum, & Literæ nominũ ac uerborum notæ ſignaq; appellantur. Cæterum ea quatuor hiſce, rebus inquam, conceptibus, uocibus, literiſq;, ualere iuſſis literis, quaſi neceſſarium nullum ad proximam rerum explanationem præſtent uſum, uult de Rebus potiſsimum Philoſophus atque Conceptibus quibus illas cognoſcimus côtemplari. Differitq; de Vocibus, ſine quibus diſciplina, aut præceptio confici nequaquam poteſt. Propterea itaque omiſsis literis Ariſto. res & conceptiones atque item uoces aſſumit, eaſq; ſingulas modo conſiderari inquit ſimplices, modo côpoſitas, (Simplex res eſt uerbi gratia Socrates: res compoſita Socrates currens. ſubſtantia. n. hic Socratis actionem currendi accepit ſimiliter, & compoſita conceptio ea quæ decurrente Socrate eſt. uox quoque compoſita qua dicimus Socrates currit, nimirum cum compoſitæ Côceptiones quoque ac Voces & ſimplicium concurſu abſoluantur. Ergo ueritas inquit & falſitas in nullo ſpectabuntur ſimplici, ſed in ſolis conceptionibus uocibuſq; exiſtunt compoſitis. neque. n. uel in compoſitis rebus exiſtere uerum aliquod

A poſſit quale nunc quærimus, aut falſum: propterea quoniã in reſpectu quodam conceptuum uocumq; ad res uerũ huiuſmodi ac falſum perficitur. Nam ubi conceptus uelut congruerint rebus, uel conſonæ uoces rerum ſubſiſtẽtiæ fuerint, uerum tunc circa illorum utrunque, ubi ſecus ſe habuerint, falſum conſiſtere arbitramur, ut ſi Socrate ambulante nos ipſum quoque uel animo concipiamus, uel dicamus ambulare, uera, tum conceptio, tum enunciatio eſt ſin non ambulare opinemur dicamus'ue ambulantem, falſum pronunciare eſt neceſſe ipſæ autem per ſe res neque poterunt ueræ, neque falſæ appellari, quod ad ueritatem illam attinet quæ in cognitionibus ſpectatur. uere. n. ſolemus Socratem hominẽ eſſe dicere: falſo autem Socratis ſtatuam: ni ſanè aliud per hæc indicantes quam uere de Socratis notitia prædicari hominis rationem, de ſtatua nô item. At prædicati ſubiectiq; ad prædicationem nullo pacto rebus conuenit, côceptibus, primum nulloq; medio atque horum nomine uocibus. quare & de horum tum ueritate, tum falſitate eadem ratio quadra
B bit. Verumenimuero alio modo uel in ipſis per ſe rebus, & quidem in uoluptatibus uerum eſſe falſumq; affirmabimus. neque enim perinde entia Formæ ſunt omnes à materia ſeparabiles, (ut poſtea de iis explicabitur) cum actus ſine facultate ſint. & eæ quæ materiam ad proprium exiſtentiã requirunt, & hęc informis prorſus, fæa iure appellata rerum Materia, & quæ rerum in ſpectris imagines repræſentantur: ſed partim ceu re uera, partim non uera, partim etiam falſo ſunt entia. Non. n. uera ſimiliter eſt quæ & intellectuales, & libidinoſas actiones & falſas uiſiones comitatur uoluptas. Sed hæc ad oppoſitum nihil attinent huiuſce commentationis, quandoquidem ſermo de ſola ea ueritate in his eſt quæ in affectionibus loquendi côſideratur. tot ergo habuimus quæ de uniuerſo Auctoris uerborum ſenſu ſcriberemus. Rurſus uero Philoſophi dicta ab initio perſequentes, incumbenteſq; iis quæ perpẽſione digna ſunt primum neque à rebus ipſum dicimus, neque à literis inſtitutionem de his, ſed à uocibus inchoaſſe, quaſi prædicatiuas uoces Enunciatiuæ orationis inſpicere hoc ſibi tractatu propoſuerit. Deinde Sunt
C ergo uoces inſitorum animo affectuum hoc eſt côceptuum notæ, nequaquam dixiſſe, ſed {Quæ uoce continentur.} ut qui continuam totam de Nominibus Verbiſq; præceptionem facit. Cum enim quid Nomen & quid Verbum ſit ponendum eſt ab initio protuliſſet quandoquidem tum hæc tum ex iis conſtans Oratio tribus modis uſitantur, uel in Animo per conceptus ſimplices, orationemq; intrinſecus, ut uocat, conceptam, uel in eo ipſo ꝙ pronuntientur, uel ꝙ ſcribantur, (nam & eorum quæ ſunt literis mandata, nomen eſſe illud aſſerimus, hoc uerbum, orationem illam.) Quoniam igitur id quod monebamus, Nomina & Verba, quæ ponere dixit oportere, tribus modis contemplantur, uel in eo ꝙ Animo recondantur, uel ꝙ exprimantur uoce, uel ꝙ in literas promantur, ſit propterea quæ uoce continentur eſſe dixit Animi conceptuum notas, quos ipſius affectus eſſe inquit, ob eam cauſam quã inter initia prodidimus. & rurſum quæ ſcribuntur notas eſſe eorum quæ in uoce côſiſtunt. Aut ergo quæ in uoce ſunt inquiens ita huiuſce rei gratia ſermonem deduxit, aut magis ut aliud uocem eſſe di
D cere, aliud nomen uel uerbum indicaret, notamq; eſſe, atque in totum poſitione, non uoci abſolute, ſed nomini uerboq; conuenire. quippe uocem edere nobis eſt natura inſitum, ut uidere atq; audire. at nomina uerbaq; ex noſtra cogitatione proficiſcuntur, uocemq; utuntur materia. Nam quo pacto Ianua lignum eſſe & Numus æs aurum'ue perhibetur, ita ueſo appellantur, quaſi ortũ his, quæ res naturales ſunt ferant acceptum: cum ipſi id quod ſunt ea inditis characteribus ac figuris obtineant. (quippe tigna ubi tali compoſita, uel tali modo fuerint, tunc fabricatam ianuam aut ſellam dicimus: alioqui minime. & aurum ubi tales impreſſuras acceperit, numus tunc ſit.) eodem quoque hic modo non ſimpliciter uoces Nomina Verbaq; ſunt, ſed cum à locutiora imaginatione tali ratione formatæ confictæq; fuerint, ſignaq; habitæ eorum quæ in Animo uoluntantur. Cernere autem quiſquam in mutis ab ortu quod dicimus natura eſſe Voces,

Nomina

Nomina autem & Verba ex compoſito euidenter poteſt. nam hi uoces quidem articulatas quaſdam emittere, non tamen ut Nominibus aut uerbis etiam uidentur. Hæc itaq; exprimens quidam merito dixit. Quę uoce continentur, quod huic idem eſt, Nomina & Verba quæ uoces ſunt non ſimpliciter, ſed tali ſe modo habentes, talemq; formam adeptę quatenus ſunt & ſignificatiuæ conceptuum, poſitione ſunt: eaq; de re Iſtiorum animo affectuum notæ uocari poſſunt. Sed quid tandem ſibi uult quod deinceps ſequitur, dictum non eſſe elementa, neq; literas: uerum quæ ſcribuntur notas eſſe eorum quæ in uoce conſiſtunt? Itaque reſpondemus, Cum tribus modis, id quod proditum eſt, Nomina Verbaq; appellentur, nempe quæ Animo concipiuntur, quæ pronunciantur, quæ ſcribuntur, ea quæ uoce eduntur notas eſſe poni illorum quæ mens complectitur & quæ ſcribuntur eorum quæ uoce proferrimus. & quidem ita ſiquis id ceu de nominibus & uerbis dictum accipiat. Sin abſolute in omnem dictionem extendi contemplationem uelit, dicendū eſt, Literarum atque Elementorum nomine tum deſcriptā cenſeri cuiuſq; elementi formulam, tum uero etiam pronunciationem qua unumquodq; appellamus. Ac nomen ſanè utrunque de ambobus dici: cæterum literę nomen characterem in primis notare qui per auctionem ductumq; abſoluitur: elementi autem, quod Græci Sthœcheon, nominant, prolationem: ea de cauſa ut inquit Dionyſius, ꝙ ſtœchon quendam atque ordinem habeat. Verum pronunciationem quidem haudquaquam notam eſſe: ſed partem dictum iri nominis, at figuram quoniam aliter ſub eadem pronunciatione aliterq; Animo repræſentatur, notam eſſe dici merito poſſe Eam ob rem igitur neque elementa, neque literas dixit: quoniam nominum utrunque horum de pronunciatione fertur, peculiarius elementi, literæ uero communius, ſed ea quæ ſcribuntur, quo planius conſtaret his uerbis elementorum figuras indicari. Tum cauſam deinceps affert cur notas tum uoces conceptuum, tum uocum literas nominauerit, ambasq; poſitione eſſe affirmauerit uoces ac literas. hoc autem perinde eſt atque eaſdem apud omnes neutras eſſe. Nam {Ac quomodo (inquit) Nec eædem omnibus literæ, ita nec uoces eędem ſunt.} ſimulq; es hoc palàm fecit, propter uſum uocum literas quoque, commemorandas etiam fuiſſe, ut quæ id quod poſitione eſt euidentius habeant, ac nobis declarent, ut hæ uocum, ſic uoces quoque pro intercedente ſimilitudine notas dici poſſe conceptuum. Huic uero de conceptibus addit ac Rebus, nempe horum utrunque, propterea ꝙ iidem apud omnes, ſint, natura eſſe. ait enim {Quorum tamen hæc ſigna ſunt primum,} hæc inquiens, quæ uoce continentur, hoc eſt nomina & uerba. Quorum ergo hæc ſigna primum ſunt, dicit autem conceptuum, nā res quoque ab his, non tamen proxime, ſed interiacentibus ſignificantur conceptibus. At conceptus non aliis etiam ſeſe interferentibus, ſed primum ac proxime connotantur. Itaque quorum ſigna primum ſunt ea quæ in uoce conſiſtunt, hoc eſt ſignificatiua, ac uelut notę, hi ſunt conceptus. qui affectus Animi ſunt iidemq; omnibus. atque ob id natura. Verbi igitur {Iidem} quod Græce ταυτὰ dicitur in dictione illa {Iidem omnibus animi ſunt affectus.} ultima tono acuto Græcis legenda eſt. {Ac quarum} inquit {Simulacra ſunt hæc.} hæc autem, affectus Animi nuncupat. Quarum ergo ſimulacra ſunt affectus Animi. ſed quarum ſimulacra? an uidelicet rerum, res hæ ſunt inquit quæ apud omnes eædem ſunt. Quamobrem uel hoc loco uerbi {Eędē,} hoc eſt ταυτὰ in oratione illa res iam ſunt eædem acuto accentu apud Græcos pronuncianda eſt ultima, non penultima circūflexo ut Herminus. quo abſoluta Ariſtotelica præceptio eſſe uideatur. quæ Literas ac Voces, ex eo ꝙ non apud omnes eædem ſint, poſitione eſſe. Res quoque & conceptus natura ꝙ iidem ſint omnibus, approbat. Cæterum quando hæc quodam pacto articulate explicuimus, apponendum his deinceps eſt qui ſeſe in rerum cōtemplationem ſubducere atque abſtractas horum de quibus agitur cauſas contemplari uolunt, cum tres ſupra naturales Subſtantias primordiales deſcriptiones gradusq; ſint, Diuinus, Intelle-

A ctualis, & præter hos quoque Animarius, ees à Deo in ipſum eſſe nos deduci arbitrari: conceptus ab intellectibus progigni, perfici uero ab Animariis uoces, nimirum iis qui rationalitate inſigniuntur, ſeparabilemq; ab omni corpore ſubſtantiam obtinent. Nobis enim in præſentia non de quali bet uoce, ſed ea quæ res conceptuum interuentu deſignat ex pacto aliquo atque conuentu ſermo eſt quæq; ſignificari literis poteſt, quod perinde eſt ac ſi articulatam, & humanā, & dialectum ſeu linguam nomines. Quam bene per inſtrumenta à ſimpliciter dicta uoce diſtinguentes Medici, alia quidem uocalia inſtrumenta eſſe aiunt, ceu Pulmonem, aſperamq; Arteriam: quorum ille uocis materiam ſuppeditat, hæc eius uelut effigiationi in grauitate atque acumine, ac ſimilibus conducit, alia uero ad Dialectum, articulatam uocis explicationem uſum afferre, quemadmodum Linguam, Palatum, Labia, dentes: quæ cum rationalis Animæ motioni præcipue deſeruiant, ut ab Animali prouenientem ſimpliciter acutam aut grauem uocem uelut materiam quandam ad B literas, & ſyllabas, atque omnino dialectum informant excudendas, ad quam propoſita quoque hoc nobis tractatu Enunciatiua ſpecies orationis refertur. Inarticulatarum autem uocum quales brutorū eſſe Animalium dicimus, ſi quis cauſam ſcrutetur, nihil is propoſitis quidem rebus quærit neceſſarium, conſtat autem cauſam nos illarum ad inſitas ipſis rationis expertes Animas, quarum beneficio ipſum eſſe ſortita ſunt, proxime relaturos. Nam hæ cum occurſantiū rerum ſenſus, conceptasq; illarum uiſiones ſequantur, tum facultate hac prædita pro ſua cuiuſq; natura ad uocem edēdam parant: tum ad hoc, ut motibus omnibus ad quos natura comparata ſunt pro affectibus qui in ipſis perpetuo inſunt, cieantur. Enim uero putare has quoque ſignificari literis, id quod iam accidit nonnullis qui Grammatici habentur, ridiculum eſt. Imitantur enim ranas, Comœdi his uocibus breeccecex coax coax & porcos hac coi coi, aliaq; animalia ex uolucrum genere aliis atque aliis literatis uocibus, non has tamen ipſas illorum uoces eſſe putandum eſt. alioquin & maris fremitum, & rotarum ſtridorem, aliorūq; C compluriū inanimatorum ſonos articulatos eſſe propterea confitebimur, ꝙ Comœdiam cernamus horum quælibet imitari audere. Quod ſi cauſa quoque in elementis aliqua contemplanda eſt quæ his proportione conueniat, ut effectricem quidem, præter Animam patiendi ui præditam quæ ſua indagatione iis ortum præbeat, nullam afferemus? Nihil autem prohibet horum exemplū, naturalem ipſam effectionem dicere, quæ rebus quas perficit ſingulis magnitudines ac differentias tribuit: quo modo & uoces literæ ampliore numero ſuperauere. Cæterum proditum de his eſſe inquit in libris de Anima: tum ubi dixit, At conceptus Mentis primi quid intererit quo minus ſint phātaſmata? An neque alii phantaſmata ſunt, uerum non ſine phantaſmatis. tum in quibus Imaginationē paſsiui Intellectus nomine appellandam cenſuit.

IIII.

D *Eſt autem quo pacto in Animo conceptus interdum quidem ſine uero uel falſo aſſerendo, quandoq; autem cui iam horum inesse alterum necesse ſit, ita quoq; in uoce. nam circa compoſitionem ac diuiſionem falſum, uerumq; uerſatur. Itaque Nomina ipſa & Verba ſimilia ſunt illi Conceptui, qui ſine compoſitione eſt ac diuiſione: ut Homo, uel album: ſiquidem ubi nihil addatur. nam neque falſum neque uerum adhuc conſtat. Huius uero indicium eſt: etenim ſignificat quidem Hircocerius aliquid. nondum tamen uerum quodpiam aut falſum. niſi eſſe aut non eſſe adiectum uel ſimpliciter, uel pro tempore fuerit.*

Per hæc ſupradictorum nobis utilitatem Philoſophus ad propoſitum tradit inſtitutæ commentationis. Nam Verum Falſumq; tum in mentis conceptibus, tum In uoce nō ſimplicibus tamen iis, ſed cōpoſitis inquit ſpectari. Simulq; nos uocum ad conceptas proportionem edocet: cum No

mina Verbaq; ſimplicibus ſimilia eſſe conceptibus affirmet, ac circa horum neutra nec ueritatẽ conſiderari, nec falſitatẽ, conferri autem conceptibus compoſitione diuiſionem'ue admittentibus conflatam ea nominibus uerbiſq; ſiue ut cõpoſitis, ſiue ut diuiſis orationem, quorum utrique ineſſe horum alterum neceſſe eſt, uel uerum, uel falſum. Et quidem conceptum ſimplicem nullum nec ueritatis capacem eſſe, nec falſitatis, ex inductione conſpicuum eſt. Nam qui ſibiipſi conceptum propoſuit Socratis, is nec uerum ullum, nec falſum cogitauit: niſi illi uel ambulare uel legere uel eſſe fuerit additum. tunc n. ſi ita res ſeſe fortaſſe ut exiſtimat cogitatio habuerit, uerus erit conceptus. Sin re aliter habente oppoſitum opinetur Animus, noſq́; non ambulante uerbi gratia Socrate, ipſum cogitemus ambulare, falſum arbitremur neceſſe eſt. Simili his modo habent ſeſe & ea uidelicet quæ ad uocem pertinent. Nam qui ſexcenties pronunciat Socratis nomen, quiq; uerbum per ſe dicit ambulare neque uerum quodpiam is, neque falſum prodidit. At qui ambo compoſuerit dicatq́; Socrates ambulat aut uerum profeſſus eſt, aut falſum. Et uero qui uerbũ ambulare à Socrate dimouet, quam ipſe ſublationem diuiſiones nomine nuncupauit, quaſi Prædicatum à Subiecto per negatiuam particulam, quæ diuiſiui cuiuſdam inſtrumenti uſum in oratione exhibet, ſeiũgentem, dicitq́; Socrates non ambulat orationẽ protulit rurſus ueritatis aut falſitatis receptricem. Quamobrem ſic pronunciauit Ariſt. uerum & falſum circa compoſitionem ac diuiſionem uerſari, nominatq́; Affirmationẽ compoſitionis uocabulo: diuiſionis uero Negationem, ſiue in Animi ſententiis, ſiue in prolocutoris orationibus uerſantur. Eſt itaq; ueritas prorſus & Falſitas circa compoſitionem uel diuiſionem: non omnis tamen compoſitio uel diuiſio, utriuſq; harum capax eſt. Nam qui precatur, uel quauis alia præter Enunciatiuam oratione utitur nomina & uerba componit, nihil ueri aſſerens, nihil falſi. Sed compoſitionem uel diuiſionem ſubſtantiuã eſſe conuenit, hoc eſt aliud ineſſe alii, uel non ineſſe ſignificare, id quod in ſola Enunciatiua oratione conſpicitur. Veruntamen nec cum Verbis copulatio quælibet Nominum in Enunciatiua abſolutam orationem reddet, hoc eſt ueram aut falſam. Id colligas ex eo ꝙ caſus nominis ſi ipſi eſt coniungantur, nullum neq; uerũ, neq; falſum declarant. Sed uel ipſius eſt cũ nominibus quæ in recto proferuntur cõplexus: uel in obliquis ea quæ prædicato adiuncta ad perfectam Orationem moliendam ſufficiunt, ueluti cum Socratis eſt liber dicimus. Conſtat igitur uerum & falſum circa orationem ſolam conſiderari Enunciatiuam ſpecieſq́; eius Affirmationem Negationemq́;: de quibus ipſi tractare propoſitum in preſentia eſt. Quapropter rem maxime attingit Aphrodiſiei enarratio: quæ pertinere huc dicit traditam de rebus, conceptibus, uocibuſq́; contemplationem. hæc itaq; ad hunc modum. Illud uero attendendum, non pronunciare Philoſophum, ueritatem in compoſitione aut diuiſione haberi omnem. Nam qualis in Intelligibilibus apud Platonem cõpoſitio, erit, aut diuiſio? Quin & ipſi Ariſtoteli ueritas ea nuncupatur quæ in ſimpliciſſimorum re uera entium conſideratur ſubſtantia, uel quæ in Intellectuali eorum ſubſtat cõprehenſione: ab omniq́; oppoſitione falſi exempta eſt de qua ipſe quoque in Theologica commentatione, atq; in tertio de Anima diſſeruit uolumine ſed eam quæ in pronunciatiuis ſubeſt motibus, circaq́; Enunciatiuam ſolam oſtenſa eſt ex locutoris omnibus orationẽ poſſe ſubſiſtere. Tum hoc igitur æſtimandum eſt, tum id etiã ꝙ cum Nomina ipſa. i. per ſe Verbaq́; ſimplicibus ſimilia eſſe Conceptibus dixerit, afferreq́; horum exempla uoluerit, ſubiunxit { Vt homo, uel album: nimirũ ubi nihil addatur: } Hominem ut nomẽ, Album autem uerbi loco accepit: quãquam nihilominus homine nomen eſſe uideatur: quaſi ſe non penes eam definitionem quæ de uerbis afferri conſueuit, album Verbis enumeraſſe putauerit, ſed penes uocem omnem quæ prædicatum terminum facit in propoſitione Verbum appellandum ſtatuere, de quibus uerbis tractatu exponendo planius diſſeremus. Siquis uero in quæſtionem aduocet quonam pacto Ariſto. neq; ex Nominibus, neq; ex

A Verbis ullum ueritatis aut falſitatis capax eſſe prodiderit, tametſi Verba omnia quæ primę perſonæ apud Grammaticos uocantur, uel ueritate, uel falſitatem declarent, ut cum inquam ambulo & quæ ſecundæ ſunt, ut ambulas & tertiæ quæcunq; de certa quadã dicuntur, ut pluit, tonat, coruſcat, Reſpondendum non ipſa per ſe Verba eſſe quæ ueritatem aut falſitatem indicent, ſed Verborum eiuſmodi cum perſonarum nominibus de quibus prædicantur complexum. Nã etſi actu non proferantur illa, ſubaudiuntur tamen primæ quidem perſonæ uerbis ego, tu ſecundæ: iis uero tertiæ, quę de finita quadam dicuntur, ipſa illa finita & certa de qua prędicantur, ut in pluit & tonat, Iuppiter nempe. Quamobrẽ hic quoq; integra eſt ex uerbo, ſubauditoq́; ei nomine conflata Oratio, quæ ueritatem ſeu falſitatem admittit, ego ambulo, tu ambulas, pluit Iuppiter. Proinde quæcunq; tertiæ uerba perſonæ de nulla finita prædicantur, neq; uerũ neque falſum indicant ullum, ut ambulat. Nam uerbum ambulat niſi de quo dicatur conſtet, utique nullum neq; uerum, neq;
B falſum ſignificauerit. Sed hæc clara ſunt. Illud uero { Nimirum ubi nihil addatur, } ſignificat, ut uera uel falſa fiat Oratio, uel Verbum Nomini, uel nomen Verbo addi oportere. Quod enim non adiectio quæuis facta nominibus aut uerbis Enunciatiuam obeat orationem', Hircoceruï appoſito nomine palàm fecit: in quo quidem Hircus nomen. quãquam non tantum Ceruus additur nomini, neque ullum tamen ex eo uerum aut falſum contingit. Simulq́; oſtendere hoc poteſt argumento à maiore, Nomine nullo ſimplici uerum quidquam aut falſum ſignificari. Nam ſi, quæ magis inter nomina horum quodpiam admittere par eſt, non admittant (ſunt autem id genus compoſita, ut Hircoceruus: quæ eo ipſo ꝙ ſint compoſita, capacibus horum dubio procul orationibus conſimilia ſunt) quomodo uerum falſum'ue aliquod ſignificabunt ſimplicia nomina, cum ab Enunciatiuis orationibus quam compoſita longius diſtent? Nomini igitur, Hircoceruus conceptum quendam in ſola poſitum cogitatione indicanti, ſi non eſſe addatur, uerã faciet orationem. ſin eſſe falſam conſtituet: cum horum neutrum ante ad
C ditionem indicaret. Quid uero tandem uult illud ſibi, { Simpliciter, uel pro tẽpore? } Itaque per uerbum ſimpliciter ita dixeris, fuit Hircoceruus: uel Hircoceruus eſt, uel erit Hircoceruus. Pro tempore uero .i. cum additione tẽporis, quo uel fuit, uel erit: ut heri fui anno'ue ſuperiore Hircoceruus: uel erit cras, ſucceſſuro'ue indeceps anno. Hoc ergo ſimpliciter & pro tempore dictiones declarãt. Porrò illud quoq; animaduertendum, cum Nomina ipſa & Verba ſimilia eſſe illi conceptui qui ſine compoſitione eſt ac diuiſione prodiderit nihil de Orationibus præterea quæ ex Nominibus Verbiſq́; cõponuntur, id quod conſequens erat, ſubiũgiſſe: ut quæ eſſent prędictis compoſitione aut diuiſione conceptibus ſimiles. Veruntamen neq; id prorſus reliquit: ſed oſtendit, cum diceret { Nimirum ubi nihil addatur. } Nam ex ſeſe hoc declarat: Quæ cum mutua additione pronunciantur Nomina & Verba, non ſimplicibus etiam ſunt conceptibus ſimilia: ſed iis quæ cum ſimplicium compoſitione, uel diuiſione ſiunt. Quandoquidem igitur de his plene à nobis eſt explicatum, deinceps ad Nominis Verbiq; ac cæterorum
D contemplationem, de quibus docturum ſe nos Ariſto. ab initio recepit, transeundum eſt.

DE NOMINE.

IIII.

NOMEN *igitur uox eſt ſignificans, ex compoſito, ſine tempore, cuius pars, ſeparata ſignificatrix nulla eſt.*

Apertum quidem eſt Nomen uerbo eſſe in præceptione iure antepoſitum. quippe ſubſtantias rerum indicant Nomina: Verbis autem actiones aut affectus declarantur: antecedunt uero actiones atq; affectus ſubſtantiæ. Cæterũ { Vox } materiæ rationem ad Nomen & Verbum conflatamq́; ex hiſce obtinens Orationem in definitione reddita nominis, ceu genus accepta eſt eius uocis qua nomen exprimitur, ad ſimpliciter ſonorum differentiam: qui ſæpenumero ab ina-

nimis

A nimia quoq; eduntur corporibus: Sonus nanq; à uoce differt ut à ſpecie genus. Eſtq; ſonus aeris ictus auditui ſenſibilis. Vox autem, ſonus ex animato prodiens, cum per thoracis compreſsionem eliſus e a pulmone aer attractus in arteriam quam uocant aſperam & palatum gargareonem'ue ſimul totus impingit, ac pro Animi quopiam impetu tinnitum quendam perficit e a uerberatione ſenſibilē. id quod in inſtrumentis quæ apud Muſicos flatilia uocantur ut tibiis, ac fiſtulis accidit, lingua nimirū ac deotibus labiisq; neceſſariam operam nauantibus ad uocem articulandam: adi uocem ſimpliciter, aut omnino conferentibus. Verbum autem {Significans, } ſequentiaq; ceu oominis differentiæ ad alias uoces capiuntur. Ergo ſignificans diſtinguit à uocibus Nomen ſignificatione carentibus, ut blytiri: coax. Nomen.n. ſi cuiuſdam quod nominatur nomen eſt, conſtat uoces quæ uacant ſignificatione, oon eo exiſtente quod nominetur, nequaquam fore nomina. Dictio uero illa { Ex compoſito } à nocibus ipſum diſiungit natura ſignificantibus. id **B** genus noces brutorum ſunt Animalium. Peregrino.n. quopiam limini ingruente, latrans canis eius indicauit aduentū, ſed non ex inſtituto canea inter ſe aliquo atque conſenſu in eiuſmodi uocem erumpunt. Porrò & in Hominibus id genus noces uidere cuiquam liceat: quas per uehementes affectus profundimus: ut gemitū inquam & cachinnū, quodq; de ſurdis ab ortu dicebamus, nel Pueris, quę inarticulate, prius quam ſermonis potentes fiant, loquuntur quibus ſimilea ſunt brutarum Animantium uoces, quæ tumultuoſe ab iis quandoq;, interdum placide, ac cum tranquilla quadam affectione prodeunt. Separat igitur Nomen ab eiuſmodi uocibus additum illud ex compoſito quod idem ſignificat poſitioni. Conuenit.n. inter Græcos res hiſce appellare nominibus, aliis inter Indos: inter Aegyptios aliis. iidemq; res aliquando eaſdem aliis atque aliis nominant. ſuntq; ſignificatiua hæc noſtri Animi conceptum. Gemitus autem & cachinni, atque Infandum brutorumq; Animalium uoces, conceptum nullum quidem, ſed affectus quoſdam Animi ac diſpoſitiones notāt. Cum.n. ſimpliciter noa in duas partes **C** bifariam diuidatur, tum in ſignificatiuam e apertemq; ſignificationis, tum in literatam, atque illiteratam, quarum alteram articulatam, inarticulatam altecam propterea nuncupant ꝙ locutionem complentes ſyllabæ Animalis unius artubus ſimiles ſint qui à ſe mutuo diuelli queunt, nimirum cum actu ſint inuicem diſcretæ, quemadmodum elementa, quorum comprehenſio quædam legitima ſyllabas facit, perinde atque naturalia ipſa Elementa, quorum certa quædam commiſtio ſingulos artus abſoluit. Copulationes quatuor fieri quidem accidit ſimplicium coniugationum. ex iis uero unam eſſe ad quam Nomen & Verbum, compoſitæq; ex hiſce Orationes referuntur. Vocem.n. aliam ſignificatiuam & literatam eſſe continget, ut Hominem: aliam ſignificatiuam illiteratamq;, ut canis latratum: quandam ſignificatu carentem ac literatam, ut blityri, aliam nec ſignificatiuē nec literatam, ut ſibilum qui nulla de cauſa nec quicquam ſignificandi gratia editur aut uocis brutorum cuiuſquam **D** Animalium imitationem quæ non imitandi cauſa fiat (hoc .n. ſignificatiuum iam eſt) ſed temere, neque ex propoſito. Nomen igitur quandoquidem ſignificatiua uox literataq; eſt, à non ſignificantibus, ſeu ſcripturæ mandari eæ poſsint, ſeu nequeant, eo differt quod ſignificet, à ſignificantibus uero illiteratis, quales eæ ſunt quas natura eſſe diximus, quatenus proditur literis, quod Ariſto. ex compoſito iure, appellauit, quoniam quæ de uocibus pactio ſit, Hominū functio eſt duntaxat. Nam neque ea quæ ſupra hominem ſunt, neq; inferiora homine conuento uti Natura uoluit, cum nō egeant illa: hæc paſciſci inter ſe nequeant, Hominum igitur peculiare munus eſt pactio. Ac quoniam oon poterant uocum omnium meminiſſe, excogitauit gens quælibet literas quibus ſuas uoces deſcriberet. Quamobrem e a conſtitutione ſancito, rerumq; proprietatem ſignificanti, de quo Philoſophis agitur, literatum conſequens eſt: atq; econtra. neq; .n. munus aliud quodpiam eſt literarum quam notas eſſe humanarum uocum, quas ex compoſito eſſe oſtendimus, Ic-

A circo poſt ipſe quoq; pecudum uoces illiteratos ſonos nūcupat, quas non eſſe ex compoſito, demonſtrauimus. Verum hęc omnia quandiu quidem nomini ſunt uerboq; communia (nam & illud ſignificatrix uox eſt e a compoſito) ad Verborum differentiam aducit { Sine tempore. } Porrò ſine tempore non hoc deſignat quod eſt nullo unquam pacto indicare tempus, ſed tempus non adſignificare. Recte ergo Philoſophus annotauit Porphyrius nomina quidem eſſe hodiernum, heſternum, anniculum, quæ tempus denotent, uerum ſignificare ex ſeſe tempus quoddam, nec adſignificare, ut uerba. horum enim quoduis actionem in primis quampiā autem paſsionē deſignat: ſecunda uero ratione & tēpus quo agere uel pati cōtingit. Ambulo uerbi gratia primū quidem motū talem corporis: ſecundo loco præſens tēpus declarat. ideirco & tēpus adſignificare dicentur Verba, cum de iis diſputabitur. quaſi præter id quod potiſsimum ſignificant, indicationem temporis quoq; uelut conſectantem habeant. At heſternum non adſignificat tempus, uerum **B** ſignificat: quaſi nomen parti huic ipſi temporis inditum, imo uero rei quæ parte hac fuit temporis. Nam ipſum tempus, ut proxime exactum diem, uel per heri aduerbium, uel per ipſam orationem proxime exactum diem dicentes ſignificamus, cum tempus ipſum per ſe oratio declaret: Aduerbium autem, actionum uel paſsionum quæ eo fiunt tempore ex aduerbiorum lege additionem depoſcat. Different autem à Verbis talia quoque Nomina, ꝙ actionem nullam aut affectum declarent ut uerba. quodq; magis illis circunſcribant tempora in quibus res geruntur. At illud { Cuius pars ſeparata ſignificatrix nulla eſt, } Nomen diſcernit ab iis uocibus quæ ex pluribus conſtant congeſtis Nominibus, uelut cum inquam Animal rationale mortale. Eiuſmodi.n. Orationi, quæ imperfecta eſt ad Enunciationem, conſentiēt cætera omnia, differunt autem ab id genus Orationibus Nomina, ꝙ ſignificatiuæ illarum partes ſint, ſi per ſe dicantur ipſæ, Animal, rationale, mortale, neutiquam uero ſignificent partes nominum: quemadmodum Ho ſyllaba in nomine Homo. ſed ſi in partibus aliis adiungatur nominis, conſi- **C** gnificare dicitur, non autem ſignificare.

V

In nomine enim, Armipotens, nihil ipſum per ſe potens, indicat: quo pacto in oratione, armis potens. Veruntamen nec quemadmodum res ſeſe in ſimplicibus, ſic in compoſitis quoque habet nominibus. Quippe in illis ſignificatiua nequaquam pars eſt. in his autem uult quidem eſſe: cæterum nihil deſignat abiuncta: ut, Celox, uerbi gratia in nomine, Epactrocelox, nihil per ſe ipſum indicat.

His uerbi traditur aſſumptarum in nominis finitione differentiam uiſus: inchoante ab ea differentia quæ poſtremo loco dicta eſt præceptione. Primum enim cuiuſnam rei gratia illud { Cuius pars ſeparata ſignificatrix nulla eſt } additū fuerit explicatur. ac dictum ſanè inquit hoc eſſe ad ea diſcernenda quæ conſtāt nominibus. Igitur in nomine Armipo- **D** tens nequaquam potens ſignificat: cum ſignificatiuum tamē ſit in oratione Armis potens: neque indicat celoa quicquā in nomine Epactrocelox, quod nauis Piraticæ nomen eſt, neq; in alio quo quam eius generis. quippe ſimplicium Animi ſignificatiua conceptum ſunt talia nomina, quāuis compoſitionem in dictione quandam habere uideantur: quomodo compoſitorum ſignificatiuæ conceptuum ſunt Orationes, prout de iis antea diſputatum eſt. Ergo & in nomine, Armipotens, ſi conceptum id ſimplicem declaret eius rei cui eſt hoc inditum nomen, patet potens ipſum, cum uelut eius pars capitur, non eandem cum eo quod per ſe dicitur facultatem obtinere. Dictum.n. per ſe nomen Potens uiribus præditum deſignat: ut uero pars huius nominis Armipotens à ſua integritate auulſum, mortuum quiddam ſit in ſignificando: à ſyllabis nihil ſanè differēs ſignificatione omnino carentibus: quæ partes ſunt ſimplicium Nominum: quale eſt Plato uel Dion. Quanquam id ſolum intercedat diſcriminis, quod ſimplicium partes per ſe Nominum ne ſi-

gnificatiuæ quidem eſſe uideantur, duplicium uero, quod quandam uiſionem præbeant quidem ſignificandi, quod belle Ariſto. appellauit, non tamen & re uera hoc efficere natura ſint aptæ. Itaq; Nomina ſæpe hac regula diſtinguemus ab Orationibus, quæ per eaſdem ſyllabas cum nominibus pronunciãtur, ut in Neapolis .i. Noua ciuitas: & Heliopolis hoc eſt Solis ciuitas. Vbi enim Nea & polis, uel Helio & polis, ut ſignificatiua ſumantur, oratio erit uel conditum nuper oppidum indicet, uel ſoli ſacrum: cum pars utraq; conceptũ quempiam proprium declaret. At cum earum ſignificatiua per ſe neutra fuerit, proprium erit huiuſce ciuitatis nomen, cum ſolus unus conceptus ex toto indicetur, ac pars ob id neutra ſignificare aliquid poſsit. Hæc itaq; adduxit Ariſto. poſtrema exponenda quam prodidit Nominis differentia. Cæterum cum conſequens deinceps eſſet, ut redditam ante hanc differentiam explicaret, id inquam quod dixit ſine tempore hoc uelut in tempeſtiuum præteriit: utiq; de eo cum de Verbo præcipiendum erit, diſputaturus. ubi docebit quo pacto uerbum adſignificando tempore ſegregetur. Quod autem huic antecedit, hoc eſt ex compoſito exponens inquit.

VI.

Ex compoſito autem, quoniam nullum natura Nomen eſt, ſed quando fuerit nota. Siquidem & illiterati ſoni quidpiam declarant, ut ferarum: quorum nomen eſt nullum.

Operæpretium eſt uel hoc loco quæramus, quonam pacto, cum in Cratylo decertet aduerſus Hermogenem Socrates poſitione eſſe Nomina dicentem, naturaq; eſſe ea demonſtret, aſſeueret per hæc Ariſto. nomen natura nullum eſſe. Reſpondendumq; ipſum id eſſe natura bifariam ab iis uocari qui natura nomina eſſe uoluerunt. ſimiliter & quod poſitione dicitur, duobus modis capi ab iis qui poſitione ea eſſe conſtituunt. Ex iis enim qui ipſa natura eſſe arbitrantur, alii uerbum natura ſic intelligunt, ut ipſa Naturæ opificia eſſe exiſtimet, quo modo Cratylus Heraclitusq; cenſebant: cum peculiare quoddam à Natura nomen dicerent cuiq; aſsignatum rei, ſicut ſenſum quoq; alium cernimus aliis ſenſilibus tributum. Quippe naturalibus, non artificialibus uiſibilium rerum imaginibus ſimilia eſſe Nomina: ut umbris, atq; iis quæ in aquis & ſpeculis repreſentari conſueuerunt. Ac nominare quidem eos re uera qui tale proferant nomen, qui uero non eiuſmodi, ne nominare quidem eos, ſed ſonum edere duntaxat, atque obſtrepere. Eſſeq; hoc ſapientis munus, peculiare cuiq; nomen conſectari à natura fabricatum, uti ſane oculorum acie ualentis proprias rerum ſingularũ ſpecies atq; imagines exacte dignoſcere. Alii ea, quaſi rerum quæ ab ipſis nominantur naturæ conuenientia, ſic natura eſſe aiunt. ut eius uerbi gratia qui Principis præditus ſit prudentia, natura nomina ſint Archidamus .i. domitor Principum: & Archiſilaus hoc eſt populi Princeps, & Ageſilaus hoc eſt Populi, & Baſiliſcus .i. Regulus, & quotquot ſunt eius generis, fatui uero non item. eius quoq; qui dextra utatur fortuna, Fortunatus & Felix, non eius etiam cui minus illa faueat. Nimirum & hi non naturalibus imaginibus ſimilia eſſe dicentes nomina, ſed iis qui à pingendi arte perhibentur, quæ diuerſorum exemplorũ ſimulachra diuerſa conficit, ſtudetq; pro uiribus formam cuiuſq; exprimere, Quo etiam fit, ut ſæpe à Nominibus pedem referentes reſoluentesq; conemur earum rerum quæ ab illis nominantur naturas aucupari: quibus cognitis, impoſita rebus nomina tentemus conſona iis demonſtrare. At qui poſitione Nomina eſſe ſtatuunt, partim uerbum poſitione ita pronunciant, quaſi rem quamlibet cuiq; homini liceat quouis nomine appellare: quo pacto cenſebat Hermogenes. partim non ita: ſed à ſolo nominum auctore imponi nomina. Hunc uero naturæ rerum ſcientem eſſe qui nomen cuiuſq; rei naturæ proprium dicat ac celebret, aut eum qui ſcienti miniſtret, doceturq; ab illo ſingularum eſſentiam rerum: ac decens germanumq; ipſis nomen excogitare atq; imponere iubetur. Hac ipſa uero ratione poſitione eſſe Nomina, quæ ea non Natura, ſed rationalis Animæ indagatio procrearit, tum ad rei naturam reſpiciens, tum ad maris & fœminæ proportionem qui in mortalibus potiſsimum Animalibus cerni natura ſolent. Haud. n. inconſiderate fluuios maſculino Græci dixerint, Maria autem ac Lacus uel Stagna fœminino genere Nominum opifices appellauere. ſed illa quaſi fluminum receptacula fœmineo genere uocanda cenſuerunt. ſicut etiam Fontes: utpotè qui matris ad ipſos rationẽ habeant. Fluuios autem, uelut in eam prorumpentes, propriè ſeſe habere ad maſculi proportionem iudicarunt. in cæteriſq; omnibus eodem modo, ubi uel clarius proportionẽ uel obſcurius inuenere. Hac enim conſideratione & intellectum maſculino genere, Animam fœmineo dicere conſtituerunt: cum illum, quaſi ualentem illuſtrare. hanc uelut ab eo illuſtrari natura idoneam conſpexiſſent. Ita uero procedentes, neq; uti in Diis ipſis piguit talẽ generum differentia, ſed Solem appellare uirili genere decreuerunt, Lunam muliebri: ut quæ lumen ab illo mutuetur. Nam ſi Lunam Aegyptii maſculino articulo nominare conſueuerunt, terræ eam conferunt opinor: quam non Sol modo, uerum ipſa quoq; illuminat. Proinde & in conuiuio uerba faciens Ariſtophanes maſculum Soli conuenire dixit: Terræ fœmininã: maſculo fœmininam Lunæ. Conſtatq; ſapientius Aegyptiis Græcos facere, quoniam Luna ratione prima à Sole lumen excipit, quod poſtra per factam ab ea ipſa refractionem in terram tranſmittit. Sic Cœlum quoq; maſculino genere pronunciãt: Terram fœmineo: ut quæ effectricem uim ſuſcipiat illius: plantarumq; ob id genitrix fiat. Quapropter in libris quoq; de Animalium generatione Ariſt. talem horum nominum per genera diſcretionem probat. Similis his modo cum & eorum quæ Mundo excelſiora ſunt actiones eſſe diuerſas uiderint, nimirum quibus oculis ea cerni natura permiſit, eminus quidem, ueruntamen eandẽ & in nominibus quæ hæc ſignificant proportionẽ deprehenderunt. Quod ſi idem maſculinum & fœmininũ apud eoſdem nominari uideatur, non ob id ad priſcos & ſapientes Viros noſtræ confuſionem referentes ignorantiæ, confuſa eſſe, nullaq; cum ratione impoſita nomina exiſtimabimus. ſic enim uel Etymologiæ, quam agnoſcunt omnes, exitium indicemus. uerum ſecundum aliam magis atq; aliam rei proprietatem genus utrunque in eodem aſcitum putabimus: quo modo in Luna quæ maſculino & fœminino proditur genere, diximus: ac diuerſis eiuſdem rei nominibus. Ex his uero facili ratione colligas & eorum Nominũ quæ neutra uocantur notionem uel ad id quod prius eſt ambobus deduci, uelut cum Primum, hoc eſt primam omnium cauſam nuncupamus. Quod neq; eorum quiſpiam Theologiam nobis fabularum narrationibus obuolutam tradiderunt, uel maris, uel fœminæ ſpecie fingere auſus eſt. idq; iure optimo. Coniux eſt enim fœminæ mas: prorſus autem ſimpliciter cauſæ nihil eſt conſociabile. Sed & cum Deum maſculino proferimus genere, ſic ipſum, honeſtius genus ſummiſſo præferentes appellamus. Aut ergo huc Græci referunt neutrum quod uocatur genus, aut ad id quod ex ambobus prouenit: ut cum prædion .i. puerulũ nominant, aut ſecundum id quod à potiore in deterius labitur, ut ſperma & hydor hoc eſt ſemen atq; aqua. aut penes id quod commune eſt ambobus, ut Animal aut aliis id genus modis, ne intempeſtiue his immoremur. Conſtat igitur ſecundum eorum quæ nam nominantur ſecundo poſitionis dicto conuenire. Quæ. n. ab Auctore inſtituuntur nomina, ut apte ad res quibus indita ſunt ſeſe habentia, uocari natura poſſunt: ut ab aliquo impoſita poſitione. In Cratylo itaque Socrates uelut Arbiter Cratylo atque Hermogeni utrum nam an poſitione Nomina ſint ex diametro atque aduerſiſsime diſsidentibus adhibitus, neque ea ſic poſitione eſſe oſtendit ut Hermogenes cenſebat. quippe iis & ipſum natura ſecundo natura exiſtendi ſignificatu contineri, atq; his præſertim quibus res uniuerſales ac demum proprias indicamus, rerum quæ naturam definitam ac certam habeant nobiſq; comprehenſibilem. Vt. n. bene res cedat in ponendis primum nominibus in ſingularibus, quæ mutari omnibus modis natura ſolent,

lent, Fortunam quæ famæ obſecundet inuocandā eſſe. Neque ita natura ut Heraclitus affirmabat. Nam poſitione quoq; ea eſſe, multa quidem ex illorum numero quæ in ſingularibus ſtatuuntur, oneroſa etiam ſignificatione illa poſitionis quam aſſerebat Hermogenes. quæ autem naturam ſignificant ſempiternam, & hęc poſitione, nimirum ſecundo poſitione exiſtendi ſignificatu. Neq; igitur Ariſt. hoc loco, nomen eſſe inquiens natura nullum, quidquam ab iis diuerſum ſtatuit. Nam quemadmodum & Plato, ipſorum illud natura eſſe inficiatur quod obſeruabant Heracliteí. Atqui ipſe quoq; minime recuſans ea ſic natura appellabit ut diuinus Plato arbitratur. Id porrò in libris ſuis pluribus palàm fecit: cum conſona ſtudeat nomina rebus oſtendere: in Naturali auſcultatione Caſus uerbi gratia nomen & Vacui: in Meteoris Guttæ & Pluuię: & quæcunq; ab eo indita ſcimus nomina: ut Entelecheæ, de forma, uel Termini, de ſimplicibus iis uocibus quæ in ſyllogiſmos conferuntur, uel figuræ, de tali propoſitionū cōplexu: atq; in libro hoc ipſo de Interpretatione. infiniti Nominis, uel Verbi infiniti, uel Cōtradictionis ab eo impoſita, Philoſophi ſententiā de his apertiſsime declarant. Quod ſiquis à facta nominū tranſpoſitione, atq; ex eo ꝙ pluribus ſæpe eadē res uocetur nominibus depromendo argumento, neq; dici hoc modo natura debere nomina, demonſtrare ſe putet. Reſpondebimus, natura eſſe nomina, à tranſpoſitione uel euidenter admodum oſtendi. Patet.n. nos uelut ad magis propria quædam rebus nomina tranſeuntes tranſpoſitione uti, Nominum autem multitudinem dicemus quo minus eorum quodlibet naturæ eius rei quæ nominatur conueniens ſit, nullo pacto prohibere. Nā ſicut plures eſſe eiuſdem Hominis poſſunt imagines, quæ materia quidem diuerſæ ſint æneæ uerbi gratia, ligneæ, lapideæ, omnes autem ſimilitudine ad ipſum propè accedant, eodem & hic modo eandem aliis aliiſq; ſyllabis naturam nominari nil uetat: cum una eademq; eſſentia ex omnibus alio atq; alio ſenſu indicetur. quemadmodū Gręcis Anthropos nomen, & Merops, & Brotos. idem, hoc eſt hominem notant. ſed primū illud, quatenus anathri ha opope, hoc eſt quæ uiderit repuiat: alterum ꝙ præditus ea uoce ſit quæ tribui in partes poſsit: tertium ex Animi caſu in generationem: inquinationemq; ex ea proficiſcentem. aut etiam, ut ad compoſitum relatio pertineat, Anthropos à diarthrunten opa, hoc eſt ꝙ articulatam exprimat uocem, uel anoechiu tus opas, hoc eſt ſublime os habeat. Merops, quaſi uoce utatur in partes diuiſa. Brotos autem .i. mortalis uelut mortos, uel moerretos ſit, hoc eſt fato obnoxius. quocirca & Mortales ſtruximus urbes, inquit Cyrenæus. Quòd ſi recte hæc aſſeruntur, conſtat haud admiſſum nobis iri dialecticum Diodorum qui uocem eſſe omnem ſignificatiuam putat. atq; ut fidem huic ſententiæ arrogaret, ſeruorum quēdam ſuocum. Sed enim collectiua coniunctione appellauit & alium alia. Quam.n. naturæ alicuius aut perſonæ ſignificationē habituræ ſint id genus uoces ut Nomina, uel actionis paſsionis'ue ceu Verba, ne comminiſci quidem facile eſt. Quoniā uero id quod poſitione eſt in Nominibus alii, ut Arens patræus, explodere conantur, nobisq; preces atq; imprecationes obiiciunt, in quibus noſtra ſi proferantur nomina, plane eos iuuant aut lædunt qui nominantur, cum tamen pacto inter homines iure conſtet, inter Homines & Deos, ne cogitatu quidem intercedere ualeat, aduerſus hos quoq; dicendum eſt. Cum à diis nos immortalibus rationales procreati, noſtroq; mobiles inſtinctu fuerimus, dominos multarum actionum iure eſſe conſtitutos, cumq; ii noſtra omnia cernant immutabiliter, ac cōſtitutiones noſtras accipiant, ad has reſpicientes, nobis ut qui ſponte commouemur, quod pro dignitate debetur tribuere. Immo uero nos per eiuſmodi uiſiones appetitus, inclinationesq; quæ ex cōſtitutionibus prouenīūt, tale in nobis ipſis uitæ genus cōparantes, ſecundum hanc congrua nobis frui Deorum prouidentia. Quemadmodū corpora uidemus, poſtquam igne cōflagrarunt, leuia fieri natura, atq; in ſublime obrepere ruſus interroſius ac grauius mutata, contra pro eo quod'tūe in ipſis eſt pondere in preceps deferri. Sole quoq; rege ad

A meridiem ſuperius hemiſpærium totum illuſtrante, luminis commodis tum uigilantes tum oculis pro naturæ modo præditos frui. dormientes autem, uel conuenientes, uel qui aliter oculos contexerunt ea ſua ipſorum culpa non aſſequi: uerum non inuidia quapiam Dei: qui lucem liberaliter cunctis ſuppeditat. Sed hæc ſatis ſuperq. produximus: cum Philoſophorum oſtendere uellemus conſenſum, ac theorema quæri apud ueteres ſolitum, planè inſcrutatum prætertiri nequaq̄ probaremus. Ab his uero deinceps ſyllogiſmū quem Aphrodiſieus prodit interpres cōtemplemur: quiq; Nomina & Verba natura tantū eſſe uidetur aſſerere. Nomina.n. & Verba uoces ſunt inqt, uoces autē natura, natura igitur nomina uerbaq; ſunt. Ad hæc itaque dicendum, Nomina & Verba uoces eſſe non abſolute, ſed materiæ ratione pronunciari. Quo modo igitur ſi quiſquam dixerit, Ianua lignum eſt: Lignum, naturæ eſt opus: Ianua ergo eſt opus naturæ, ridiculus fuerit (etenim ianua lignum eſſe perhibetur materiæ nomine. haud uero quod naturali materia utitur, eſſe & ipſum neceſſe eſt natura, ſiquidē quæcunque fabricatur ars, cum ea noſtra exiſtant cogitatione, circa naturalem
B materiam ſubſiſtunt) eodem & hic pacto uocem naturæ donum eſſe fatendum eſt: cum uocales ſimus natura: Nomina autem & Verba uoces eſſe dictum iri non ſimpliciter, ſed tali uel tali ratione formatas fictasq; à locutoria, ut uocant, imaginatione, uocalia inſtrumenta hoc illo'ue modo agitante, ut lignum à fabro ad ianuæ fabricationem. Quo pacto igitur lignum prius quam formam acceperit, haud quis uocauerit ianuam, ita nec uoces niſi tali uel tali ratione effigiatas, nomina uel uerba appellauerit. quamobrem ea formæ beneficio talia eſſe prohibentur, ea mentisq; noſtræ indagatione progenita, atque ob id poſitione. hæc itaq; ad ſyllogiſmum. Cæterum Ariſt. ea cōpoſito Nomen eſſe inde cōmentatur, ꝙ cum primo ortu nominis atque impoſitione protinus id eius rei notam eſſe quæ nominatur. nec naturale ſimulacrum appareat, aut totum certe hoc, artificiale ſimulacrum eſſe uideatur. Quocirca ſiquis etiam genus inquirat Nominis, quoniam uocem materię ad ipſum rationē habere affirmamus, notam aſsignabimus, ut eius re uera finitio ſit. Nota ea uoce ſignificante, ex compoſito, ſine tempore, cuius pars ſeparata ſignificatrix nulla eſt, ſubſtantiam
C quandam uel perſonam declarans. nimirum ipſius nunc tradito genere, iis uero quæ ante hac atque nunc in definitionis ordine prodita ſunt, in nominis nos intelligentiam tum ab ipſius materia, tum à forma proxima deducētibus, uelut ſi ſedile explicare quis uolens, ſatis eſſe ad ipſius repræſentandum notionem ducat, lignum tali figura ſtructum eſſe dicere. tametſi dicere exquiſite loquenti liceat, inſtrumentum eſſe ad hoc utile, ex ligno, tali fabricatum figura. Erit autem hoc idem uidelicet & Verbi & Orationis genus, ſi inſitam illis ſignificatricem uim ſpectes. Nam de ſe quod ſignificat, quoq; ſignificatur, mutua relatione prędicantur. Qua de re eorum quæ ſignificantur notæ merito erunt illa, quæ ex cōpoſito ſignificant. Quod aūt ad dictionem pertinet, ipſamq; complentium ſyllabarum multitudinem hocum quoduis ad quantum referemus. Porrò ſi Nomen tum notæ, tum ſimulacri artificialis appellatione uocandum dicimus, mirum nō eſt, erit.n. quod poſitum eſt ſine ſcopo, nota duntaxat. ꝙ autem ratione excuditur, quatenus ex aliis poteſt ſyllabis aliiſq; conſtare, ſimile notis eſt. ut eius uero ꝙ nominatur naturæ conueniens ſimulacrum, nec nota. Sed hæc uelut co
D rollaria ſunt ex ſupradictis ſumenda, conſona utiq; iis quę in Cratylo de Nomine ſunt à Socrate tradita. Etenim Nomen inquit ille ſingularum rerum ſubſtātiæ imitationem eſſe, per uocem articulatam, quod idem dictu eſt atq; ex elementis ac ſyllabis, conſtitutum, quemadmodum Verba imitationes conſequentium eſſe .i. eorum quæ ſubſtantiis oriuntur. Orationem uero eam quæ ex ambobus nomine & uerbo compoſita eſt. quaſi ipſe quoq; tum per hęc, tum per ea quæ in Sophiſta ſunt ante Ariſt. diſputata, Nomē & Verbum ſolas proprie partes eſſe ſtatuat Orationis. Vſum autem eius dictionis ex compoſito oſtendemus Philoſophus (Siquidem & illiterati (inquit) Soni) .i. uoces inarticulatæ

{Quicquam declarant,} (Sonum.n. in præſentia ceu uocis genus pro ſpecie uſurpauit) {Vt ferarum: quorum nomen eſt nullum.} perinde quaſi dixiſſe, quoniam abſq; additione hæc nihilo magis nomen declaremus, quam, quæ natura pronunciantur, uoces illiteratas. ut brutarum Animantium: quas feras uelut Plato quoq; appellauit, quaſi cognata iis magis immanitas ex eo ſit, quod ratione uacent, naturaq; inepta ſint ciuilibus muneribus perfugiendis: ſed aſcititiam manſuetudinem accipiant, uel ex ipſæ in quibus ineſſe quãdoq; hæc miteſcentibus uidetur. Illud autem {Quorum nomen eſt ullum,} aut pro nullus dictum eſt, quorum ſonorũ nullus eſt nomen: aut per uerbi phthegmatos. i. uocis defectum, quarum ferarum nullum phthegma ex nomen. haud enim ſanè non eſſe uocum nomina irrationabilium animantium diceret: nam quædam latratus, quædam hinnitus, aut mutitus uocatur. Hæc cum expoſuerit, de cæteris, uoce inquam, & ſignificatiua nihil addit, quaſi per ſe proſpicua admodum ſint. De infinito autem nomine ſermonem profert, atque inquit.

VII.

Non homo uero Nomen non eſt. Atqui ne nomen extat quidem quo id conueniat appellare. nam neque Oratio eſt, neque Negatio. Sed ſit infinitum Nomen: quoniam cuilibet tum quod eſt, tum quod non eſt, itidem competit.

Huius autem nunc meminit præcepti, quoniam uidebat in Enunciationibus quoq; ſæpenumero id genus uoces aſſumi, uelut cum dicimus non homo ambulat: quæ nomen nullum ab Antiquioribus meruerunt. Docet igitur & quibus nomine præditis uocibus eaſdem eſſe ſuſpiceris, cum eædem re uera non ſint, at quonã eas pacto nominare æquũ ſit. Itaque tametſi illas eſſe nomina ſuſpicari quis præſertim ex eo poſsit, q̃ ſimili ratione cum ueris nominibus ſubiectorum in propoſitionibus locum obtineant, quodq; iis definitio reddita conueniat nominis. (nam tum ipſis competunt proſpicue reliqua, tum neque ſignificatiuæ in his partes per ſe ſunt ipſæ non & homo: quando ut unius uerbi nõ homo partes capiantur) non eas tamen operæpretium putat Ariſto. ſimpliciter nomina uocare, propterea q̃ ſignificatiuum unius naturæ nomen eſt, eius quod nominatur, ſingulæ autem huius generis uoces unũ id tollunt quod abſq; negatione prolato nomine indicatur: omnia præter illud quæ ſunt quæq; non ſunt cætera inuehunt: Non homo. n. de ſolo non dicitur homine. de equo autem, & cane, & hircoceruo, & hippocentauro, demum de his quæ ſunt ac non omnibus dicitur. Quapropter totum hoc ipſas infinita Nomina uocari iubet. nomina quidem quoniam, ut de iis poſt diſputabitur, unum quodam modo & hæc ſignificant, hoc eſt uniuerſa præter finitam rem tanquam unum, ut non homo quicquid præter hominẽ eſt, quaſi unum deſignat hoc ipſo q̃ commune quiddam habent omnia, quod homo eſt, id non eſſe. infinita autem, quoniam quod ab iis indicatur, non aliquam rei exiſtentiam notat, qui mos eſt nominibus, ſed exiſtentiæ priuationem, pariter iis quæ ſunt & non ſunt congruentem. Quoniam autem id genus uoces, aut negationes eſſe quiſquam putare ob negatiuæ particulæ additionem poſſet, aut certe orationes, propterea q̃ compoſitionẽ quandam referant, idcirco admonet neutro harum nomine eas poſſe, neque negationis neq; ſimpliciter orationis uocari. Non ſunt igitur negationes, quoniam negatio omnis negatiua dempta particula ſit affirmatio. nam & hac affirmationem ſuperat. ſiunt autem nomina non affirmationes ex huiuſmodi uocibus negatiua detracta particula. Sed neque ſimpliciter orationes. Neq; enim Precationes, neq; Iuſsiones, neq; Vocationes, neque Interrogationes, neque Enunciationes, denique ſunt. quandoquidem Enunciatio omnis aut ueri ſignificatrix eſt, aut falſi, quorum neutrum ab id genus uocibus indicatur. Quoniam ergo neutro, uel orationis, uel negationis uocabulo nominare eas licet, neq; aliud ullum in uſu habemus eiuſmodi uocibus attributum nomen ut talibus, nominis: talibus, uerbi: affirmationis autem talibus, aliudq; aliis, eas nos inquit infinita nomina uocemus. Per uerba autem illa {Sed ſit infinitum nomen,} conſtat ipſum eius notæ uocibus hoc nomen indidiſſe.

VIII.

At Philonis, uel Philoni, ac talia omnia, non Nomina ſunt: ſed caſus Nominis. Ratio autem ipſius, in cæteris quidem ipſadem eſt conſentanea: differt uero, quoniam cum uerbo, eſt, aut, fuit, uel, erit, uerum, aut falſum non prodit. Nomen autem perpetuo: ut, Philonis eſt: uel, non eſt. nullum enim adhuc nec uerum, nec falſum pronunciat.

De pronunciatione illa Nominum quæ in recto ſit, quæri apud Veteres ſolitum eſt, uerum caſum ipſam appellare, an nequaquam pars ſit: ſed hanc quidem nomen, quaſi per eam res quælibet nominetur, alias autem caſus nominis, ut quæ à recto per transfigurationem deducantur. Proſtatq; poſterioris opinionis uindex Ariſto. quem ſequuntur Peripatetici omnes, tuentur priorem Stoici, & ueluti horum aſſeclæ qui Grammaticam artem profitentur. Enimuero cum aduerſus hos Peripatetici quinq; alias quidẽ pronunciationes caſus merito appellari dicant ea de cauſa q̃ à recto exciderint, Rectum uero haud ulla ratione par eſſe caſum nominare, ut ab aliquo delapſum: quippe conſtare omnem caſum ab aliquo ſuperius poſito fieri oportere. Reſpondent Stoici, hunc quoq; ab Animi cecidiſſe conceptu. cum enim uolumus quem in nobis ipſis habemus conceptum Socratis prodere Socrates uocem proferimus. Quemadmodum igitur ſtylus ſuperne dimiſſus rectusq; humi defixus tum cecidiſſe perhibetur, tum rectum caſum obtinuiſſe, cenſemus eodem pacto & rectum à mentis conceptu excidiſſe. rectum eſſe autem ob principalem in uoce edenda pronunciationis figuram. Verum ſi rectum (inquiunt Peripatetici) caſum ob id cenſetis nominandum, utiq; & uerba caſibus contineri accidet, atque aduerbia, quibus ne declinationes quidem ſuſtinere eſt natura inſitum. at hæc ſunt planè abſurda: ueſtriſq; ipſorum præceptionibus repugnant. Eadem quoq; in eos dici congruum erit qui generale quoddam ſupponunt nomen, atque ab illo ſingulare nomen cecidiſſe aiunt. Neque enim aperiunt quid tandem ſit id quod generale nomen nocant. neque ſi conceptum ipſum nominum communiter de omni prædicari dicant, propium aliquid nominis referent. erit enim in cæteris quoq; Orationis partibus ratio eadem. Quare primas quoq; Verborum uoces (Græci themata nominant) in recto pronunciari dicemus. ſimiliter & quæcũq; aliæ de partibus Orationis prædicantur. Has ob res igitur peripatetica de iis conſtituto præferenda eſt. Cæterum caſus diſcernit hoc loco Ariſt. à Nomine: idq; quoniam perinde finitionem redditam nominis atque idem admittunt: eo nimirum q̃ Nomen uerbo eſt iunctum, uel fuit, uel erit, uerum aut falſum profiteatur: caſus haud etiam. Nam qui Philo eſt pronunciauit, uel fuit Philo, uel Philo erit aut uerum aut falſum dixit. Qui autẽ eſt Philonis uel fuit uel erit uel Philoni eſt nihil ueri prodidit, nihil falſi: propterea q̃ additionem aliquam poſtulant id genus Orationes ad ſententiam abſoluendã. Ergo niſi filius uel amicus uel ager additur, ut Philonis filius hic eſt uel amicus eſt hic Pilonis uel hic Philoni eſt ager nihil ueri, nihil falſi cõficitur. Poteſt quidem ſpecies alia quæpiam Orationis, ut uocatiua, uel ſolo uno caſu declarari nominis: quam ob id ipſum Vocatiuam nuncupant, cum nullius uerbi adminiculo ad ſignificandũ opus habuerit: ut Atride felix, o fortunate, beate. idcirco & in hoc uocẽ ſupprimimus, uocatũq;, niſi quid uetet, ad nos ipſos conuertimus, atque ut uocationis neceſsitatem roget, ad reſpondendum cõmouemus quaſi perfecta ſit in eo ſententia: Enunciationem tamen facere uel hic, uel caſus alius quiſpiam, ne ſi eſt uerbum quidem accipiat, poteſt. Bene admodum autem Porphyrius annotauit Philoſophus uerbũ eſt non pro omni acceptum uerbo eſſe: ſed ipſum id ſolum capi quod ab eute eſt detortum, ſolamq; eſſentiam declarat ut perfectam orationem faciens iunctum nomini: obliquus uero, imperfectam. Quippe uerba multa ſunt caſibus cõſtru

cta

ſta quæ ueras uel falſas orationes moliuntur, minime uero applicari nominibus ualent, ut pœnitet, quale eſt pœnitet Socratem. At Socrates pœnitet inſociabile eſt. Vbi Stoicorum quoque de ſubiectis terminis in propoſitionibus conſtitutionem recenſet, ea eſt id genus. Quod prædicatur uel de nomine, uel de caſum prædicatur. quorum utrunque, aut perfectum eſt ut prædicatum, ſufficitq; cum ſubiecto ad concinnandam Enunciationem, aut imperfectum, additione egens aliqua ut abſolutum prædicatum reddatur. Siquid ergo prædicatum de nomine confecerit enunciationẽ, Categorema, & Symbama apud illos, hoc eſt Prædicatum, & accidens nominatur. Idem.n. ſignificant ambo, ut ambulat: uerbi cauſa Socrates ambulat: Sin de caſu, Paraſymbama, ut quod adiaceat ſymbamati ueluti; Paracategorema ſit tale eſt uerbum pœnitet, ut pœnitet Socratẽ. Eſt enim pœnitetur, ita dixerim, hoc eſt pœnitentia ducitur ſymbama: pœnitet, paraſymbama, quod enunciationem facere nequit additum nomini: ut Socrates pœnitet. hoc enim nulla eſt enunciatio. Sed neque admittere declinationem poteſt ut ambulo, ambulas, ambulat: neque cum numeris euariare. Nam quo pacto pœnitet hunc dicimus, ita quoq; hos pœnitet. Rurſusq; ſi prædicatum de nomine caſus nominis cuiuſquam additione ad enunciationem faciendam opus habeat, Minus quàm categorema nuncupatur, quale eſt, diligit & fauet, ut Plato diligit. nam ſi quem diligat adiicias, ut Dionem, finitam enunciationem facis, quæ eſt, Dionem Plato diligit. Sin quod prædicatur de caſu, alii caſus coniuncti ad enunciationem ſtatuendam requirat, Minuſquàm paraſymbama dicitur. tale eſt miſeret, ut peccatorum miſeret Socratem. omnia autem hæc Verba nominant. Ac talis quidẽ Stoicorum de his eſt conſtitutio. Nos uero ſummatim ea quæ ab Ariſtote. prodita de nomine ſunt colligentes, proprie Nomẽ fore, quod ad præſentem inſtitutionem attinet, dicimus uocem ſignificantem, ex compoſito, cuius ſignificatrix pars nulla eſt, ſeparata, finitum quicquam indicans, atq; cum uerbo Eſt uel fuit, uel erit uerum, aut falſum declarans. Sed quamobrem nõ hanc ab initio reddidit finitionem Nominis Ariſtot. ne oratio infinitis commemorandis nominibus ac caſibus turbaretur? Proinde multa apud illum ſignificata eſſe Nominis monemus. Etenim uocem omnem ex compoſito cuiuſque ſignificatiuam rei, Nominis appellatione dignam arbitratur. uelut Sapiens quoque in Sophiſta: qui Nomen ſimpliciter improprie dictũ Nomẽ Verbumq; partitur: quo quidem ſignificatu poſſunt & Verba nominũ uocabulo contineri. id ipſe uero in ſequentibus palàm facit cum ait: Ipſa ergo ſi per ſe dicantur Verba, Nomina ſunt, aliquidq; ſignificant: quaſi ea nominum appellatione cenſeri dignum putet, ob ſignificandi facultatem. quandoquidem ceu nomina quoque interdum ſunt actionum, aut affectiuum à quibus indicantur. Vocem quoque omnem quæ in propoſitione Subiectum facit, Nomen apud ipſum dici comperies. declarabit hoc tertio libri capite his uerbis: Nomina autem & Verba ſi tranſponantur idem ſignificant. Hac ergo ſignificatione bonus & iuſtus, cæteraſq; eiuſmodi, ſi in communicatione aliorum quorundam ſpectentur participum ſubiectorum, ac de quibus prædicari natura ualent, Verba, nec Nomina uocantur. at contra ambulare & philoſophari non Verba, ſed Nomina: quoniam in propoſitionibus terminos faciunt dicentibus ambulare eſt moueri: philoſophari eſt utile. quo etiam fit, ut iungant iis Græci articulum, uelut quæ locum nunc expleant nominũ. Quin & aliter Nomen pro edita à principio nominis finitione dicitur ſignificatiua uox omnis, ex compoſito, ſine tempore, cuius pars nulla ſeparata ſignificatrix eſt: qua ratione & bonus & iuſtus & non homo & Philonis, & Philoni eſſe poterunt Nomina. Ad hæc quoq; Nomen appellatur uox omnis quæ proditã nominis definitionem capit, ac finitum aliquid certumq; indicat: quo ſignificatu caſus uocabulo nominum dici nil uetat: infinita nomina haudquaquã licet. Dat autem intelligi hæc nobis, cum omnem inquit Affirmationẽ Negationẽq; aut ex Nomine & Verbo, aut ex infinito Nomine Verboq; conſtare, utiq; nomen dirimens ab infinito

A dumtaxat Nomine: haud uero etiam à caſibus. Item præter enumeratos modos omnes nominis, appellatur id nomen quod ex additis finitioni redditæ nominis diſtinctionibus perfectum eſt: ſemotis tum caſibus, tum infinitis nominibus. Nomen itaque tum quinque appelletur modis, quæ hic ab Ariſto. produntur uniuerſa recte ſeſe habere affirmandum eſt. Etenim finitio deprompta Nominis tertio enumeratorum, ſignificato ipſius integra eſt. neq; poſt additæ cautiones derogant finitioni: ſed ſignificata nos quædam alia docent Nominis: nempe quæ de infinitis traditur nominibus quartum, quæ de caſibus quintum. Verba autẽ dictionis, {Ratio autem ipſius in cæteris quidem iiſdem eſt conſentanea,} de eo dicitur nomine quod per caſum aliquem profertur: nimirum eſſe id definitionem, quam rationem uocauit, nihil in cæteris quidem diuerſam ab illa quam à principio edidit finitione nominis habiturum. Nã hoc quoq; uox eſt ſignificans, ex compoſito, ſine tempore, cuius pars ſeparata nulla ſignificatrix eſt. cæterum hoc differentia illa ſuperare, quæ caſus à proprie dicto ſegregat nomine, quatenus caſus ſi cum uer-
B bo eſt uel fuit uel erit proferantur, Enunciationem nondum abſolutam faciant, ideo nec uerum nec falſum decernant. Nomini autem uel ſolum aliquod unum ex uerbis ſatis eſſe ad perfectam cudendam Enunciationem. Sunt porrò & uerba illa ab Attica conſuetudine deſumpta: nempe eorum qui multa ſimul ſuffragia ad populum ferunt. Nam Scriba cũ primam ex conſcriptis ſententiis populo legeret, eius nomen qui ſcripſit, patrem tribum, remq; exponebat, ut Demoſthenes filius Demoſthenis pæanieus hoc affert ſuffragium. Secundo uero, ſiue etiam tertio, ſi ita forte acciderit, declarando, aliud quoq; eiuſdem uiri lectum iri ſuffragiũ tantũ indicabat, cum ad populũ diceret, priuſquã id legeret, cætera quidem iiſdem conſentanea ſunt: hæc uero etiam cenſet. Quamobrem hac ipſa quoque in Gorgia dictione uſus Socrates, eam illis qui in populo conſcribuntur tulit acceptam.

DE VERBO.

IX.

C *VErbum autem eſt id quod ad, ſignificat tempus: & cuius pars nulla ſeorſum ſignificat, ſemperq; eorum nota eſt quæ de alio dicuntur. Porrò adſignificare inquam tempus, quo modo ualetudo nomen eſt: ualet autem uerbum. adſignificat, enim nunc eſſe. Ac nota ſemper eſt eorum quæ de alio dicuntur, nempe illorum quæ de ſubiecto, uel in ſubiecto ſunt. An nõ ualet, & nõ laborat, uerbũ non uoco. adſignificat enim tempus, ſemperq; eſt de aliquo. non eſt autem differentiæ inditum nomen. ſed eſto infinitum Verbum: quoniam unicuique tum quod eſt tum quod non eſt pariter competit. Similiter, ualebit, quoq; & ualuit, non uerbũ ſed caſus Verbi, eo ſanè à uerbo differentia, quod illud præſens tempus, hæc circumiacens adſignificẽt.*

Abſoluta quidẽ Verbi finitionis redditio, ſimiliter utique Nominis editæ finitioni, fuerit, uox ſignificans ex cõpoſito, cuius pars nulla ſeorſum ſignificat. Ariſt. autẽ uelut amator breuitatis poſthabitis omnibus iis quæ Verbo cũ Nomine
D ſunt cõmunia, ut quæ in nominis ratione explicata iam ſint, ab illo quo differt Verbũ à Nomine (differt autem adſignificato tempore) inſtitutionem de eo conficit. Verũ ſi ita ſeſe habet hoc, quid ergo illud addidit, {Cuius pars nulla ſeorſum ſignificat,} quod in Nominis quoq; ratione poſtulatũ eſt? Itaque ad hanc difficultatem Porphyrium illud dicamus, quaſdam eſſe Orationes ex uerbis compoſitas quarum ſignificatiuæ ſunt partes, ipſa inquam Verba ex quibus orationes conſiſtunt: ceu cum dico ambulare eſt moueri. Nanque ambulare & moueri & eſt cum totius partes ſint orationis, ſignificatiua per ſe ſunt ipſa. Ergo ut ab id genus orationibus Verba ſecerneret, quibus partes aliæ uerbi finitionis conueniunt, uox inquam, ſignificatiua, ex compoſito, tempus adſignificans, ipſam neceſſario, uel hoc loco differentiam adiecit. Sed quo modo non ſignificare tempus, ſed adſignificare Verbum dixit? An quoniã ſignificare eſt, ut ſupra quoque admonuimus, aliquid in primis declarare. ad-

ſignificare autem, præter id quod primum declaratur, ſimul aliud quoq; ſecunda ratione quidquam præ ſe ferre. At uerba cum actiones potisſimum quaſdã aut affectus declarare uolumus, pronunciamus. tempora uero quæ actionibus uel paſsionibus adiacent, in quibus eſſe illæ uel fuiſſe, uel fore perhibentur, cum his uelut ſimul eluceſcentia uidemus. De cætero autem deinceps & conſtructionem quam in propoſitionibus obtinet Verbum docet nos Ariſto. ac {Semperq; eorum,} inquit, {Nota eſt quæ de alio dicuntur}. i. autẽ, prædicati locum à uerbis perpetuo, nec ſubiecti occupari. idq; non iniuria Nam ſi actionum ſignificatiua ſunt uel paſsionũ, hæ uero non ſunt abſolutæ, nec ipſæ per ſeſe exiſtunt, ſed ad alia quæ agunt uel patiuntur relationem habent, patet conueniens utiq; iis eſſe ut de illis prædicẽtur. Sic uero ſtatuit & Plato de iis in Sophiſta, ſignificatiuã quidem omnẽ uocem Nomen appellari his aſſerens uerbis, Ho. Age ergo quemadmodũ de ſpeciebus ac literis diſputauimus, rurſum indẽ de Nominibus conſideremus. nam hac quodã modo ratione id diluceſcit, quod in præſentia quærimus. The. quidnam intelligendũ eſt de nominibus? Ho. Vtrũ inter ſe omnia congruant, an nullũ, uel quædam uelint, quædam uero minime. The. Cõſtat hoc ſanè, uelle alia, quædã nolle. Ho. huiuſmodi quiddam ais forſitan. Quæ non interpoſita mora pronunciantur, & quidquam indicant, mutuo conuenire, quæ continuata nihil ſignificant, non cohærere. ex quibus uel illud dilucet, orationem unam ante Ariſto. dictam eſſe illam à Platone quæ unius rei ſignificatiua eſſet. hoc enim eſt in dictione illa quidquam indicant. ſiquidem & quæ inconcinne ſe habent, hoc eſt, non interquieſcendo prolata inter ſe Nomina ſine Verbo, uel Verba ſine Nomine, ſignificant omnino: ſed plura, & non aliquid. Solas autem ſpecies duas eſſe ſignificatiuarum uocum, Nomen & Verbum: quorum illud ſubſtantias declarat: hoc actiones uel paſsiones, quas ille græce praxes. i. geſtiones nominauit, his docens conſequentibus. The. Quomodo iſtud quoddam dixiſti? Ho. Quod te arbitratum confiteri exiſtimaui. Et enim duplex nobis genus earum declarationum quæ circa ſubſtantiam uoce fiunt. The. Quo pacto? Ho. Alterum Nomina uocatum: alterum Verba. The. Dic utrunq;. Ho. Declarationem qua geſtiones ſignificantur, Verbum uocamus. The. etiam. Ho. Signum autem ipſis impoſitum uocis illas gerentibus, Nomen. Ex quibus ipſe palàm cernitur non ſolum actionum aut affectuum ſignificãs uerbum eſſe dicere, quod geſtionis uocabulo indicatur, ſed ſignum quoque ſeu notam ante Ariſto. nominare, nimirum ſignificatiuum apud utrunq; auctorem declarante, poſitioneq; ſignificatiuum, ſed non natura, quo modo ſuperius de iis, cum de Nomine ageretur, explicatum eſt. Quin & ad uerbum {Semper} non ſine cauſa adiectum eſt in dictione illa, ac nota ſemper eſt eorum quæ de alio dicuntur. Hoc enim Verborum maxime proprietatem oſtendit: quoniã & quædam Nomina interdum prædicari nil uetat, ut animal de homine. ſed illa neq; ex eorum numero ſunt quæ ſolum perpetuoq; prædicantur, neque per ſe ipſa ſine aliquo Verbo prædicata, ut eſt uel non eſt abſolutam orationem efficere natura ualent. at Verba propriã uim ſeruantia, ſolum ſemperq; ipſa per ſe prædicari accidit. Hæc de uerbo locutus, deinceps quæcunq; ad præceptionẽ contulit, explanare cõtendit. ac iure id primum quod adſignificare tempus dixit, nimirum neceſſario aſſumptũ, ut Verbum à Nomine planè diſtingueretur, aperuit breuiter, Nomine & Verbo, quæ circa rem eandẽ uerſantur ualetudine inquam & ualet mutuo collatis, oſtenſoq;, Nomine nullius ſignificatiuo eſſe temporis: Verbo aũt præter eam affectionẽ quam præcipue declarat, tempus etiã ſignificare. Ab hoc uero dictione illa omiſſa cuius pars nulla ſeorſum ſignificat, ut quæ cum de Nomine ageretur, ſatis adepta eſt explanationis, ad reliquũ tranſit: ac ſignificatiua dicta eſſe illorum inquit uerba quæ de alio prædicatur, hoc eſt de ſubiecto, uel in ſubiecto. idq; propterea, quoniã Verba, quo pacto & Nomina, alia, quaſi per eſſentiam ſint in iis de quibus prædicantur, cõpletiuaq; illorũ, prædicari dicuntur: quod in prædicamentis de ſubiecto uocabatur. alia ut accidentia ſubiectis, quod in ſubiecto appellatur.

A Quemadmodum. n. de homine animal albumq; prædicantes, q̃ Nomina ſunt, nõ eodem utrunq; prædicamus modo, ſed animal ut de ſubiecto de homine dicimus, albũ quaſi in ipſo ſubiecto ipſum eſſe obtineat, ita res quoq; in prædicatione habebit Verborum. Nam ubi dixero, ambulare eſt loco dimoueri uel calefacere eſt facere dimoueri loco de ambulando, ut de ſubiecto prædicaui: facere de calefaciendo, quoniam illis generaliora ſunt. cum autem Socrates ambulat pronunciauero, uel Plato legit, prædicantur per accidẽs hic de ſubiectis prædicata. Ergo ni ſpecies ambas oſtendat prædicationis, ob id cum perpetuo prædicari ſolere Verba prodiderit, ita ſubiunxit, modo ut de ſubiecto, modo ut in ſubiecto prædicari. Sed hæc quidem expoſitio quadrabit ita ſe ſe, ut appoſuimus, habente ſcriptura, quam in plurimis inuenimus exemplaribus. Quod ſi qui habere ſe eam & hoc modo uoluerint, ac nota ſemper eſt eorum quæ inſunt, ut eorũ quæ de ſubiecto uelut Porphyrius inquit Philoſophus, hic illud de ſubiecto pro in ſubiecto quoq; dicemus acceptum.

B Quod. n. in ſubiecto appellatur id indifferẽter de ſubiecto uocare quandoq; conſueuit. Prior igitur ſcriptura interpretatioq; eligenda eſt. Verba autem ſubiecta quoq; interdum fieri, ut philoſophari, cum philoſophari dicimus utile eſt: et ambulare in propoſitione illa ambulare eſt moueri, neque tunc ut uerba, ſed tanquam nomina in orationibus capi, ob idq; ipſis præponi articulum, ſupra memorauimus. Ac dicere ſane oportet fortasſis, ab actionibus paſsionibusq; haberi quaſdam naturas ac proprietates, quibus etiam à ſe mutuo differant: & eas dici aliorum quorundam agentium eſſe uel patientium: ſignificariq; eas à nobis: à quibus interdum uelut ex entium numero ſint, ac quandam obtineant naturã, alias circa ſubiecta quædam alia ſubſiſtant ipſæ cernuntur. Proinde uoces quæ ſubſtantias illarum ſignificant, Nomina uocari: Verba autem, quæ ad ſubiecta relationem declarãt. Quare philoſophari & ambulare ac demũ quæcunq; apud Grammaticos Infinitiua nominantur, quatenus, adſignificãt tempus, Verba dicuntur, nec Nomina: quoad uero quoquo modo ſubſiſtentia quædam indicant, ipſas inquam actiones C uel paſsiones, præponiturq; ipſis apud Græcos Articulus, qui Nominibus anteire duntaxat ſolet, nec perpetuo locũ obtinent prædicatorũ, id quod propriũ uerbi eſſe uult Ariſto. Nomina, nec Verba nuncupantur. Cæterũ illud attendẽdum, cũ prædicata quoq; hæc ſiunt, quemadmodũ moueri in propoſitione hac ambulare eſt moueri uel iuuari in hac philoſophari eſt iuuari nihil in prædicãdo à confuſis nominibus ut animali differre. Neq;. n. poſſunt hæc ſiue eſt uerbi additione, uel non eſt uel dicitur uel debeo ut in hoc dicere debeo aut id genus aliquo, abſolutã orationẽ conficere. Cũ igitur ceu quouis modo entiũ quorundã nomina hæc accipimus, tunc & de illis quę ab his ſignificantur quidquã enunciare ac de ipſis quædã planè uerba prædicare aggredimur, ut in ueris nominibus facere cõſueuimus. Sed dicta ſunt hęc de Verbis iis quæ à Grammaticis Infinitiui modi nominantur: quibus etiã ſolis actiones aut paſsiones quæ in ſubiectorũ ordine accipiuntur, cũ dicendũ de iis aliquid eſt, ſignificare proprie ſolemus. Si qua uero & in aliis modis aliquãdo fiant ſubiecta, ut ualeo uerbũ eſt, ſermonẽ tunc animaduertas D nõ de affectione nobis ipſa quæ indicatur, ſed de ſignificante illã uoce haberi: ipſam ut uocẽ conſiderantibus, unoq; inditũ nomẽ eiuſmodi uoce explicantibus. etenim inter ea quæ ſunt & uoces cenſent, easq; ut alia quoq;, à ſe mutuo diſcernẽtes, aliis aliisq; ſignificamus nominibus. id quod non ſolũ in uerbis inuenies, ſed etiã in omni tũ ſignificatiua, tũ experte ſignificationis uoce fieri. Græci enim ho men ſyndeſmos dicunt. i. hæc quidem coniunctio: & to to arthron. i. hoc hoc articulus, & to. i. hoc enax uox nihil ſignificans. At Ariſtot. non ipſam per ſe uocem uerbi eſſe eam dixit quæ prædicari perpetuo uelit: ſed quod ab illa deſignatur, eſtq; aut actio quædam, aut affectus. ideo ſic etiam dixit, notam ſemper eſſe eorum quæ de alio dicuntur. ac de his quidem ſatis. De Verbo autem infinito non prolixiore opus erit nobis oratione, quippe eadem iis dicemus quæ de infinito Nomine pronunciauimus, nimirum haud omnino à Verborũ

natura

natura euaſiſſe: id quod breuiter commonuit Ariſto cum dixit, {Adſignificat enim tempus: ſemperq; eſt de aliquo.} ac quoniam non de certo aliquo dicitur, propterea totum hoc Infinitum uerbum appellari. Cum uero {Non eſt autem} inquit {Differentiæ nomen inditum,} Verbi infiniti diuerſitatem qua à finito dirimitur, differentiam nominat. huic uero ait diuerſitati non eſſe inditum nomen, quo infinitū hoc uerbum, de quo ſermo eſt aliud eſſe à Verbo, declarare nobis liceat: quemadmodum nominis à uerbo differentiæ nomen hoc ipſum impoſitum habemus, quod alterum Nomen, alterum Verbum uocatur. Quandoquidem igitur non ſic in Verbo quoq; ac Verbo infinito duo poſita habemus nomina, quæ differre hæc inter ſe oſtendere nobis poſſint, ſed ipſorum quidem alterum quoddā obtinuit nomen quod Verbum dicitur: alterum à nominum conditoribus neglectum, nulla eiuſmodi uoce donatum eſt qua ſignificetur diſcrimini aſsignatum nomen non eſſe ait in loquendi uſu: hoc eſt Verbi infiniti proprietati qua à finito ſeiungitur: quam quidem proprietatem pares auctoreſq; decuit nominum peculiaris cognomenti cuiuſquam dignitate honeſtare. Quapropter nomen ipſe illi ſtatuens, infinitum Verbum id cenſet nocandum: {Quoniam unicuiq; tum quod eſt,} inquit, {Tum, quod non eſt pariter competit.} ſaneq; competere pro eo accipit quod eſt re uera prædicari. Nam uere quidē aliquid uel de non ente prædicari, quaſi non competens illi, neq; competere natura aptum nihil prohibet: ut cum hippocentaurus inquam, non ualet, uel nō laborat. aliquid uero ei quod ne quidem eſt, competere neutiquam poteſt. Poſt hæc tradit nobis Verborum ab ipſorum caſibus differentiam: quo modo faciebat in Nominibus, atque à ſe inquit ea quæ in præſenti dicuntur tempore cuiuſcunque fuerint perſonę, Verba appellari: ut ualeo & uales & ualet: præſenti autem eo uidelicet quod in latitudine ſpectatur. nam in momento ut uocant, temporis nihil facere licet aut loqui. Quæ uero, circumiacens adſignificant tempus ({Circumiacens} autem nominat tum præteritum, tum futurum, uelut inſtans ambientia) caſus uerbi nuncupari: ut quæ per transfigurationem ab iis fiant uerbis quæ in præſenti tempore efferuntur. Itaque proprie uerbum eſſe id quod in præſenti pronunciatur tempore, ac finitum aliquid certumq; ſignificat. Quod ſi quis uel hoc loco quæſierit, quid ſit, ꝙ non has Ariſtot. ab initio uerbi definitioni addiderit differentias, Non nos, ut Herminus, initio proditam definitionem eſſe imperfectam excuſabimus: ſed apud Philoſophum plura quoque ſignificata uerbi eſſe, atq; alterius habere quidem illam ſignificati definitionem quæ à principio editur: aliud uero quoddam per ea quæ nunc adiiciuntur, Philoſopho deſcribi. Tripliciter.n. Verbum apud Ariſto. dici comperies: aut uocem omnē quę adſignificat tempus, & cuius pars nulla ſeorſum ſignificat, ſemperq; de alio dicitur: ut principio definiuit. quo quidem ſignificatu Verba quoq; infinita & Verbi caſus uerborum nomine cenſebuntur. Aut omnem uocem quæ præſens adſignificat tempus duntaxat, ac finitum quidquā declarat: quæ nobis per præſentia uerba ſignificatio traditur. Aut uocem omnem quæ prædicatum facit in propoſitione. quo circa bonus & iuſtus & albus & animal cum accepta prædicata fuerint, Verba, ſi ſignificatū hoc attendas, dicuntur: id quod in neutro priorum ſignificatu ſunt. Porrò ꝙ ſignificatū hoc quoq; agnoſcat Verbi, indicauit iam uel inter huiuſce tractationis primordia: cum diceret, Itaq; nomina ipſa & Verba ſimilia ſunt illi conceptui, qui ſine compoſitione eſt ac diuiſione, ut homo uel album, nimirum ubi nihil addatur. In ſequentibus quoq; ipſum in eadem inuenies perſtare ſententia, ubi Nomina inquit, ſi tranſponantur & Verba idem ſignificant. hoc.n. effatus, Hominem albumq; proponit: atq; utrunq; in alterius locum tranſmutat: quaſi ſit horum alterum Nomen, alterum Verbum. Ergo ſi in propoſitione Homo eſt albus dicente, homo aſſumitur Nomen, uti principio quoq; eſt acceptum, album uti Verbum capi conſpicuum eſt. Et in ea quæ ad hanc reciprocat, atq; album ſubiectum, prædicatum Hominem facit, patet album Nomen dictum iri: Hominem Verbum. Sed hæc præter naturam eſt prædi-

A catio, uelut cum domino quoq; accidiſſe Hominem dicimus. Quo ſit ut hominem non proprie uocari Verbum dixeris, nec album Nomen: ut quod nec ſecundum naturam prædicetur de Homine. At cum de Homine album prædicabimus, erit & prædicatio ſecundum naturam, & prædicatum iure Verbi appellatione nuncupabitur. quaſi quod Homini impertitur ſignificet: de eoq; natura ſit idoneum ut ſubiecto prædicari. His ergo expoſitis, inſpiciamus ea quæ ab Ariſto. de Verbo deinceps produntur.

X.

Ipſa ergo ſi per ſe proferantur Verba, Nomina ſunt: aliquidq; ſignificant. mentem enim ſiſtit qui loquitur: quique audiunt acquieſcunt. uerum ſit, ne an non ſit, nondum indicant. Neq; enim eſſe uel non eſſe nota eſt rei. ac ne ſi ipſum quidem ens ſolum dixeris. Nam ipſum quidem nullum eſt: adſignificat autem compoſitionem quandam quam ſine compoſitis non eſt intelligere.

Cum enim per ſupradicta finitionem Verbi tum commu- B niorem, tum peculiarem nobis tradiderit, uult per hæc, quonā pacto ſeſe Verba ad Verum ſignificandū falſum'ue quidpiam habeant explicare. Iam quidem inter initia, ubi communiter de rerum, conceptuum Animi uocumq; mutua cohærentia differebat, ſimplices uoces omnes ſimiliter eſſe illis cōceptibus prodidit qui cōpoſitione uel diuiſione carent, atq; nec ueritatis capaces eſſe, nec falſitatis. Nunc uero id confirmare apertius uult oſtendendo eo quod in ſimplicibus uocibus ueritatem admittere & falſitatē maxime uidetur. Verbum inquam, horum neutrum indicare. Nam ibi parte altera orationis Nomine in medium adducto, tametſi id quam maxime cōpoſitum ſit, ut Armipotens, & Hircoceruus ſignificatiuum eſſe quidem ut naturæ cuiuſquā aut notionis, nō tamen ueri uel falſi: niſi Verbū illi quodpiam additū fuerit, monſtrabat. Hic autem eadem nobis de Verbo tradens præcepta, nempe ſignificatiuū id eſſe actionum quarundam, aut paſsionum: non tamē ueritatis uel falſitatis: niſi aliquod ipſi C fuerit copulatum nomen, proſequitur. {Ipſa igitur ſi per ſe, proferantur Verba, Nomina ſunt, aliquidq; ſignificant.} dicitq; nomina.i. ſignificatiua. proinde planiore hoc faciendo ſubdidit aliquidq; ſignificant. Deinde probans hoc, ſignificatiua eſſe inquam Verba quarundam rerū, deinceps addit, {Mentem.n. ſiſtit qui loquutur: quiq; audiuit acquieuit,} uel hoc nimirum dicens, uerbi ualere exempli cauſa prodeuntē porrigentemq; ſe pariter cū prolationis longitudine capiendi nobis intelligentiam, ac quaſi in longum cum dictionis expromptu delatam, ubi uerbū totum protulerimus, uel audiuerimus, firmari ac ſiſti. uel ſiquis rogauerit quid agat uerbi gratia Socrates, menteq; ambigua ſit ac uelut errāte, eo ꝙ cō plura animaduertat, quorum ſingula ineſſe illi poſſunt, nullū id eſſe quod ineſt certo intelligat, qui reſpondet, atq; ambulat inquit, uel diſputat mentem ſtatuiſſe, atq; ab hæſitatione uindicaſſe: & eū qui percontatus eſt, quaſi incerto animo fluctuantē, audita uerbi reſponſione acquieuiſſe. Quamobrem pronunciatū uerbū aperte aliquid ſignificauit, ſi hæc prodito illo geſta ſunt. atq; alter cū uerbū protulit quidquam effe- D cit. eius.n. qui ſuſcitatus eſt mentē ſedauit firmauitq;, alter affectus eſt audiendo, cū acquieuerit. Itaq; ſignificare uerba ex hiſce cōſpicuū eſt, {Verū ſit ne, (inquit,) An non ſit nondum indicāt,} Per id aūt quod ſit ne ait, affirmationē: per id quod an non ſit, negationem, uel magis per id quod ſit ne inquit, uerum, per id quod an non ſit, falſum declarat. Qui.n. res dicit, ut ſunt naturamq; obtinent, uera dicit: qui uti non ſunt, falſa. Significant igitur aliquid uerba inquit, affectum uel actionem: ſed ueritatem aut falſitatem nondum indicant. atque hoc ratiocinatione aſſerendo, ſubinde infert, {Neque.n. eſſe uel non eſſe nota eſt rei.} Eſt autem hæc probatio à maiore, de eo nimirū ꝙ Verba uerū aut falſum non admittant. Si.n. primitiua magis Verba ac cōmuniora, & in quæ cætera omnia reſoluuntur, ipſum ineſſe uel nō ineſſe proxime indicantia, cū per ſe pronunciātur, uerū aut falſum nequaquam decernunt, multo minus ſanè alia Verba horū ſibi aliquod uendicarint. At ſi primum ſit, erit ergo & ſecundum. Sumit autē

A uerba illa quę principii magis naturam referunt, magiſq; cō-
munia ſunt: & in quæ reſoluuntur cætera omnia, eſt & non
eſt, quæ eſſe ac non eſſe appellat: perinde quaſi Verba ſingu-
la in Participium atque horum alterum ſituta in uerbum eſt
infinita in nō eſt reſoluantur, ut currit, currens eſt, bene ualet,
bene ualens eſt: non currit, currens non eſt: non ualet, ualens
non eſt. Hęc igitur ſic habentia ſi nullū ipſa per ſe uerum aut
falſum indicent: quō conſentaneum fuerit rationi, quæ his
poſteriora ſunt, quæq; ineſſe omnino uel non ineſſe per ho-
rū cōmunicationem declarant, ueri quidquam aut falſi præ-
ſtare? Porrò eſt uel non eſt, nihil per ſeipſum ueri uel falſi in-
dicare, uel ex ſe patet fortaſſe. (nā qui ſexcenties dicit eſt, eſt,
uel non eſt, nō eſt: horū neutrum ſignificat) cæterum eodem
& hoc modo probat à maiore, quodā quam uerbū eſt anti-
quiore petito atq; altiore. i. ente: à quo uerbū eſt unde ipſum
non eſt prodiit. Nam ne Ens quidem hoc inquit, quod eſt
nomen, quomodo nec deductum ab eo uerbum eſt notam
eſſe rei, hoc eſt uere rem eſſe declarare, ſi ſolum ipſum pro-
B nunciatum ſit, quod eſt ſi per ſeipſum dicatur. Significat qui-
dem aliquid & uerbum eſt per ſe dictum: ſimiliter & ens. ſed
horum neutrum, licet ſexcenties prolatum, ſibiipſi uendicat
ac ſuppetere dicū, ut ueri quicquam, aut falſi indicet. Solæ
.n. ut proditum eſt ſæpenumero, compoſitæ ex Nominibus
Verbiſq; orationes alteri ex his ſuſcipiendo natura compa-
ratæ ſunt. Horum autem utrunq; ens inquā, atq; eſt ſimplex
proculq; ab omni id genus compoſitione ſemotum eſt. Si
ergo habent ita ſeſe Auctoris uerba ut appoſuimus. neq;.n.
eſſe uel non eſſe nota eſt rei, expoſitionem quam attulimus
ſolam ea confirmantem reperies. Sin ut Porphyrius philoſo-
phus ſcribit, non.n. ipſius eſſe rei nota eſt, uel non eſſe (quan-
quam progreſſus in priorem ſcripturam atq; expoſitionem
fertur) poteſt de uerbis dictū eſſe cōmuniter omnibus, nēpe
ſignificatiua quidem illa, uti proditū eſt, quorūdam eſſe: ſed
non ueritatis uel falſitatis: ut per hæc uerba uerum ſit ne an
non ſit nōdum indicant oſtendit. Huius uero per id cauſam
reddit quod ait, neq;.n. ipſius eſſe rei nota eſt, uel non eſſe.
Eſt autem hoc, non.n. ſi ipſum per ſe uerbum dicatur, quam
C declarat rem, ineſſe aut non ineſſe ſignificat. quod ſi faceret,
tunc per ſe capax falſitatis ueritatiſq; eſſet. Nam qui ambu-
lat dixit, ſignificauit quidem certam actionem, cæterum de
ea neque uerum aliquod, neq; falſum prodidit: niſi ſubiectū
quodpiam fuerit additum, cui inhærens uel nō inhærens am-
bulare, ueram orationem aut falſam contulerit. Itaq; uerba
illa, neq;.n. ipſius eſſe uel non eſſe nota eſt rei perinde dictu
eſt atq; à prolato per ſe uerbo, neq; rem eſſe. i. quam ſignifi-
cat indicari: quod facere ſolet affirmatio, neque non eſſe, qđ
negatione declaratur. atque hæc ſunt de omni Verbo com-
muniter dicta. Illud uero. { Ac ne ſi ipſum per ſe quidem ens
ſolum dixeris, } uel ſecundum hanc explanationem nul-
lum capax uerbū eſſe ueritatis uel falſitatis ab eo quod ma-
gis uidetur probauerit. Quonam autem pacto demonſtra-
tiuum hoc fieri illius poſſit, niſi per uerbi, eſt medium rur-
ſus, quod deductum ab ente commune eſt uerborum omni-
um? Deinceps uero ſubnectit, { Nam ipſum quidem nullum
eſt. } Nullum autem eſſe ens dicit, neque ut ſignificatu carēs,
neque ut æquiuoce prædicatum de rebus: ſed nullum eſt in
D quit, neque uerum, neque falſum. { Adſignificat autem com-
poſitionem quandam quam ſine compoſitis non eſt intelli-
gere. } hoc eſt, pars autem ſit compoſitionis: ut ens eſt dicē-
tis, circa quam compoſitionem uerum falſumq; ſpectatur:
quam quidem compoſitionem ſine compoſitis. i. ſimplici-
bus non eſt contemplari. apertus igitur ſenſus eſt. Adſignifi-
cari autem ab ente compoſitionem, neque ab hoc ſolum, ſed
à qualibet ſimiliter quoque ſimplicium uocum, non eo mo-
do pronunciatum uidetur, quo per uerbum adſignificari
tempus dicebatur, ſed pro eo quod eſt iuxta aliud quodpiā
ſignificare, hoc eſt cuiquam iunctum alii compoſitionē indi-
care iam falſitatis aut ueritatis capacem: qua quidem cōpoſi-
tione priora intelligi oportet ſimplicia. Quòd ſiquis hanc
adſignificādi expoſitionem non admittat, abeat in Alexan-
dri ſententiam, qui per uerba illa. nam ipſum quidem nullū
eſt ac ſequentia de uerbo eſt differere curſus Ariſtotelem di-

A cit poſt interſitum ſermonem de ente: quaſi ne id quidem,
ubi ipſum, per ſe proferatur, ueri quidquam ſignificare aut
falſi queat, atque ipſum eſt uel non eſt (eadem.n. de utroque
ratio habetur) ſi per ſe proferatur ipſum, ueri quidquam ſi-
gnificare quidem uel falſi natura ineptum eſſe dicere: cæte-
rum cum, ut uerba quoque alia, nomen ſit facultatem potiſ-
ſimum quidem obtinere entis communicationis priuatio-
nis'ue ſignificatiuam. ſecundo loco & prædicati cuiuſdam
cum ſubiecto copulationis: quibus additum, & perfectam
orationem facit, & ueritatis indicem ac falſitatis. Nam ſi pro-
xime quoque de ſubiecto, nulloq; prædicetur medio, tunc
poteſtate etiam eſt ipſum, ſimplius cum ente notat comple-
xum, ut Socrates eſt ens. Verbum autem non eſt diuiſionē
deſignat, aut utrunque etiam compoſitionem. Vt.n. in libris
de Anima explicatum eſt, & is qui aliquid non eſſe album di-
cit, ipſum non eſſe album ſubiecto coniunxit. Verum tradita
nobis orationis partium, Nominis inquam & Verbi cōtem-
platione Ariſto. ad compoſitā quoque ex iis deinceps, Ora-
B tionem tranſit, atque ait.

DE ENVNTIATIVA ORATIONE.

XI.

ORatio uox ex ſignificatiua cuius ex partibus aliqua ſeparata ſignificat ut Dictio: uerum non ut Affirmatio. Homo uerbi cauſa ſignificat quidem aliquid: non tamen eſſe aut non eſſe. ſed erit Affirmatio uel negatio ſiquid fuerit additum. uerum non una hominis ſyllaba. neque enim in ſorex rex ſignificat: ſed uox nunc ex duntaxat. In duplicibus uero aliquid ſignificat quidem: at non per ſe, ſicuti diximus.

Quam igitur ob cauſam de Nomine & Verbo locutus
non de Negatione & Affirmatione, poſtea de Enunciatio-
ne, poſtremoq; de oratione diſputet, ut pollicitus à princi-
pio fuerat, ſed de iis docendo pergat contra quam in hu-
C iuſce operis exordio, ipſorum, ut quæ tradi deberent enume-
rationem fecerit, prius dictum eſt. Eorum autem intempera-
tionem molientes quæ aſcita ad proprietatem ſunt Oratio-
nis exprimendā, quod quidē uox, ac ſignificatiua ſit præteri-
mus, ut quæ aperte admodum ſint & in orationis partium
definitionibus iam percepta. Ex compoſitionis autem nunc
omiſſum eſſe arbitramur, tum uelut ex iis notum quæ de no-
mine, ceu quod ex compoſito conſiſtat, prodita ſunt, in Ver-
bo autem tanquam ſimili ſe modo habente ſuper habitum-
tum quaſi paulopoſt opportune addendum poſt confuta-
tum illum qui oppoſitam orationem, hoc eſt non poſitione,
ſed natura eſſe uidetur aſſerere: forſitā uero & perinde qua-
ſi à ſequente differentia comprehendatur Illud autem, { Cu-
ius ex partibus aliqua ſeparata ſignificat, } ſoli articulatæ
adeſt uoci: quæ ex noſtro inſtituto conſtat. At partem ali-
quam habere ſignificatiuam, Orationem à partibus eius per
ſe abſolutis, nomine uerboq; diſtinguit, quoniam illorum
neutrius aliqua ſignificatiua pars erat: partes uero ſignifica-
tiuæ quædam ſunt orationis Nomina inquam & Verba.
D Porro ſignificatiuas eſſe partes orationis ſi per ſe ipſæ ca-
piantur, non ſimpliciter dictum eſt, ſed ex partibus aliquas
ob priuatiuas nimirum particulas inſitas negationibus, arti-
culos, coniunctioneſq;, ut cum homo, inquam, animal eſt:
uel ſedet quidem Socrates, Plato uero ambulat. Nam hæ
partes communius quidem Orationis appellātur: per ſe au-
tem ipſa ſi conſiderentur, ſignificatione uacant. Atq; non hæ
ſolum, ſed Nominum quoq; ac Verborū partes, quæ nihilo-
minus partes eſſe compoſitæ quoq; ex ipſis orationis ui-
dentur ſignificatione omnino carent: ut proditum eſt ſæpe-
numero. Has ob res igitur ſignificatiuā eſſe ex partibus Ora-
tionis aliquam dicit. Significatiuam uero eſſe { Vt dictio:
ſed non ut affirmatio } inquit: quoniam Dictio, ut & ante
docuimus, uox eſt ſimplex, cū ceu pars Enunciatiuæ oratio-
nis capitur. declarat autem in ſequentibus aperte hoc Ariſt.
cum ait, Nomen igitur aut Verbum, dictio tantum ſit: quan-
doquidem

doquidem ei qui ſic uoce quidquam declarat, non ita dicere licet ut enunciet. Quoniam igitur ſignificatiuas quaſdam habet partes omnis Oratio, hæ autem in quibuſdam ſunt Orationibus uoces ſimplices, quas, uelut in propoſitionibus Dictiones uocari monuimus, in aliis Affirmationes integræ, ſiue etiã Negationes ut in oratione dicẽte, Socrates ſedet, & Plato nõ ſedet. Verũ Orationes eæ quarũ partes affirmationes negationes'ue ſunt, dictiones habent etiã ex quibus illæ gignuntur, quæ autem dictiones obtinent nõ affirmationes omnino aut negationes comprehendunt, propterea cum ſignificatiuam eam partẽ quę ſemper eſt in orationibus oſtẽdere Philoſophus uellet, hæc addidit: ne Orationes quaſdam ipſe quæ partes habent affirmationes uel negationes conſpicatus, partes ſic putares Orationis ſignificatiuas eſſe oportere, ut prædicari aliquid uel non prædicari de quoquam ſignificent: ſed opus eſſe intelligeres partem Orationis, quaſi diſtrictem ſolum uel declaratricem naturæ cuiuſquam aut actiones contemplari. Atq; illud fortaſſe quod ex partibus dicit Orationis quaſdam eſſe ſignificatiuas nõ per ſe intelligendum eſt, ad articulorum, coniunctionum, hisq; ſimilium differentiam: ſed totum deinceps legendum, cuiua ex partibus aliqua ſignificat ut dictio quo diſtinguatur à cõpoſitis partibus, ac iam per enunciationẽ prolatis: perinde quaſi ſignificatiuæ partes omnes ſint orationis: ſed aliæ dictionum modo, atque in omni oratione ex neceſsitate ſpectentur aliæ ritu enunciationum, nec conſpici in ſimplicibus orationibus poſſint: ut hæc quoq; locis aliis omnibus conſona ſint Ariſt. & Platonis: in qbus de partibus orationis, ut quæ in nomina ſolum ac uerba diuidantur, præcipiunt. Cæterum admirari minus conuenit, ſi nominum partes atq; uerborum mereri nequaquam arbitremur ut compoſitæ ex ipſis orationis propriè partes nominentur. quippe in omnibus iis quæ exacta perfectaq; ſunt partes ſingulas indicare ex proxima integritate conſueuimus. exiguum uerbi gratia lignum ex nauis deciſum gubernaculo uel carina, horũ partem ipſorum quidem: non tamen ad nauem referentes appellamus eodem & in cæteris modo quæ tum arte tum natura conſiſtunt. Nam ſyllabas nominamus connexiones ſolas elementorum primas nomen aut triſyllabum uocamus uel quadriſyllabum: ceu ſimplex quodlibet ad id referentes quod proxime ex ipſo compoſitum eſt. Præterrea partes nominum & uerborum ſola pronunciatione, non ui ſignificandi partes ipſorũ eſſe cenſueris. ideo prius quoq; pars eorum nulla, ſi abiuncta ſit ſignificatiua eſſe perhibebatur. Quare & orationum partes eſſe atque non eſſe eædem dici potuerunt: ipſa uero nomina & uerba, cum non ſolum pronunciationem, ſed ſignificationem quoque orationi ſua cõpoſitione efficiant, primaq; ſignificatiua obtineant facultatem, partes etiam eſſe orationis primas merito affirmamus. Quamobrem & in Cratylo nomen exiguam eſſe orationis portiunculam prodidit Socrates, id uidelicet, quod communiter de propriè uocato nomine & uerbo prædicantur. Si quis uero quæſierit, quomodo orationem omnem ſignificatiua præditam eſſe cenſeamus particula: tametſi ad Vocatiuam appellatam uel unum nominis unius caſum ſufficere uideamus, ut in Hector, ſoluemus, ſi uocationem uel inuocationem uno etiam per hunc caſum prolato nomine fieri dicamus: non eſſe autem Vocatiuam orationem niſi eam quæ ſic ex pluribus nominibus, aut congeſtis caſibus pronunciatur, ut Atride felix, o fortunate, beate. & o Neſtor Neleiade, atq; his ſimilia, ſi idem non eſt nomen atque oratio. Verumenimuero cum orationis partem ſignificatiuam eſſe ut dictionem, ſed non ut affirmationem dixerit, non etiã neq; negationem, quaſi proſpicuum eſſet, ſubiunxit. quando quidem qui partes orationis non ut affirmationes, ſed ut ſimplices uoces putat conſiderandas, multo minus ſanè illas ut negationes capiendas duxerit: quoniam affirmationem quoq; neceſſe eſt negatione contineri. Hæc uero ipſe interpretando exemplum dictionis capit {Hominem,} propterea ꝙ {Aliquid ſignificat quidem} inquit, {Non tamen eſſe aut nõ eſſe} hoc eſt, non affirmationem uel negationẽ. quo planiore quidem reddendo ſubinde intulit, {Sed erit affirmatio uel negatio ſi quid fuerit additum} uerbum uidelicet uel affirmatum uel negatum. Quare manifeſtum ex his quoq; eſt enunciationis uel partem quæ ſignificatrix eſt, Dictionem, hoc loco Ariſto. propterea ꝙ ſignificet, uocari. Differre aũt à ſimplicibus uocibus orationes ſignificatiuis partibus habendis ſubmonens ait, {Verum non una hominis ſyllaba,} cõmuniter ſubaudito nimirum illo {Significat aliquid.} dictũ eſt.n. homo uerbi cauſa ſignificat quidem aliquid. Illi ergo conſtruendum hoc eſt uerum non una hominis ſyllaba. Hoc uero rurſus probans, uocum unquam ſimpliciũ partes nullius per ſeipſas eſſe ſignificatiuas, probationemq; hic moliens ab eo quod magis uidetur, {Neq; enim in ſorex rex} inquit, {Significat: ſed uox nunc eſt duntaxat.} Hoc autem eſt, quoniam rex per ſe pronunciatum, regni poſſeſſorem notat, cũ autem ceu partem ipſum nominis ſorex acceperis, omnino ſignificatione uacat. ac nunc ſanè quod uelut pars conſideratur, uox eſt ſolummodo, nihil ab una differens earum quæ nequaquã ſignificant. Verum in ſimplicibus quidẽ, ut ſupra quoq; dictum eſt, nominibus ſignificatiuæ partes neutiquã fuerint, ut in homo uel ſorex. Etenim pars huius rex non uelut alii cuiquam iuncta ſorex nomen perfecit: ſed in nomen quod regni dominum indicat forte fortuna incidit. Idcirco ſi ſoricis ut ſimplicis pars capiatur nominis ne uiſione quidem quidquam declarat. Nemo quippe audito Sorex nomine, in regis intelligentiam uenit: quemadmodũ qui Armipotens uel Hircoceruus audiuit, intelligentiæ, non expers manet armorum uel cerui. Sic ergo in ſimplicibus. In duplicibus uero, uult quidem inquit: cæterum nihil deſignat abiuncta, hoc eſt, uidentur quidẽ ſignificatiuæ eſſe partes: quoniã & in iis pronunciandis quædam aperte compoſitio pluriũ uidetur nominũ: quãuis una tum animi cõceptio, tum res ea ſit quæ ex ipſis indicatur: re aũt uera nullius & hæ ſunt ſignificatiuæ, ſi per ſe ipſæ proferantur. Igitur, ut ſummatim explicẽ huiuſmodi erit argumentum, Si quæ per ſe ſignificatiuæ ſunt uoces, ut rex cum aliquorũ nominum partes euaſere, prorſus ubi à ſuis totis demuntur, ſignificatu carent, quid de una ſyllaba hominis putandum eſt, uel partibus aliis nominum, quæ etiam non inſumptæ in nominibus, ſignificatiuæ eſſe nullius uidentur? hæc igitur patent. Ex iis uero quæ tradita hic ſunt Ariſtoteli oportet colligere, non eam ſolum quæ perfectam abſolutamq; ſententiam explet, ſed imperfectam quoque orationem uocandam ab eo cenſeri. nam & illi quæcunque prodita ſunt de oratione conſentiunt.

XII.

Eſt autem ſignificatiua quidem omnis Oratio: non ut inſtrumentum uero: ſed quo modo dictum eſt, ex compoſito. enunciatiua autem non omnis: ſed ea cui uerum competit aut falſum pronunciare: competit autem non omnibus. Deprecatio uerbi cauſa eſt, oratio quidem: ſed neque uera, neq; falſa eſt. Miſſæ igitur aliæ fiant: quippe quarum conſideratio Rhetoricæ magis aut Poeticæ conuenit. at Enunciatiua præſentis eſt contemplationis.

Refellit quendã his uerbis Ariſtoteles ſyllogiſmum, qui non poſitione uidetur orationẽ, ſed natura eſſe demõſtrare. Quonã eſt igitur ſyllogiſmus? Oratio inſtrumentũ eſt uocalis, inquit, in nobis natura exiſtentis facultatis. ea nanq; ut potè quod inſtrumentũ eſt, quæ uolumus inter nos indicamus, omne naturalis facultatis inſtrumentum, & ipſum natura cõſtat: quemadmodum oculi cum nobis inſitæ inſtrumenta uidendi ſint poteſtatis, aures audiendi, atq; alterius pars quæpiam alia, non naturæ ſunt, ſed artis inſtrumenta. ergo natura conſiſtit Oratio, nihil ex noſtri Animi molitione obtinẽs. Duæ itaque cum in ſyllogiſmo ſint propoſitiones aſſumptæ, concedit Ariſto. maiori: quæ inſtrumentum omne naturalis omnis poteſtatis natura eſſe dicit. minorem autem corripit, quæ orationem fatetur eſſe naturalis in nobis facultatis inſtrumentum. Quoduam igitur inſtrumentum ſit uocalis in nobis facultatis aperiendum eſt. quoniam naturalis cũ ſit, eget inſtrumentis quomodo uires aliæ quælibet naturæ. ac quid ergo ipſius exiſtens oratio, poſtquã inſtrumentum nõ eſſe perhibetur, natura non eſt, ſed poſitione. Sunt

itaque facultatis noſtræ uocalis inſtrumenta Pulmo & Arte-
ria illa quã uocant aſperam . hæc quidem ut ſimpliciter uo-
cis . Vi uero articulatæ, quænam ſunt naturalis inſtrumenta
poteſtatis: Lingua, Palatum, atque alia quę ſic uocalia ſeu lo-
cutoria inſtrumenta nuncupantur . Oratio aũt opus erit tali
horum inſtrumentorum motu ab illa effectum. leciceo neq; ut
natura ſit ipſa oratio neceſſe eſt . Nihil.n.prohibet quo mi-
nus perfecta à naturalibus uiribus opera ſint poſitione: quo
pacto in ſaltatione ſeſe res habet . Nam cum naturalis in no-
bis facultas localis motio ſit, ſaltatio quod opus ab ea dema-
nat, poſitione continetur. licet enim ſaltatori, tali uel tali ra-
tione manus mouenti , Achillem uerbi gratia ſignificare, cũ
alterius alias corporis habitu ac geſtu ſpeciem edat, atque
eius accidens quodpiam præ ſe ferat . Ergo quemadmo-
dum loco dimoueri natura comparatum eſt, ſaltare, poſitio-
ne atq; ex cõpoſito, & lignum natura prouenit ianua poſi-
tione conſtruitur: ita uocis formationem quoq; naturæ ac-
ceptam, ſignificationem aũt per nomina ſeu uerba uel con-
flatas ea hiſce orationes , quæ ipſum eſſe ex uoce incondita
& rudi uelut materia obtinent: formã uero à noſtra cogita-
tione ſunt adeptæ, poſitioni nec naturæ referimus . Ac uide-
tur ſanè homo uocifera facultate , quæ animariarum in no-
bis cognoſcendi uel appetendi facultatum inſtrumentũ eſt,
præditus ex natura perinde eſſe ac brutæ animantes. Quòd
aũt ad ſignificandum utatur nominibus aut uerbis aut ex hiſ-
ce conſtitutis orationibus, quæ non amplius natura ſed po-
ſitione ſunt, id præ cæteris quibus ratio deeſt, habere præci-
puum: propterea quoniam ſolus quoque mortalium parti-
ceps eſt eius Animæ quæ ſuapte induſtria mouetur, artificio-
ſeq; agere poteſt, ut & in uoce ipſa edenda uis eius artifex di-
gnoſcatur. hæc autem declarant exornatæ orationes metris
uel ſine metris compoſitæ. Pluribus igitur uerbis demonſtra-
tum eſt tum Orationem , tum eius partes Nomen & Verbũ
ex pacto conſtare . Verum quoniam ipſam inſtrumentum
quoque eſſe affirmamus nominũ uel rerum ſignificationis,
quodnam illud tandem ſit ꝙ ea uelut inſtrumento utatur
dicendum eſt . ac conſtat ſanè cogitatricem eſſe Animam .
C nam ſolius munus huius eſt oratione uti. Cęterum quonam
pacto, cum ea compoſito conſiſtat , inſtrumentum eſſe natu-
ralis facultatis cuiuſquam poſsit, ſi cui propter eam regulam
quæ omne natura eſſe naturalis facultatis inſtrumẽtum mo-
net, mirum eſſe uideatur, rationalem hanc dicemus atque ar-
tificem in nobis uim natura eſſe excellentiorem, ut quæ etiã
ſeparabilem ab omni corpore ſubſtantiam habeat. Hæc au-
tem narrari à nobis quæ uel ipſi placeant Ariſtot. declarant
ea quæ ille ad calcem ſecundi Naturalis auſcultationis pro-
didit uoluminis, nẽpe bruta animalia non ea arte, ſed ex na-
tura agere intellectu orbata: utpotè arte, ex quadã inſita no-
bis ui quæ naturam ſuperet, progrediente. in quibus non ar-
te, ſed natura quadam inquit nidum ſibi fingere hirundinem
araneolam telam contexere. Quid enim referre opus eſt de-
monſtrationes illas , quæ in cõmentatione de Anima Intel-
lectum eſſe probant à corpore ſeparabilem ? Nihil itaque
mirandum eſt, hác agentem naturæ uiribus, illarum quoque
uſurpare inſtrumenta, quæ naturalia ex neceſsitate ſunt , atq;
alia nonnulla ipſa ſibi artificialia parare inſtrumenta ad pro-
D prias actiones obeundas . Quemadmodum igitur tuendo
corpori , hoſtibusq; propulſandis naturalia inſtrumenta fa-
cultatis loco dimouentis, quæ ex natura eſt, manus & pedes
adhibet , adhibet autem & arte fabricata gladium & haſtam,
ſimiliter, & in agricultura, ædificandiq; ratione , ac cæteris tũ
actiuis tum effectiuis functionibus , ſic & in ſignificando uti-
tur quidem Anima naturalibus inſtrumentis uociferæ & lo-
cutoriæ facultatis Pulmone, Lingua, Palato, Dentibus, La-
biis , utitur uero etiam Oratione , eius'ue partibus artificio-
ſeq; fabricatur illas atq; ex compoſito, uelut futura ſignificã-
di inſtrumenta, circaq; naturalem materiã, ideſt, uocem ipſa-
rum generarationem molitur, ut gladii, circa ferrum, circa li-
gnum, gubernaculi. Hactenus cum exhibuerit nobis Ariſtot.
orationis elementa, Nomen inquam & Verbum, atque com-
poſitam ex hiſce dictamq; communiter Orationem, ex qui-
bus omne oritur ſermonis idioma , deinceps ad Enunciati-

A uam accedit orationem , ut ab initio ſtatutum eſt contem-
plandam , quam ſimplicis Orationis quandam eſſe ſpeciem
diximus: quemadmodum Vocatiuam, Optatiuam, Interro-
gatiuam , Imperatiuam : quarum perfecta quæuis eſt ipſaq;
per ſe ſignificatrix abſolutæ ſententiæ. Nam ut hæc, immor-
talis Animus eſt, quicquam indicauit, ſic & uiri iudices & ut
nam philoſopharer , & quando aduениſti & abi ad talem ſi-
gnificatu non carent. Ac nihil alias quidem propoſitæ in-
quit tractationi conuenire : quæ & philoſophica eſt & diale-
ctica Rhetoricæ autem uel Poeticæ propriam de iis eſſe me-
ditationem, quoniam qui utranque ex his colunt, circa ipſas
per ſeipſas orationes uerſantur . Oratores quidem nume-
ris, circuitibus, ac figuris intenti : Grammatici de metris , pri-
marum dictionum uel commiſtarum uel cohærentium figu-
ris, & declinationibus, atq; id genus omnibus ſoliciti. Quin
etiam imitari nonnullos conſueuere qui alios uocent , ali-
quibus imperent , alios de quibuſdam interrogent, uel pre-
centur. Sæpe uero & ex perſona ſua quibuſdam harum fun-
B ctionibus agunt, aiuntq;, Primum quidem o Viri Athenien-
ſes Deos omnes immortales Deasq; oro: uel nam huc mihi
iſtic exurgens reſponde . Qui ergo de his tractant, artibus,
orationesq; ſubiectum in contemplationem habent , conſi-
derent utrum ſolæ hæ præter enunciatiuam ſpecies oratio-
nis habeantur , an & alia quæpiam ſit, atque in finitas ne an
infinitas harum quæuis diuidatur. magis uero qualibus fini-
tis numeris progreſſus pro quauis illarum ab uno fiat in in-
finitum . Nam hoc ut diſſeruit in Philebo Socrates, de ſub-
iectis ſibi rebus contemplari quenque artificem decet. Hoc
autem munus eſſe Rhetoricæ uidetur, aut Poeticæ , non ex
ſeſe , ſed eius quæ communiter ars uocatur Orationum : de
qua Plato nos apprime diuinus in Phædro poſt palinodiã
docuit: cuius eſt tum Poeticæ principia, tum Rhetoricæ in-
ſpicere. Ad præſentem tractatum uero ſolam inquit oratio-
nis enunciatiuæ meditationem pertinere : quoniam princi-
pia tradere demonſtratiuæ ſcientiæ propoſuimus . qui au-
tem de his agit , hunc opus eſt in alia ſpecie nulla orationis
negocium ſibi, præter Enunciatiuam, faceſſere , quam com-
C prehenſam ad demonſtrationem, neceſſariamq; ad eam aſſe-
quendam ſoli contemplari philoſopho conuenit, qua ſola
licet exactè cognoſcere rerum naturam . cum enim duobus
modis, ut Theophraſtus explicauit Philoſophus , ad aliud
ſeſe habeat oratio , tum ad audientes : quibus aliquid etiam
indicat : tum ad res de quibus dicenti auditores ad creden-
dum ducere propoſitum eſt, uerſantur circa eum ipſius ha-
bitum qui ad audientes pertinet Poetica & Rhetorica, quo-
niam illarum eſt elegantiora ſeligere nomina: non cõmunia
atque uulgata, concinneq; hæc inuicè cõnectere adeo, ut his
atque hæc ſequentibus, ut perſpicuitate, dulcedine, aliisq; ge-
neribus, prolixitate item & breuitate orationis , ubi tempe-
ſtiue adhibeantur omnia , ducat auditorem , ac ſtupore affi-
ciat , ſuadæq; mancipatum poſsideat . Eius uero reſpectus
orationis qua res exiguntur curam potiſsimum geret Phi-
loſophus, tum falſum confutando, tum uerum demonſtran-
do, quorum utroque enunciationem controuerſam quan-
dam inſtituit euidentibus Enunciationibus concludere.
Porrò enunciatiua hæc ipſa oratio cum ſpeciebus aliis ora-
D tionibus omnibus eo conſentiat ꝙ ſignificatrix ſit , quam
obtineat naturam , ac quo pacto à ſpeciebus aliis differat
orationis tradit ante hæc nobis Ariſtoteles . { Enunciatiua
autem (inquiens,) Non omnis: ſed ea cui uerum compe-
tit aut falſum pronunciare.} Ac ſciendum ſanè eſt enuncia-
tiuæ orationis definitionem per hæc nobis ab illo exhiberi
nihil, ut de iis præcipiat , affirmationem ſibi ac negationem
poſtulante, quod facere cum infra uiſus fuerit nonnullis, an-
ſam illis præbuit, ut Enunciationem in affirmationem nega-
tionemq; diuidi, ut æquiuoce uoces in ſignificata, non ut ge-
nera in ſpecies ſuſpicarentur. tametſi quænam communem
naturam nullam ſignificantis uocis æquiuocæ eſſe queat de-
finitio ? Quod ſi in affirmationis quoque definitionem
ac negationis confertur Enunciatio: cum affirmatio quidem
enunciatio eſſe alicuius de aliquo , Negatio autem enun-
ciatio alicuius ab aliquo dicetur, quomodo Enunciatio nõ
genus

genus ambarum eſſe clariſſime dilucet: cum ad complen
das definitiones æquiuocę nunquam uoces aſciſcantur. Qua
propter præfinitionibus de Enunciatiua ſpecie orationis,
de qua deinceps docebit potiſsimũ, ſpecierum eius Affirma
tionis ac Negationis contemplatione connectit: cum ait.

XIII.

Eſt autem una prima oratio Enunciatiua Affirmatio: deinde negatio: cæteræ omnes coniunctione una.

Quibus uerbis duplicem eſſe orationem unitatem dicit
alteram ipſa ui per ſe, uelut ſuapte ipſis natura inſitam, ut
in hac Socrates ambulat alteram poſitione quadam deforis
ipſis à uocata ob id ipſum coniunctione adhibitam: ut in
hac Socrates ſedet, & Plato ambulat. Nam hæ orationes
quæ manifeſto duæ ſunt, nimirũ hæc Socrates ſedet & hæc
Plato ambulat iniecta in medium: Et coniunctio uelut collie
gare atq; unire ſuo interuentu uiſa eſt: Habent ſeſe eodem
pacto & orationes eæ omnes quæ ſuppoſitiuæ nominãtur:
pluribus enim conſtat & illæ ſimplicibus orationibus, cæte
rum à cõtinuatiua uocata coniunctione uniuntur: ut Si dies
eſt, ſol eſt ſuper terram. Nam rurſus orationes, quæ duæ
ſunt: nempe hæc Dies eſt & hæc Sol eſt ſuper terram, ſi con
tinuatiua ferruminans coniunctio unitatis imaginẽ ac unio
nem perficit. Eſtq; talium unitas orationum non unius in
dex ſubſtantiæ (nam multa plane ab iis ſignificantur) ſed
unius ſubſtantiarum quas ſignificant cõſequentiæ, aut unius
diremptionis, uelut in orationibus iis quæ per diſiunctionẽ
efferuntur: ut aut eſt dies, aut eſt nox. Ideo & oratio illa quę
ſubſtantiam unam declarat, unaq; proprie eſt, poteſt nondũ
ſecto ligno, atq; ob id uno uocato proportione conferri,
quæ plures indicat ſubſtantias, atq; coniunctione quadã uni
ta eſſe quodam pacto uidetur: naui, quæ ea multis conſtãs
lignis apparentem unitatem a clauis obtinet, proportione
conuenire. Eius autem orationis quæ proprie una eſt, eaq;
de re natura prior, nec ipſum unum coniunctione habet, al
tera quædam eſt affirmatio, altera Negatio. Eſt & quædam
Affirmationis à Negatione differentia, non penes ipſum
unum: quandoquidem una ſimiliter harum utraq; eſt ora
tionum: nullo extrinſecus ad unitatem egens adminiculo:
ſed penes primum. ſi quidem non prima ſimiliter oratio ha
rum utraq; eſt: ſed ſimplicitate dictionis prior affirmatio ne
gatione, quoniam negatiua aſſumpta particula fit negatio.
quod autem additionem capit antegreſſum eſſe illi neceſſe
eſt quod ex additione perficitur. Hanc ob rem itaque &
Ariſt. unam ſic primam Orationem enunciatiuam eſſe affir
mationem dixit: deinde Negationem, aduerbiumq; perinde
non de una, ſed de prima pronunciat. Ob id ipſum uero ra
tioni conſentanea uidetur Aphrodiſiei ſententia de Enuncia
tione, quæ genus ipſam Affirmationis eſſe ac Negationis
nequaquam permittit. quomodo enim illorum in quibus
primum eſt & ſecundum, genus id erit quod de ipſis prædi
catur communiter? An hunc obtinent ordinem non eo quod
ſint Enunciationes. nam earum pariter utraq; falſitatis capax
eſt ac ueritatis, ſed ea accidente quodam extrinſecus, hoc eſt
ſimplicitate dictionum. Parere autem proditæ regulæ tunc
fatemur locum, cum ex eo ipſo quod communiter prædi
catur, ſubiecta illi primum ſecundumq; obtinent. hoc igitur
pluribus locis abunde demonſtratum eſt. Hic uero enuncia
tionem communiter de affirmatione prædicantes ac nega
tione, non affirmationem enunciationem primam eſſe, nega
tionem autem, ſecundam enunciationem fatemur: ſed pri
mum & ſecundum, ut explicuimus, ad dictionum ſimplici
tatem intelligendum eſt. Cæterum cum affirmet Ariſto. ora
tionum quamlibet Enunciatiuarum, ubi ab affirmatione di
ſceſſeris ac negatione prorſus coniunctione eſſe unam, ita
rogauerit quiſpiam, quid de ea dicemus oratione quæ ſu
per terram ſole exiſtente, dies eſt inquit: neq; enim ſimplex
hæc eſt oratio: neq; coniunctione uidetur ad unitatẽ eguiſ
ſe. Cui reſpondendum, fieri quidem nequaquam poſſe ut
abſolutæ Enunciationes duæ ſine coniunctione actu acce
pta, ad orationem unam faciendam inuicem coeant. Nam

A hæc Sol ſuper terram eſt cum ſit abſoluta, huic Dies eſt abſo
ſolutæ & ipſi quidem, quomodo ſine continuatiua poſsit
coniunctione admiſceri? At ſæpe antecedentem propoſitio
nem ſimul cum coniunctione, ſic concinne immutamus, ut
ipſa per ſe ad enunciationem ſufficere non amplius queat:
coniunctionem autem, uel tantundem in hoc ualens, con
iunctioni aduerbium poteſtate comprehendat: ac cum ſe
quente quæ perfecta etiam manſit propoſitione coaleſcat:
ut habet res ſeſe in propoſito quoq; exemplo. Nam hoc
Exiſtente ſuper terram ſole, imperfectũ impoſq; eſt ad enun
ciationem, aduerbium autem quando uel Si continuatiuam
coniunctionem poteſtate continet. idemq; illi ſonat quan
do ſol eſt ſuper terram eſt, uel ſi Sol eſt ſuper terram: quocũ
utrunq; propter coniunctionis aduerbiiue adiectionem im
perfectum infirmumq; eſt ad propoſitam enunciationẽ ſta
tuendam: non ſecus atque id quod poteſtate hæc in ſeipſo
complectitur, ut Sole ſuper terram exiſtente. quo etiam fit
ut cum conſequente, quod eſt dies eſt perinde atque illa co
agmentari poſsit.

B

XIIII.

Neceſſe eſt porrò Enunciatiuam orationem omnem ex uerbo, aut caſu uerbi conſtare. Etenim Hominis ratio, niſi, eſt, additum uerbum, uel, fuit, uel erit, aut id genus aliquod fuerit nondum enunciatiua eſt oratio, propterea quoniam unum quoddam eſt & non multa Animal greßile bipes. Haud enim ſanè ex eo quod prolata propè hæc inter ſe ſint, una erit. Sed hoc explicare alterius eſt commentationis.

Cum de Enunciatiua oratione diſputare, eiusq; ſpecie
bus Affirmatione ac Negatione inſtituerit, quoniam ex his
utraq; quoddam prædicatum, ac ſubiectum quoddam ha
bet, quorum quandam tradit nobis differentiam ad articu
latam illorum declarationem quæ deinceps uenturi dicen
da ſibi uſui futuram. At enim neceſſe omnino eſſe prædica
tum terminum in propoſitione uel uerbum eſſe uel caſum
uerbi. forte uero aliquando & infinitum uerbum: quemad
C modum in Negationibus. id quod uidetur cum uerbo, per
hæc comprehendiſſe Ariſtot. aut tanquam de Affirmatio
ne in primis differens omiſiſſe Subiectum uero non nomẽ
prorſus: uel caſum nominis uel nomen infinitum, ſed inter
dum quoq; orationem ex pluribus conſiſtentem nomini
bus. Nam cum Socrates, inquam, ualet Socrates ualuit exi
ſtente ſubiecto in iis nomina, prædicatum alias uerbum eſt,
alias uerba caſus. At cum dico, Socrates eſt, Socratem pœ
nitet, non Socrates currit, Socrates animal rationale morta
le, eſt ſubiectum in iis non nomen ſolum, aut caſus eſt nomi
nis: ſed quandoq; & infinitum nomen: quandoque uero ex
pluribus nominibus conſtans oratio. Verum hæc haud ita
planè ab Ariſto. explicantur ob elocutionis breuitatem. Cũ
enim de prædicato aperte pronunciauerit, de ſubiecto in
nuit duntaxat inquiens. {Etenim hominis ratio niſi eſt addi
tum uerbum aut non eſt, uel fuit uel erit, aut id genus aliqd
fuerit, nondum enunciatiua eſt oratio.} Sed quamobrem de
prædicato quidem diſſeritur his uerbis, quaſi non Sine hoc
D conſtare queat propoſitio, de ſubiecto autem non ſimile ad
ditur, tametſi horum utroq; propoſitio ſimiliter egeat, cum
hæc prodita etiam ſupra iam ſint, ubi neq; nomen, quãuis
compoſitum, ſine uerbo, neque uerbum ſine ſubiecto quo
piam dicebatur, uerum aliquod poſſe uel falſum indicare
ut in concluſione de uerbo didicimus. Licet ergo quæ Por
phyrius Philoſophus adducit quæſtionem hanc arceſſen
tibus reſpondere, ad Enunciationis exiſtentiam, uel exiſtendi
priuationem indicandam, in Prædicatiua ſpecie enunciatiu
uæ orationis principatum maxime prædicato deberi. eoq;
fieri ut inde etiam tota oratio Prædicatiua nominetur priua
tiuamq; in negationibus particulam huic uelut potiori ad
damus: ut affirmatione per præſtantioris in ipſa particulæ
abolitionem ſublata, fiat negatio. atq; eam ob cauſam de
parte hac ſola ſermonem hoc loco Ariſtoteli fieri: deinde
quaſi conſtare ſine hac Enunciatio non poſsit. Fortasſis ue
ro propoſito ſenſui magis hæc ratio cohæreat ſi ubi de no

mine ſermo erat, monitum ab eo dicamus, qualecunq; fuerit id ſumptum, nequaquam ſine uerbo conficiendæ Enunciationi poſſe ſufficere. (Etenim ſignificat quidē (inquit, Hircoceruus aliquid: nondū tñ uerū quidquā aut falſum: niſi eſſe aut nō eſſe adiectū uel ſimpliciter uel pro tempoře fuerit.) Et rurſus ubi de uerbo diſputabat eadem de hoc quoq; memorantem ad Enunciationem cōſtituendam ipſum ſi per ſe proferatur, non ſatis eſſe affirmare. Ibi uero non etiam addiſtum eſſe, ſine nomine: quandoquidem propter eos propoſitiones quæ ſubiectis utuntur orationibus ſermo ex ſeſe coargueretur: ſed ſolum & aliud quoddam requiri, cui appoſitum uel compoſitum uerbum ſignificantem eſſe uel nō eſſe Enunciationem eſſet facturū. At in iis quæ poſt illa ſunt tradita, cum de oratione diſſerens, uocem ſignificatiuam eſſe eam dixerit, partemq; ſignificātem habere, quod cōmuniter perfectis imperfectisq; Orationibus ineſſe perhibebamus; tranſiueritq; ad Enunciationis eiusq; ſpecierum contemplationem, quaſi ueritus nequis à Finitiuis orationibus, ut quæ ex pluribus compoſitæ ſignificatricesq; ſunt unius naturæ, fieri poſſe Enunciationē putauerit, iccirco hæc nunc adducere: de quibus nihil adhuc uidetur diſputaſſe. Cæterum cum in his omnino meminit definitionum. hæ autem ex pluribus nominibus circa eiuſdem rei ſubſtantiam diuerſantibus cōpoſitæ ſint orationes, quæ hanc ob rem quoq; una ſingulæ ſunt: huius autem ſpeculaminis meditatio multam cōmentationem poſtulet, ut quando ex congeſtis nominibus una ſignificetur ſubſtantia, unaq; ex ipſis perficiatur oratio: quādo uero non una intelligatur, harum rerum traditionem ad abſolutionem quandam facultatem reiicit, quæ ea quæ ſunt conſiderare quatenus ſunt profitetur. Quamobrem de hoc lōga ſerie orationis in Metaphyſicæ aget tum ſeptimo tum octauo uolumine: genus affirmās in definitione (ut quæ illic traduntur ſummatim perſtringamus) materiæ ratione eſſe præditum. Differentiam uero, poſtremamq; potiſſimum ac ſoli definiendæ rei congruentē, propriç ſpecificam fieri perfectricemq; materię: cui ut uniatur, alterius nullius egere adiumento. Non enim eum ſeiunctio quodam unionē obtinet, per ſeq; ipſum ſubſiſtente. ſed eſt forma, proximæ quædam materiæ diſpoſitio: uniuerſalis nimirū atq; intelligibilis forma eius materiæ quç intelligibilis appellatur, quod perinde eſt ac ſi eius dixeris quæ generalius capitur: ſenſibilis autem ſingularisq; forma illius materiæ quæ ſecundum formam ipſam diſponi natura comparata eſt. Has ob res itaq; & finitiua Oratio una, non ex diſcretis prius, deinde congreſsis inter ſe conſtans proprietatibus: & ſingularium rerū una quçlibet eſt. ſic enim affecta res ſeſe habeat oportet quæ nō ſine propria affectione ſubſiſtit: ut in æneo globo. neq; animo quiſquam complecti affectam rem poteſt quin & affectionē conceperit. Quod igitur finitiuam orationem unā facit, atq; ipſam rem quoq; definiendam, id docet in libris illis. Quā autem minus circunſpecte quiſpiam unius efficiēdæ orationis cauſam reddidiſſet, nempe quæ ipſam complent nomina deinceps inter ſeſe non medio intercepta ſilentio proferri, hāc uelut fatuam explodit: atq; {Haud enim ſanè (inquit) Ex eo quod prolata prope hęc inter ſe ſint una erit,} Quippe in ea quidem Oratione quæ una dicitur, nomina ex quibus conſtat illa, deinceps uoce non interquieſcente efferri oportet: ceu cum ipſum per ſe proferimus quodlibet, nec finitionem dicimus: ſed nec propoſitionem unam facimus inferendo cōmuniter omnibus uerbo, uerum totidem quot ea quoq; quæ in diſiuncta enumeratione exprimuntur nomina, ut animal: deinde rationale: deinde mortale: eſt. nā & uerbum eſt cuiq; ſubaudiri uidebit: attamen ſatis nō eſt quæuis nomina inter ſe deinceps nullaq; intermiſsione pronunciare ut orationem unam facias uel finitiuā uel Enunciatiuā. Cum enim uel ſolas ſubſtantias quç coaleſcere nequeunt, ut ſpecies uel indiuidua, uel ſola accidentia ſignificauerint, una ex iis nunquam fiet oratio: uelut cum Homo, bos, equus, dico: uel Socrates, Plato, Alcibiades, uel Philoſophus ſimus caluus ambulat, propterea quoniam cohçreſcunt ſubſtantiis accidentia, ut quæ in ſubiectis ipſis ſubſiſtere natura uoluit, non autem uel ſpecie uel numero diſcretæ inuicem ſubſtan-

A tiæ, neq; item accidētia, quorum ne ſubſiſtere quidem abſq; ſubiectis poteſt ullum. quamobrē neceſſe quoq; eſt aliquis ſupradictis ſubaudiri infinitum nomen, quod ſubiecti uicem ſuppleat, totamq; orationē aut falſam eſſe, aut uerā faciat.

XV.

Quae autem Enunciatiua eſt oratio quæ uel unum ſignificat: uel coniunctione eſt una. Plures quæ plura: & non unum: uel quæ uacant coniunctione.

Cum ſimplicium Enunciatiuarum orationum diuiſionē in primam ac ſecundam tradiderit, docueritq; affirmatiuam ſpeciem negatiuæ antecedere, nunc oppoſitionem addit illarum qua unum multitudini confertur, aliam nimirum ab ea qua primum poſteriori aduerſatur. Haud enim ignorandum eſt cū duo hæc Dictio Significatioq; in omni Oratione ex neceſsitate ſpectentur, circa dictionem duas conſiderari unius orationis differentias, alteram ſimplicis ex pluribusq;
B ſimplicibus orationibus compoſiti, alteram primi & ſecūdi, quæ in ſimplicibus habetur potiſsimum atq; horum cauſa in compoſitis, ex qualitate uidelicet propoſitionum, affirmatiuo inquam & negatiuo huiuſmodi ordine prodeunte. Circa ſignificationem uero unam, quæ eſt unius multitudinisq; ſignificatorum. Ex iis ergo quæ circa dictionem oppoſitiones uiſuntur, cum unā, quæ prioris poſteriorisq; eſt, per ſupradicta tradiderit, ubi dicebat. Eſt autem una prima Oratio enunciatiua Affirmatio, deinde Negatio, tum has ſolas orationes eas eſſe docuerit quas unius appellatione dignas arbitremur, cum ſubdidit, cæteræ omnes coniunctione una, hoc eſt non proprie, non etiam tamen addiderit, has quæ unum coniunctione habere orationes dicūtur, ex ſimplici affirmatione eſſe ac ſimplici negatione cōpoſitas. quibus ſanè uerbis differentiam quoq; penes ſimplex & compoſitum Enunciatiuarum orationum tradidiſſet, ſed hoc in aliud tempus differens in his diſcretionem à ſignificatis nobis apponit il-
C larum, quæ alteram orationem unam & uere & quo ad appareat facit, alteram unam quidem ut apparet, re uera autē plures, pauloposť uero & oppoſitionem earū planè adiiciet quæ ſimplici & compoſito ex pluribus ſimplicibus orationibus cōtinetur. Quoniam igitur pacto à ſignificatis unam orationem ac multas diiudicamus ſubi uterq; inquit, Terminus qui propoſitionem complet, unius cuiuſquam eſt naturæ index, unam eſſe hanc cenſemus propoſitionem, tametſi integram finitionem pro nomine uel ſubiectum, uel prædicatum, uel etiam utrunq; acceperis, uti cum inquam Animal rationale mortale ſubſtantia animata ſenſu prædita eſt. cum autē res plures terminus uterlibet ſignificauerit, multas eſſe propoſitiones has totidemq; affirmamus, quotus eſt ſignificatorum numerus, quāuis hæc uno nomine indicentur. Nā quando Aiaa, dicimus, cum Hectore depugnauit ſingulari certamine neque de utronam loquamur Aiace definimus, quomodo unam hanc quiſquam mentis compos propoſitionem appellauerit: quam ſimul cernimus & falſum & uerum fateri? atq; id quonam pacto eueniat, non eſt obſcurū.
D Cum igitur à ſignificatis hanc nobis hoc loco quæ in propoſitionis ſpectatur differentiam tradat, unam eſſe orationē ait Enunciatiuam proprie quidem eam, quæ unum ſignificat: ſecundo loco & illam quæ unum dicitur coniunctione habere. plures autem quæ plura indicant, nec unum, uel quæ coniunctione uacant. Atque in his coniunctione unam orationem audias, non eam quæ aduentitiam unionem in ſolis dictionibus propter coniunctionem obtinet: perinde atque manipulus qui propter uinculū multa cohibens olera unus eſſe perhibetur: ceu cum ſed & Socrates & Alcibiades, ambulat dicimus: uel Socrates ſedet & Alcibiades ſedet, uel ſedet Socrates & Alcibiades. omnes enim quç ſic pronunciātur pluresq; ſunt, in ſola dictione apparentem unionē poſsident coniunctionis beneficio, ſed eas quæ in hypotheticis, quos uocant, ſyllogiſmis per connexionem uel diſiunctionem appellatam aſſumūtur: ut ſi Deus bonus, uniuerſum eſt ſempiternum & uel ſempiternum eſt uniuerſum, uel generationi obnoxium. nam & hæ plures cum ſint, nonnullç in dictione à cōnnexiua coniunctione appellata, quædā à diſiunctiua

ctiua colligantur. Sed plus quiddam habẽt ſupradictis, quod rerum quæ in ipſas conſeruntur uel conſequentiam uel ſeparationem declarãt. Ipſum hoc ergo unum quoddã quod ab iis ſignificatur, hæc rerum ſequela uel ſeparatio eſt. Itaq; hac de cauſa dicendum eſt has ſecundo loco unum habere ab Ariſto. pronunciari, poſt eas quæ de uno ſubiecto unum quodpiam prædicatũ deſignant: ut ſit ſenſus, unã eſſe Enunciatiuam orationem aut quæ unum de uno affirmatiue prædicat uel negatiue: atque ob id prædicatiua nominatur, aut quæ cohærentiam indicat duarum eſſentiarum, ſeu per conſequentiam, ſeu per diſtinctionem eam quam coniunctiones hanc uim obtinentes referunt: dictũq; uel quo exiſtente quid ſit, uel non ſit non exiſtente: atque ideirco hypothetica nuncupatur. Eas uero quę in ſola dictione acquiſititiam unionẽ præ ſe ferunt, ſuntq; ſeiunctarum eſſentiarum ſignificatiuæ, nec ullum earum conſenſum indicant, nullo pacto exiſtimãdum eſt in his eſſe comprehenſas: & ſi copulatiuis ut nocãt coniunctionibus cõtinuandæ dictionis gratia uterẽtur. Quæ enim ratio ſit non ſuſtinere orationem illam quæ terminum alterum æquiuocum habeat, propter ſignificatorum multitudinem unam uocare, quãuis dictione ſimplicem, ei uero quæ compoſitionem in dictione proſpicuam obtinet, prorſusq; ab eo uno quod eſt ex natura excidit, plus quidquam in hoc ipſo quam illi tribuere: quod eſt eam unius appellatione dignam arbitrari? Cæterum cum plures eſſe orationes eas prodiderit quæ plura ſignificẽt {Et non unum} indicit, earum cauſa quę de quopiam enunciant uniuerſali. Nam ſignificant quidem & illę res plures ſub en uniuerſalia de quibus loquuntur relatas. præ multis autem unam naturam de illis prædicatam omnibus, qua propoſitio quoque una efficitur: quæ aliquid de hoc uniuerſali prædicat. At uoces æquiuocæ multarum duntaxat ſignificatiuæ ſunt rerum: nullius uero quod ſit in ipſis commune, ſiquidem nec uoces eſſent æquiuocæ. Poſſumus etiam ut Porphyrius Philoſophus exponit, {Plura, & non unum} tanquã ad propoſitionũ earum diſcretionem dicta eſſe intelligere quæ definitione ſubiecto uel prædicato utuntur. quando quidem uidentur & illæ plura indicare: uelut quæ dicit Animal rationale mortale ambulat ipſum animal ipſum rationale ipſum mortale ambulat, ſed hæc ſunt aſcita ad unũ quoddam circunſcribendũ quod ea ipſis conſtit. ideo unam eſſe propoſitionem hãc dicimus: Si qua autem uel æquiuocum alterũ terminum habeat propoſitio, uel & actu multa corroget nomina, nec res complicari inuicem poſſint, ut Socrates, Plato, Alcibiades ambulat uel Socrates ambulat, diſputat, caleſcit hæ plures tantummodo: quoniam & ſignificatæ res multę duntaxat ſunt, neq; complere unam quampiam rei poſſunt naturam. Sed quonam pacto Ariſto. iis quę multa ſignificant enumerãdis orationibus, ſolas tum eas quæ æquiuocum terminum quempiam obtinent, tum inconiunctas accepit. quarum inter neutras illis dabitur locus quæ unionem penes dictioné ſolam per coniunctiones poſſident? An has quoq; dicendum eſt ea earum numero cenſeri quæ plura nec unum ſignificant. non etiam tamen propter æquiuocationem, ſed q̃ in dictione ſint plures actu qui res diuerſas indicent termini. Quòd ſi qui unum ipſis non per ſe, ſed per collationẽ ad inconiunctas tribuendum putent, ſciant ii ſeſe à ſignificatu rurſum ad dictiones delabi. Coniunctione autem uacantes orationes eas uidelicet nominauerit, quæ ne unionem quidem habẽt ex coniunctione apparentem: ut dies eſt, lux eſt, dies nõ eſt, nox eſt. uel rurſus Socrates ſedet, ambulat Alcibiades. in his nãque omnibus neque una conſequentia, neque ulla disiunctio neque acquiſititia. ergo quæpiam unio quod ad dictionem attinet, repræſentatur.

XVI.

Nomen igitur aut Verbum Dictio tantum ſit. quandoquidem eum qui ſic uoce quidquã declarat nõ ita dicere licet ut enunciet, ſiue quoquam interrogante, ſiue non: ſed ipſum ſpõte ſua uolentẽ,

De enunciatione & Affirmatione & negatione, præterea & Contradictione, ſiue, ut Græcis utar nominibus de Apophanſi & Cataphaſi & Apophaſi, præterea & Antiphaſi per

A ſequentia docturus, quoniam in iis omnibus phaſeos hoc eſt dictionis nomen adhibetur, ob id merito priuſquam de illis præcipiat, notionem phaſeos exponit, atq; hanc inquit nomina eſſe uel uerba ut quæ partes Enunciatiuę orationis capiuntur: planeq́; id ita ſe habere declarauit, cauſa protinus phaſeos nominis ſubiuncta. Quoniam enim aliquid quidẽ inquit horum utrunq;, non tamen uerum aut falſum notat, eam ob rem phaſis quaſi aliquid ſignificãs ac phænon, id eſt oſtendens nominari merito poſſit, non tamen Enunciatio: quaſi neutrum eorum declaret quæ prorſus ab Enunciatione indicãtur, uerum inquam aut falſum. Hoc autem, nempe apo præpoſitionem phaſeos uocabulo adiunctam eſſe in nomine uel uerbo neqoaquã oportere, palam fecit his uerbis. {Dictio tantum ſit.} Deinde amborum ſimul cauſas reddidit cur phaſeos ipſis conueniat nomen, apophanſeos nõ conueniat. cum ait, {Quandoquidem ei qui ſic uoce quidquam declarat.} & quæ hæc ſequuntur. hoc eſt, quandoqui-
B dem & ſi ſignificatiuam quarundam rerum uim habeant, horum tamen ipſum per ſeſe utrunque nullius Enunciationis eſt effectiuum. Dehinc modos apponit quibus enunciare cõſueuimus: ſignificatq́; per eos nihil nominibus aut uerbis cõgruere Enunciationis nomen: ſi cum duo ſint modi quorũ altero enunciare eſt neceſſe, neutro illorum nomen aut uerbum proferentes enunciamus: ut poſt hac explicabimus. Diſcreuit igitur inter tractatus initia ab Enunciatione nomina & uerba, ab Enunciationis eſſentia nimirum ſumpto argumento, cum nihil hæc ueri uel falſi indicent: quod proprium eſt Enunciationis. In his uero ab iis modis quibus enunciatiuas orationes uſurpamus ipſa diſtinguere rurſus aggreditur. Quoniam enim uel ab aliquo interrogati, atq; interrogationi occurrẽtes enunciamus, uel nullo etiam rogante aliis ipſi ſententiam noſtram aperire uolumus: qui autem nomen aut uerbum protulerit horum modorum neutro enunciat, utiq; hæc diuerſa eſſe ab Enunciatione perſpectum eſt. Ipſis itaq; per ſe proferendis nominibus aut uerbis nemine interrogante nequaquã à nobis enunciari ſæpe pro-
C ditum eſt. Sed neque fieri poteſt ut nos ad interrogationem per hæc reſpondentes uerum quodpiam aut falſum prodamus, quanquã id ſuſpicari aliquis poſſit. Siquis enim quodnam huic nomẽ ſit rogauerit, ac Socrates dixerimus: uerum quoddam aut falſum deſignauimus. & quid faciat Socrates interrogati, ſi ambulat reſponderimus, aliquid ueri declaramus aut falſi. Sed, quod in iis quoq; exponẽdis quæ de Verbo prodita ſunt diſſeruimus, interrogationis ad reſpõſionẽ complicatio, cum abſolutam fecerit enunciationem, uerum falſum'ue ſignificauit, cum interrogatio neq; nomine re uera, neque uerbo cõtineatur, ſed horum alterum quidem depoſcat non penes hæc tamen prolata fuerit. neque enim in interrogatione aut nomen aut uerbum licet proferre. Hoc autem ita ſe habere, diſcerte ab iis enũciationibus poſſumus quæ in interrgatione proferuntur, quarum exemplo nominum quoq; ac uerborum interrogationes ſi omnino ſint cepiſſe propoſitum eſt. Affirmationem nãque interrogantes dicemus nunquid immortalis Animus eſt? & negationẽ ſimiliter, an non eſt immortalis Animus? Ergo ſi per ſe quoq;
D proferri in interrogatione poſſet nomen, dicere nos oporteret, nunquid uerbi gratia homo? nunquid animal? ſimiliter & in uerbo, num currit? at horum quodlibet ſenſu caret. Quod ſi nunquid lauabor? ſenſu non uacat, profecto planè dilucet non ſolum uerbi, ſed totius poteſtate affirmationis quæ eſt nunquid ego lauabor? interrogationem eſſe. eadem & in iis omnibus ratio eſt quę de perſona dicuntur finita ac certa. Cum igitur Phaſin Dictionem'ue aliud quiddam eſſe ab Enunciatione ſiue Apophanſi fuerit oſtenſum, non eius etiam à Cataphaſi Ariſto. uel Apophaſi, uel Antiphaſi, hoc eſt Affirmatione uel Negatione, uel contradictione, differẽtiam adiecit, ut quẽadmodũ ſit proſpicua. quod enim prorſus non eſt Enunciatio quomodo Affirmatio aut Negatio unquam fuerit, quarum utraq; Enunciatio eſt? & quod non eſt Affirmatio, uel Negatio, neque in illas diuiditur, quomodo contradictio eſſe poſſit: quæ totum quiddam eſt: compoſitionemq́; ex his partibus obtinet: illud tamen de Enun-

ciatione, ꝙ aliud ſit ab ea quã nunc Dictionem uocant, cum eationem aliquam poſtulet, merito exploratum eſt à Philoſopho tum prius à notione eſſentiali Enunciationis ſũ nunc à noſtro uſu: ut recitauimus. Conſtat autem uerbum, { Sit } in dictione illa Nomen igitur aut Verbum Dictio tantũ ſit nominis dictionis id eſt phaſeos, poſitionem in ſimplicibus, quod dicebamus, propoſitionum uocibus Ariſto. eſſe indicat, ſiquidem & ante Ariſto. Timæus apud Platonẽ dictionis ſeu phaſeos nomine utitur: ſed in ſolis iis quæ quouis modo prædicantur. Materiatas igitur formas, cum ſubſiſtentiam in generatione interituq́ obtineant, fugere, propter aſſiduam fluxionem dicit: neque uel eam demonſtrationẽ expectare quę hoc & huius & huic pronomine deſignetur: uel dictionẽ q̃ de iis tanq̃ de exiſtentibus & ſtabilibus habeatur.

X V I I.

Harum autem altera eſt ſimplex Enunciatio: ut aliquid de aliquo: uel à quopiam aliquid. Altera ex his conſtans: ut compoſita, tam quædam Oratio. Atque ſimplex Enũciatio uox eſt quæ ineſſe aliquid ſignificat, uel non ineſſe: prout diſcreta ſunt tempora.

Harum quidem inquit de quibus uel à quopiam interrogati, uel ipſi ſponte noſtra enunciando dicimus, de quibus proxime eſt locutus. Eſſe uero inquit ipſarum alteram ſimplicem Enunciationem, alteram ex pluribus nõ dictionibus, ſed orationibus compoſitam. Orationem autem quæ unum habet coniunctione ſeu prædicatiue, ſeu ſuppoſitiue, ex ſimplicibus Enunciationibus conſtitutam ait, hoc eſt ex duabus affirmationibus uel duabus negationibus, uel ex affirmatione & negatione. Quandoq; uero & orationes deinceps plures abſq; coniunctione proferentes, ut unam eam dicimus quæ ex omnibus conſtituitur: continuitate uel dictionis ſerie coniunctionis uicem gerente, ut quoniam grauiter contumeliam paſſus eſt Alcibiades, bellum intulit patriæ: Achilles iratus eſt Achiuis: Aiax ſeipſum iugulauit, atq; alia queq́; ſine coniunctione enunciare conſueuimus. Interdum etiam plura inter ſe circa coniunctionem cõnectentes nomina, nõ ad unius cuiuſdam ſignificationem complicata, ut in definitionibus, ſed abiunctarũ rerum ſignificatiua, unũ quidpiam de iis prædicamus, atq; orationes quidem omnino pronunciamus multas, ꝙ ſubiecta ſint plura, enumerationem autem quæ iugiter ſit coniunctionis loco accipimus: ut Achilles, Aiax, Diomedes, Gręcorum optimi. Conſpicuumq; eſt orationes multas eſſe illas: quoniam poteſt alia uera eſſe, alia falſa: uelut ſiquis pro horum aliquo, uel etiam præter eos Epeum annumeret. Eadẽ quoq; in iis ratio eſt propoſitionibus quæ plura quædã inconiuncte de uno prędicãt ſubiecto ut Socrates crus fricat, diſputat, delectatur. perinde quaſi quæ cõflatæ ſunt ex pluribus ſimplicioribus orationes, eaq́; de re plures appellantur, aliæ ex actu integris orationibus aut disiunctis, aut deuinctis conſiſtant, aliæ non ex diſcretis orationibus conſtitutæ ſint: ſed uel ex inconiunctis pluribus duntaxat ſubiectis, aut coniunctis uel ex prædicatis, uel etiã ex utriſq;: ut ſi diceremus ambulant diſputantq; Socrates & Plato, aut hæc ipſa ſine coniunctione proferremus. Poſſumus & in ipſis orationibus quæ uocatur ſimplices alio modo multiplicem quandam inuenire ſimplicis compoſitiq; differentiam: non etiam quatenus ex pluribus conſtent aut non conſtent orationibus, ſed pro dictionũ multitudine quę ad ſingularum conſtitutionem ſunt inditæ. Nam uere quidẽ ſimpliciſſima eſt ac prima ea quę ex maxime neceſſariis cõſtat partibus, Nomine inquam & Verbo: haud uero etiam hoc ſenſu proprie ſimplex neque prima quæ hanc quouis additio exuperauit. Iccirco & Affirmatione ſimpliciter in collatione ad Negationem capta, Ariſtote. priorem locum ab Affirmatione obtineri dixit: quáuis tum quod ad unitatem attinet, orationes perinde ſe habeant, niſi æquiuocum terminum nanciſcantur, tum ꝙ ad ſimplicitatem ſpectat, quaſi nõ ex pluribus Orationibus conſiſtant. Quin & in ipſis Affirmationibus multiplex inter ſe diſcrimen reperias, ſimiliter & in Negationibus. Nam quæ ex ſubiecto & prædicato coaleſcunt propoſitiones, ordine eas, ſi ſimplicitatem attẽdas, præcedunt quæ tertium ſibi apprædicatum uendicant: & hæ

A illaa quæ cum modo conſtituuntur. Rurſusq; in iis quæ ex ſubiecto & prædicato concinnãtur finito ſubiecto præditæ priores iis ſunt quę ex infinito cõſiſtunt. Et quæ ſubiecto utuntur nomine: iis quę finitionem loco nominis aſciſcunt. In iis quæ ex tertio apprædicato conſtituuntur, quæ nomen prædicant aut uerbum, iis quæ totam finitionem prædicatũ faciunt: ut hæc, Socrates homo eſt: quam illa, Socrates animal eſt rationale mortale. Atque hæc ob perſpicuitatẽ non multa perpenſione digna ſunt. Quonam autem pacto quæ per hæc dicuntur à paulo ſupra proditis differrent. Vna autem Enunciatiua eſt oratio quæ uel unum ſignificat, uel coniunctione eſt una. Plures quæ plura, & non unum, uel quæ uacant coniunctione, atque iis etiam quæ illa antecedunt. Eſt autem una prima oratio Enũciatiua Affirmatio: deinde Negatio, operę precium eſt conſideremus. Itaq; dicendum eſt, cum uel à dictionibus, uel à ſignificatis, orationum capiatur differentia ut prius quoq; aſſerebamus, atque ea quæ à di- B ctionibus proficiſcitur alteram ex uno ſubiecto in dictione faciat, atque ex uno prædicato poſitiue uel negatiue conſiſtentem, ſeu uerbum eſt apprædicetur, ſeu non, & ſiue adiunctus ſit modus, ſiue non ſit aliquis, atque abſolute loquendo affirmationem ſolam, aut ſolam negationem pariat: alteram ex duabus compoſitam affirmationibus, uel negationibus, uel affirmatione ac negatione quã coniunctione unam uocauit Ariſto. cumq; in ipſis rurſum ſimplicibus orationibus, & iis quæ coniunctione unum habere dicuntur, affirmatiui & negatiui differentia ſpectetur: Diſcretio autem illa orationum quæ à ſignificatis ſit partim, unã partim plures efficiat, tres Orationum futuras eſſe oppoſitiones: quibus ſimplex compoſitæ, prior poſteriori, una pluribus aduerſatur. Quibus igitur dicebat uerbis. Eſt autem una prima oratio Enunciatiua Affirmationis à Negatione penes prius & poſterius differentiam tradebat: ſolaſq; has oſtẽdebat orationes quæ proprii ſimplices ſunt, à nobis unius appellatione dignas cenſeri, cum adderet, cæteræ omnes coniunctione una, quaſi minime nobis liceat unam ſimpliciter illarũ quampiam ora- C tionum nominare. Cõmune autem Affirmationi cum Negatione ideſt, ꝙ ambæ ſimplices ſunt Enunciationes. quatenus ab iis etiam diſcernuntur quæ unum coniunctione obtinent. Itaq; ea illis addens quibus dicebat, Vna eſt autẽ enunciatiua oratio quæ uel unum ſignificat, uel coniunctione eſt una. Plures quæ plura, & non unum, diuiſionem nobis in ſignificatis tradebat unius orationis, ac plurium. In his uero nunc propoſitis diuiſionem earum in ſimplices docet atq; compoſitas: ipſum hoc explicans apertiſſime, ſimplicitate Affirmationem & Negationem à coniunctione habentibus unum orationibus differre. quippe cõmuniore uocata Enũciatione in ſimplicem primum atq; compoſitam diuiſa ſimplicem rurſus in Affirmationẽ ac Negationẽ dirimit: quarum mutuum ordinem prius expoſuit. Quod ſi doctrinę diuiſionum ordine immutato, ſimplicis Enunciationis differẽtiam à compoſita prius nobis tradidiſſet, ab hac uero quæ ſupra de ordine quem inter ſe habent Affirmatio & Negatio prodita ſunt, poſtremum uero à ſignificatis diſcrimẽ addidiſſet unius orationis ad multas, uelut ſi ita ab initio dixiſ- D ſet, Partim ſimplex eſt enunciatiua oratio, partim ex pluribus orationibus compoſita. ſimplex aut prima eſt, aut ſecũda. & harum utraq; uel una eſt, quæ unum denotat: uel plures quæ multa ſignificant, nemini uiſus fuiſſet eadem prodita de iiſdem inculcaſſe. Minime uero putandum eſt, finitionẽ ſimplicis Enunciationis, ſiue, ut nonnulli uocauerint, deſcriptionem ex Affirmatione reddi ac Negatione: propterea ꝙ Ariſto. dicatur, ſimplex enunciatio eſt aliquid de aliquo, uel à quopiam aliquid. & rurſus, Vox eſt quæ ineſſe aliquid ſignificat, uel non ineſſe. quorum alia ſunt affirmationes uidelicet: alia negationes. quod quidam ſuſpicati, Enunciationẽ genus non eſſe exiſtimarunt, ſed uocem quæ in diuerſa ſignificata illi ſubiecta æquiuoce diſcerperetur. conueniunt enim æquiuocis uocibus eæ docendi rationes quæ à ſubiectis ſignificatis ducuntur: propterea ꝙ nullam hæ cõmunem naturam declarant, quam finitiones indicant. Nam finitionem iam per ſuperius expoſita habemus Enunciationis: nempe

orationem

orationem eſſe, cui uerum competit aut falſum pronunciare. At in his cum ſimplicem Enunciationem à compoſita diſtinguere, & quæ ſimplices ſint Enunciationes, ex quibus ortum obtinent compoſitæ, eaſq́; eſſe Affirmationem ac Negationem dicere, atque ipſarum aſsignare definitiones propoſuerit, diuiſionem eius in ſpecies tradit merito, uel notionis rationem à diuiſione in ſpecies deſumptá. Quod autem genus eſſe Philoſophus Enunciationem uelit, planè id aperuit cum in definitionibus illam Affirmationis adhibuerit ac Negationis: eiq́; ut generi differentias præpoſuerit, in affirmatione hác alicuius de aliquo: in negatione illam alicuius ab aliquo. Cæterum quoniam uerba illa { Ineſſe aliquid uel non ineſſe,} tanquam pronunciata in ſolo præſenti tempore ſunt: Enunciationes autem perinde & per præteritum & per futurum dici poſſunt, ea propter adiecit, { Prout diſcreta ſunt tempora.}

DE AFFIRMATIONE NEGATIONE ET CONTRADICTIONE.

XVIII.

Affirmatio autem eſt enunciatio alicuius de aliquo. Negatio uero enunciatio alicuius ab aliquo.

Diuidit omnis Affirmatio uel Negatio uerum & falſum, ut in iiſdem terminis prædicato & ſubiecto. non diuidit autem æquiuoce, ad aliud atque aliud: ſecundũ aliud & aliud, in alio & alio: aliter atque aliter.

XIX.

Quoniam autem & quod ineſt licet tanquam non inſit, & tanquam inſit quod non ineſt, & quaſi inſit quod ineſt, & quod non in ineſt ceu non inſit enunciare, ſimiliter & circa ea tempora quæ extra præſens habentur, utique omne contingat & quod affirmauit quiſquam negare: & quod negauit affirmare. Quapropter negationem omni eſſe affirmationi, affirmationemq́; negationi omni conſtat oppoſitam. Sitq́; hoc Contradictio, Affirmatio, atque Negatio quæ ſunt oppoſitæ. Eam porrò oppoſitam eſſe inquam quæ eiuſdem de eodem eſt. non æquiuoce autem: & quaſcunque id genus præfinitiones alias aduerſus moleſtas Sophiſtarum argutationes adhibemus.

Vult his uerbis finitionem tradere Contradictionis, ac pugnam eſſe dicere Affirmationis & Negationis: quæ uerum ſemper adeo falſumq́; diuidunt, ut altera ipſarum mentiente: uera altera ſit, atq; econtrario. Ad hoc autem aſſerẽdum, pugnam falſæ eſſe Negationis aduerſus ueram Affirmationem: falſæq́; Affirmationis aduerſus ueram Negationem aſſumpſiſſe ex neceſsitate oportuit. Atque ut hoc ita ſe habere oſtendat, duas oppoſitiones capit: unam à rebus ipſis, alteram à noſtra de rebus diiudicatione. Quandoquidem enim ſermo de Affirmatione Negationeq́; eſt, quarũ utraq; in complexu prędicati cuiuſdam cum ſubiecto ſpectatur, ſumitur à rebus quidem oppoſitio illa quæ prædicatum dicit ſubiecto ineſſe uel non ineſſe. ab eo autem quod nos de ipſis ſentimus, uel etiam pronunciamus ea quæ ineſſe prædicatũ ſubiecto uel non ineſſe à nobis dici affirmat. Itaq; cum quatuor hæc ſint duarum oppoſitionum ſegmenta, quod ineſt quod non ineſt, dici ineſſe, dici non ineſſe quatuor erunt cõplexus. Aut enim quod uere ineſt nos quoq; ineſſe pronunciamus, aut quod uere ineſt nos dicimus nõ ineſſe, aut quod non ineſt nos aſſerimus in eſſe, aut quod nõ ineſt non ineſſe. Ergo ſi quod ineſt ineſſe perhibemus ut iuſtum eſſe Socratem, affirmationem ueram facimus, cum quod re uera ineſt in Socrate hoc eſt iuſtum dicimus ineſſe. Sin quod ineſt non ineſſe, falſam negationem, ut ſi Socratem iuſtũ non eſſe prodamus, propterea quoniam quod ineſt iuſtũ in Socrate nos non Ineſſe confitemur. Rurſus ſi quod non ineſt aſſeueremus ineſſe, ut eſſe iniuſtum Socratem, falſam affirmationem confingimus, cum quod non ineſt in Socrate iniuſtum ineſſe contendimus. poſtremo ſi non ineſſe enunciamus, quod nõ **A** ineſt ut non eſſe Socratem iniuſtum, ueram aſſerimus negationem. quod enim re uera non ineſt, iniuſtũ in Socrate, hoc nos quoq; non ineſſe arbitramur. quippe quod à nobis ineſſe dicitur, uel non ineſſe, affirmationem aut negationẽ facit. nam qui ineſſe quidquã proferatur, conſtat eũ hoc quod ineſſe ait de illo affirmare cui ineſſe ipſum inquit, negare qui dicit non ineſſe: ueram autem aut falſam eo promere φ cõſonam aut non conſonam rebus enunciet. Manifeſtũ enim eſt rurſum, ſi concientes rebus Enunciationes proferamus, fore ut ueritatem aſſequamur, uelut ſi quod ineſt ineſſe prodiderimus, uel quod non ineſt non ineſſe. mentiri autem ſi à rerum natura diſcordemus, ut ſi non ineſſe quod ineſt, uel ineſſe quod non ineſt. pronunciauerimus. Hinc igitur quatuor nobis propoſitiones emicuere, duæ affirmationes, tum quæ ineſſe quod ineſt, tum quæ ineſſe quod non ineſt affirmat. duæ negationes quæ reliquæ ſunt. & altera uera affirmationũ quæ quod ineſt dicit ineſſe, altera falſa quæ ineſſe **B** quod non ineſt. rurſusq́; ex negationibus hæc uera eſt quæ quod non ineſt fatetur non ineſſe, illa falſa quæ non ineſſe quod ineſt, narrat. Inuenimus igitur propoſitionem prorſus aliquam ueræ affirmationi repugnare, aduerſatur enim falſa Negatio ueræ Affirmationi, & falſæ Affirmationi uera Negatio. Quare nõ ſine ratione ac uia nobis ſermo ex duabus excitus diuiſionibus in cõſpectum ſeſe obtulit. Quatuor quidem ſunt cõmuniſsimæ ſpecies propoſitionũ quæ cum ueri & falſi qualitate ſpectantur, oppoſitionũ autem in propoſitionibus duæ. una ueræ Affirmationis ad falſam Negationem, altera ad ueram Negationem falſæ Affirmationis: quas cõquirere propoſitum erat, binaſq́; inuenire ad Contradictionem deprehẽdendam, de qua nobis in præſens agitur. Hanc enim Affirmationis pugnam cum Negatione uocandam Ariſto. Contradictionem cenſet, perinde quaſi nomen ipſe hoc illi impoſuerit, partibus eius in uero & falſo contraria inter ſe aſſerentibus, ut declarat cum ait, { Sitq́; hoc **C** contradictio. } tametſi neque in affirmatione, neque in negatione uel enunciatione huiuſmodi quicquam locutus. Siquidem uel apud apprime diuinum Platonem horum quodlibet poſitum nomen reperias. ſicut plurima quoq; ex iis pręcepta quæ hoc libro de Enunciatiuę orationis principiis traduntur, cum locis apud ipſum pluribus diſperſa inuenias, tum uel maxime in Sophiſta, quæ poſt ſermones de cõmiſto Ente non, Ente plures atque admirabiles produntur. quibus oſtendit & in ratiocinationibus & in opinionibus, & in ea oratione quæ ab his prodit foraſq́; effluit compar ipſis non Ens, hoc eſt falſum ſpectari. Nãq; in illis, quemadmodũ primum Philoſophum decet de ſolis Logicæ quoq; facultatis principiis contẽplari ſatis eſſe exiſtimans, quæ de Enunciatiuæ orationis principiis conueniebat uerba ad eos fecit qui illam in primis coluerunt, uariaſq́; explicare propoſitionum generum, & oppoſitionum, & conſequentiarum differentias omiſit. ſed hæc inde petere ſtudioſis licet. Illud uero oportet attendamus, cũ enumerandis propoſitionibus Ariſ. à deterioribus oratione progredi ad meliora, uelutq́; à pri**D**uationibus uelit, quoniam falſas propoſitiones primas tradidit, ab iis autem ueras atque inter falſas, Negationem falſam falſæ Affirmationi antepoſuit, propterea φ & ipſa per ſe Negatio inferior eſt Affirmatione ut quæ illi collata priuationis rationem habens, uoluerit autem ueris recenſendis prioris eius meminiſſe quæ falſarum deſcriptarum priori oppoſita eſt, ut prior falſarum enumerata cum uerarum depugnet priore. ſecundæ autem eius quæ falſarum obſtat ſecundæ, quo rurſus falſarum ſecunda ſecundæ repugnet uerarum, eum hac de cauſa ueram Affirmationem ueræ Negationi neceſſario prępoſuiſſe. Hinc igitur ſeſe oſtẽdẽtes habens contradictiones duas, unã falſæ Negationis ad ueram Affirmationem, alteram falſæ Affirmationis ad ueram Negationem. neque præter has animo complecti aliam potes. Ob id itaq; cum omni Affirmationi aliquam repugnare Negationem collegerit, ueræ quidem falſam, falſæ autem uerã, eodem pacto & Negationi omni Affirmationem, Contradictionem definiuit pugnam Affirmationis & Negationis, quæ ueri falſiq́; nomine obiacent. Verum quoniam finitio

A Contradictionis exactam nõdum circunſcriptionem habet,
(neque enim falſa quæuis Negatio cõtradictionem ad ue-
ram quálibet Affirmationem facit, neque ad falſam quálibet
Affirmationem uera quęuis Negatio. Quis enim dicentem
Homo bipes non eſt, contradicere illi arbitretur qui Homi-
nem eſſe animal pro ſiderit: propterea.ſ.quod altera uera
Affirmatio ſit, altera falſa Negatio? uel qui Homo lapis non
eſt inquit, illi qui Hominem quadrupedem eſſe affirmauerit,
quoniam ſeſe ex aduerſo propoſitiones habeant?) merito
idcirco addit quas oppoſitas Affirmationes ac Negationes
haberi oporteat, atque eas nimirum eſſe quæ eodem ſubie-
cto utuntur, eundẽq; de ipſo prędicatum declarant, id quod
uerbis illis palam fecit, {Quæ eiuſdem de eodem eſt.} Hoc
autem eſt, Contradicere propoſitionem inquam propoſi-
tioni eam quæ prædicati eiuſdem prædicationem facit de
eodem ſubiecto in altera propoſitione accepto, ad quã fit
contradictio. Pugnat enim propoſitio illa quæ Homo ani-
B mal non eſt ait, Homo animal eſt pronuncianti, non autem
hæc Homo bipes non eſt. ſiquidem ambobus terminis cõ-
municant illæ, hæ prædicato diſſentiunt. Homo quoq; eſt
lapis dicenti, quæ Homo lapis non eſt inquit opponitur:
non quæ equus lapis non eſt. ſiquidem hæ diuerſis utuntur
ſubiectis. Ne autem ſatis eſſe exiſtimemus eundem ſola no-
ce ſubiectum atq; eundem eſſe prædicatum terminum, cum
diſtinctiones illas quæ hæc exacte definiunt in promptu ha-
bere nos uelit, adiecit. {Non æquiuoce autem, & Quaſcũq;
id genus præfinitiones alias aduerſus moleſtas Sophiſtarum
argutiones adhibemus.} Non enim contradicit, Aiax He-
ctori ſingulari certamine cõgreſſus eſt pronuncianti, qui nõ
congreſſus eſt ſingulari certamine Aiax Hectori dicit. ambo
enim perinde & uerum & falſum proferre poſſunt, quãuis
propoſitiones iiſdem terminis conſtare uideantur. ſed ipſis
in ſola dictione, ſeu nuda uoce, non in ſignificato identitatis
eſt, cum ſimul ueras eas aut ſimul falſas ceperimus. Quod ſi
ubi de utro tandem Aiace ſermo ſit explicuerimus, uerbum
congredi, aut quoduis aliud de illo & affirmatiue & negati-
C ue prædicemus, ſimulq; conditiones alias obſeruauerimus,
quas deinceps afferemus, alteram ea propoſitionibus uerã
eſſe, alteram falſam neceſſe eſt. Idem & in prædicato ſæpius
accidit: quandoquidem eſt & in uerbis æquiuocatio. Nam
uerbum Mando tum iubeo ſignificat, tum etiam manduco.
ac propterea ego mando & ego non mando contradictio
non eſt, ſi in alio atque alio ſignificato ſumatur. Tum hoc
igitur cauendum eſt ne terminorum alterutrũ æquiuocum
aſciſcamus, tum etiam ne ad aliud aliudq; capiamus, ob idq;
uere affirmari ac negari poſſit, uelut ſi decem non plura, &
decem non plura eſſe pronunciemus. conſtat enim in nume-
ro illo paucioribus ueram eſſe affirmationem, negationem
uero in æqualibus & amplioribus. Item ne ſecundum aliud
& aliud eidem quid inſit ac non inſit, ut ſi Aethiops niger &
non niger eſt dicamus. niger eſt cute extima, non niger den-
tibus. Neque in alio & alio tempore ineſſe idem poſſit, &
non ineſſe, ſed definitum & tempus ſit quo ineſſe quippiam
uel non ineſſe prædicamus. quippe ualuit Socrates & non
ualuit eſſe etiam uerum poteſt, ſi alterum anno urbis cauſa
D proxime exacto, alterum pridie capiatur. Ad hæc uero &
eodem pacto opus eſt, quod affirmatur negaturq; prædica-
tum capeſcere. Eodem pacto inquam uel in utraq; actu pro
poſitione, uel facultate in utraq; ſiquidẽ affirmatio quæ cer-
nere inquit dormientem, ſimul cum negatione uera eſt, quę
non cernere ipſum contendit, cum altera.ſ. in naturæ ſuma-
tur aptitudine, quæ niſi quid prohibuerit, per uidendi facul
tatem agat, tum ad eius diſcretionem qui uim nondum rece
pit, tum eius qui illam amiſit. altera in eo qui tunc per illam
non agit. De his ergo diſſeruit pleniſſime Ariſt. in eo libro
qui Sophiſticorum inſcribitur Elenchorum. Eaponitq; mo
dos omnes tredecim numero, quibus Sophiſtæ aduerſarios
minus curioſe diſputantes fallere conantur, ſex qui ad locu
tionem, ſeptem qui ad ſententiam pertinent, ſiue ab ipſis ex-
tra dictionem abſolute ſumuntur. docetq; eorum confuta-
tiones. Ad hæc cum modi unius, ideſt ab æquiuocatione me-
minerit, qui unus eſt inter dictionis modos, ſimili ratione &

A cæteras cautiones omnes nobis obſeruandas pręcipit, quas
ad oppoſitionem exactam cõtradicentium inuicem propo-
ſitionum neceſſarias omiſit, perinde quaſi exquiſitam de iis
perpenſionem nobis tradere tempeſtiuum non eſſet. {Mo-
leſtas Argutiones} bene admodum dixit {Sophiſtarum}, im-
portunas ipſorum interpellationes contentioneſq;, quæ ni-
hil ſanè operoſum habent, ſed iis quibus mens conſtat, per-
turbationem ſolum inanemq; diſtractionem præbent, pro-
pterea quoniam in ſophiſticis confutationibus demonſtran
tem interturbant, neque ab ipſo uel ab auditore comperiri
ueritatem ſinunt. Sed quoniam ad finẽ ea perduximus, quæ
ad enunciatiuę orationis principia pertinẽt, ab his deinceps
aliũde ſumpto initio de propoſitionibus ipſis cõſpicemur.

DE PROPOSITIONIBVS EX SVBIECTO TANTVM ET PRAE-
B DICATO COMPOSITIS,

SECTIO SECVNDA.

I

Quandoquidem uero res aliæ ſunt uniuerſales, particulares aliæ, (Vniuerſale autem id uoco quod prædicari de pluribus eſt natura idone-um: Singulare quod ineptum eſt. ut Homo ex-empli cauſa uniuerſale eſt: Callias ſingulare) ineſſeq; aliquid uel non ineſſe cuiquam interdum uniuerſalium, quandoq; uero ſingularium enunciare eſt neſſe, ſi uniuerſaliter quippiam in uniuerſali ineſſe enunciet uel non ineſſe, contrariæ Enunciationes erunt. (porrò in uniuerſali enunciare uniuerſali-ter intelligo, ut omnis homo albus: nullus homo albus.) Quando autem in uniuerſalibus quidem, non autem uniuerſaliter, non ſunt contrariæ: tametſi quæ indicantur, contraria quandoq; eſſe poſ-
C *ſunt. Dico autem non uniuerſaliter in uniuerſalibus enunciare, ut eſt albus homo: non eſt albus homo. Cum enim ſit homo uniuerſa-le, non tanquã uniuerſaliter utitur enunciatione. quippe nomen, omnis, non uniuerſale ipſum ſignificat: ſed uniuerſaliter ineſſe.*

SEcundum libri caput hinc exordium ſumit: quod
de propoſitionibus uel enunciationibus iis eſſe
dicimus quæ ex ſubiecto prędicatoq; conſiſtunt.
Nos autem priuſquam ad auctoris uerborum
expoſitionem deſcendamus, ea quæ ad totius capitis cogni
tionem neceſſaria ſunt, operæ precium eſt contemplari. ſunt
autem hæc. Primum quonam pacto negationes ex hiſce ef-
ficiamus affirmationibus. Dein quomodo propoſitiones
uniuerſas quæ ex ſubiecto conſtant & prædicato ſumpſiſſe
poterimus: quo nihil uereamur non poſſe in hoc propoſi-
tionũ genere præter has aliam eſſe dicere. Et præterea quæ-
nam ex ipſis contradictorie oppoſitæ inter ſe ſint. quæ non
contradicant re uera, cum contradicere uideantur. ac qua ra
tione mutuæ illarum oppoſitiones appellandæ. Ex affirma
tione igitur negatiua aſſumpta particula negationem fieri
D liquet, quo autem Affirmationis loco ponenda ea ſit, ut Ne
gationem conficiamus, idq; quamobrem, explicandum eſt.
Itaq; non ſubiecto illam aio, ſed prædicato conſtruendam.
primum quidem propterea ꝙ potius prędicatum eſt, ut di-
ximus, ac prius ſubiecto: unde & tota oratio prędicatiua no-
minatur. Nobis igitur Affirmationem tollere atque efficere
Negationem uolentibus, non negatiua particula, quæ ſubla
tionis auctor eſt parti deſpicabiliori, ſed pręſtantiori inferen
da. Siquidem & animantium, immo uero animatorum om-
nium non quæuis ſublata particula totum labefactauit: ſed
ex præcipuis aliqua. Deinde quoniam affirmationem qua-
tenus ineſſe quidquam dicit, obſignari ex culpiq; prodidi-
mus. Hoc uero etiam affirmat propoſitio illa quæ negati-
uam particulam ſubiecto coniunxit. Nam qui non Socrates
ambulat dixit, non quod eſt ambulare à Socrate ſuſtulit:
quod ſanè facere eum oportebat qui proferre inſtituit Ne-
gationem: ſed alium à Socrate quempiam inquit ambulare,

quomodo

quomodo ergo huius Socrates ambulat negatio fuerit: tũ neque de eodem loquatur ſubiecto, aliiq; ineſſe ambulationem aſſerat? Quamobrẽ neceſſe eſt negatiua particula prędicato duntaxat iuncta Negationem fieri, quomodo ſe habet propoſitio ea quæ Socrates non ambulat, dicit. Hæc ergo non Socrates ambulat quoniam negatio non eſſe oſtenſa eſt, propoſitio autem omnis aut negatio eſt, aut affirmatio, erit affirmatio prædita ſubiecto infinito. Nomen quippe negatiua accepta particula infinitum nomen uocamus, eiuſq; negationem hanc eadem ratione eſſe inueniemus, nõ Socrates non ambulat particula negatiua ad prædicatum in Affirmatione utiq; poſita. Quare duę circa idem ſubiectum contradictiones fiunt, una quæ ut finito eo utitur, altera quæ tanquam infinito. Hęc cum ita ſe habeant, diuiſiones dehinc inſpiciamus, ex quibus propoſitionum earũ numerus quæ ex ſubiecto conſtant & prædicato elicere eſt integrũ. ac contradictiones primum illas quæ in iis fiunt numeremus, patet enim plures duplo propoſitiones contradictionibus futuras. Quandoquidem igitur duos hæ terminos tantum propoſitiones ſubiectum prædicatumq;, & complexum pręterea ſubiecti ad prædicatum, nec quidquam pręter hæc aliud obtinent, diuiſiones quoq; prorſus ipſarum neceſſe eſt aut à ſubiecto ſolo, aut à ſolo prædicato, aut à prædicati cum ſubiecto cohærentia proficiſci. cohærentiam autem eam nomino, qua uel ſemper ſubiecto prædicatũ incumbit: uelut cum Solem dicimus moueri, aut hominem eſſe animal. uel ineſt nunquam, ut cum ſtare Solem affirmamus, aut hominẽ eſſe pennatum. uel cum ineſt quandoq;, alias autem non ineſt, ſicuti cum ambulare perhibemus Socratẽ aut legere. Enimuero has cohærẽtias ii nuncupant propoſitionum materias quibus curæ fuit de harum arte diſſerere. unamq; ex iis eſſe aiunt Neceſſariam, alteram Impoſſibilem, tertiam Contingentem. quorum ſanè nominum cauſa in propatulo eſt. In ſumma cohęrentias has, materias ideo uocandas cenſuerũt, q cum rebus quæ ſubiectæ propoſitionibus ſunt ſimul appareant, neque à noſtra opinione uel prædicatione, ſed ab ipſa rerum natura deſumantur. Quod enim ita ſe habere ut ſemper inſit, neceſſariam materiã efficere arbitramur. quod ſemper non ineſt impoſſibilem. quod uero alternat, ut altàs inſit, altàs ſecus, cõtingentem. Quoniam igitur ſubiacent res propoſitionibus, ubiq; uero ſubiectũ uel materiam eſſe, uel materiæ rationẽ ad id obtinere cui ſubiacet affirmamus, eas iccirco materias uocari dignum exiſtimarunt. Diuiſio itaq; hac ratione à ſubiecto fit, Subiectus in propoſitione uel ſingularis eſt, uel uniuerſalis. nec medium obtinet diuiſio. ſiquidem unam, uti aſſerebamus, quę à ſubiecto ſignificatur, quẽadmodum à prædicato etiam eſſe oportet naturam, ſi una te uera eſſe propoſitio debeat. Hanc porrò unam naturam aut de pluribus quibuſdam prædicari, aut de ſolo uno ſubiecto neceſſe eſt. Ac ſi quod uelut ſubiectũ aſſumptũ eſt ex eorum fuerit numero, quæ de uno ſolo prędicantur, ut Socrates uel Plato, ſingularem patent propoſitionem fore. Sin ex iis quæ de pluribus appellãtur, ut homo uel animal, uniuerſalem, neq; pręter hæc conſtat propoſitio. Porrò ſi uniuerſalis ſubiectus ſit, hunc uel ſine aſcititia Præfinitione, uel cum ea pronunciari eſt neceſſe. Dicuntur autem aſcititiæ Pręfinitiones, uelut adiectitiæ quædam dictiones quæ ſubiectis cõcinnantur, declarantq; quonã pacto prædicatum ſeſe ad indiuiduorum quæ ſubiecto comprehenduntur multitudinẽ habeat, ſiue quaſi inſit, ſiue quaſi nõ inſit ſumatur. Ideo quatuor quoq; numero ſunt, omnis & nullus, aliquis, & nõ omnis, duæ uniuerſales omnis & nullus, particulares totidem aliquis & non omnis. Atq; ex uniuerſalibus affirmatiua altera eſt omnis, ut omnis homo animal, quæ ſubiectis homini indiuiduis omnibus animal ineſſe indicat, altera negatiua nullus, ut nullus homo pennatus, nimirum ſignificans hominum nulli ſingulorum ineſſe prædicatum. Et particularium rurſus altera affirmatiua, aliquis: ut aliquis homo albus, quæ unicuiquã ineſſe ex iis indiuiduis prædicatum declarat quę ſubiecti circuitu clauduntur, negatiua altera non omnis, ut non omnis homo iuſtus, quæ ipſius omnis ſublatrix eſt, ſignificatq; uerum non eſſe indiuiduis omnibus quæ ſubiecto

A continentur prædicatum competere. Haud uero in indiuiduis tantũ pręfinitiones aſcititię certas diſtinctiones faciunt: ſed ſi genus forte ſubiectum ſit propoſitionis, cõueniens in ſpeciebus iis potiſſimum quæ ad genus illud referunt, cum quod de ipſo prædicatur, ſubſtantiale quidpiam fuerit, ſecunda ratione & indiuiduis quæ à ſpeciebus illis ambiuntur, ſiquidẽ nec aliter indiuiduis poteſt genus impertiri, niſi per ſuarum ſpecierum interuentum. Ergo cum omne animal ſubſtãtia, quoddam animal uolucre dicimus, quoniam ſuapte eſſentia prædicata ſubiectis cohęrent, ſubſtãtiam de ſpeciebus abſolutæ animalis omnibus prædicari in primis dixeris, uolucre de iis quæ ipſo naturæ habilitate impertiuntur, illorumq; beneficio de iis indiuiduis quæ ſub ſpeciebus colleguntur. Interdum quoque de ſolis ſpeciebus enunciationem facimus, ceu cum dicimus, omnis Quanti ſpecies cõſiſtentis ex partium ſitum obtinentibus conſtat: ſpeciesq; eſt continui: aut forma naturalis omnis ſuam in mundo ſub-


B ſiſtentiam habet. Cæterum conſtat accidentia cum & aduentitiam obtineant naturam, & iidem ineſſe ac non ineſſe natura ſint apta, dictum iri à nobis de indiuiduis præſertim prædicari, quæ indiuidua modis omnibus tum penes accidentia, tum ſubſtantiam mutari natura uoluit non proprie uero de ſpeciebus, quę ob incorpoream immutabilemq; ſuipſarum naturam, ne participes quidem eſſe eorum poſſunt. Si itaq; aſcititia nulla præfinitio ſubiecto adhæreat, impræfinita Propoſitio nominatur, ut homo ualet. Quod ſi præfinitione aliqua non uaret, pręfinita Propoſitio, dicitur. Verum ſi uniuerſalis ea fuerit pręfinitio, uniuerſalis uocatur, ſin particularis, particularis. Quatuor igitur nobis oppoſitionum ſpecies in propoſitionibus ex ſubiecti diuiſione in conſpectum prodeunt, ſingularium, quibus non additur præfinitio, uniuerſalium, ſiue uniuerſalium uniuerſaliter, & uniuerſalium non uniuerſaliter (ſic enim quoque eas uocant per id ab aliis diſcernentes, quæ perinde atque hæ ſubiecto uniuerſali utuntur, quod in his præfinitiones uniuerſales ſint

C uniuerſalibus ſubiectis coniunctæ,) & præter has particularium, ſiue uniuerſalium ut particularium. Habent enim hæ particulares præfinitiones ſubiectis uniuerſalibus adhibitas, quo fit ut ita quoque appellentur. Porrò differunt eo ſingulares à particularibus, quod in uno quodam finito & certo ſingulares enunciationem conficiant, ut Socrate. particulares, & ſi ad unum aliquod reſpicientes pronuncient, nihil tamen certum ſignificent, ſed in quouis aliquo ueræ eſſe poſſint, ceu cum dicimus aliquis homo iuſtus eſt. nihilo enim magis Socratis gratia uerum affert propoſitio, quam Platonis, uel Ariſtidis. Propterea ſingularem recte finitam Theophraſtus nominat, particularem infinitam. Ac diuiditur quidem ſingularis ex aduerſo à ſimpliciter uniuerſali, ab uniuerſali autem uniuerſalitee, particularis talis igitur à ſubiecto diuiſio eſt propoſitionum. Cæterum à prædicato dicendum eſt quatuor ſpecies has omnes triplicari. Quoniam enim prædicatum uerbum ſit neceſſe eſt, tempus autem adſignificari à uerbo docuimus, capiturq; tripliciter Verbum, in præterito, inſtante, conſequente, patet ex qua-

D tuor à prædicato ſpeciebus, quamlibet uariari tribus modis licere, uerbi cauſa in ſingularibus dicamus Socrates ualuit, Socrates ualet, Socrates ualebit. Itaque ob id in propoſitionibus duodecim ſpecies fiunt oppoſitionum. Nãque Ariſtotelem audiemus docentem quandam quoque fieri à temporibus aliquando Propoſitionum differentiam. Quandoquidem uero oppoſitionũ harum duodecim trifariã ſingulæ ſecundum tres materias capi poſſunt, harũ oppoſitiones omnes ſex & triginta fieri accidit, finito nimirum ſubiecto. quibus pares eas numero fieri neceſſe eſt quæ ex infinito ſubiecto componuntur. Quippe in ſingulis finito ſubiecto utentibus ſi negatiuam ſubiecto particulam addideris, eas quæ ex infinito conſtant efficies. Fiunt ergo duæ & ſeptuaginta oppoſitiones omnes cõtradictionesq; earũ propoſitionum quas penſitãdas propoſuimus. Verum poſteaquam ipſarum tradidimus numerum, conſequens eſt deinceps conſideremus quæ in numeratis oppoſitionibus contradictoriæ propoſitiones aduerſæ inter ſe ſint: quæ ſecun.

A & qui nam inter ſe reſpectus nõn cõtradictorie ſint obiacentium. qui uero ad comprehenſarum in ipſis utriuſq; propoſitionum habeatur cõtradictorie repugnantium. Supra enim ſumpſimus Negationem omni eſſe Affirmationi, & Affirmationem Negationi omni contradictorie oppoſitam. Singulares igitur contradictorie depugnare apud omnes in confeſſo eſt. Q uæſtionem uero quandam exhibent illæ quæ in futuro capiuntur tempore: quam infra exponet, ſoluetq; Ariſto. At de impræfinitis inter eos nõ conuenit qui de hoc theoremate quidquam pronunciarunt. quomodo autẽ ſeſe uerũ habeant nequit intelligi, niſi quo pacto præfinitæ ſe habeant inſpexerimus: de quibus nulla aut fuit, aut eſſe poteſt controuerſia. quo circa de his prius agẽdum eſt. Q uoniam igitur Contradictionem finiuimus pugnam eſſe Affirmationis & Negationis quæ uerum ſemper falſumq; diuidit, liquet quas uel commentientes quandoq; propoſitiones inuenerimus, uel ſimul uerum aſſerentes utiq; non inter ſe eas
B contradictorie oppoſitas à nobis dictum iri. Ergo quæ uniuerſales nominantur, quaſi ſimul falſæ in materia ſint contingente, contradictionem facere haud quaquam dicentur. Veruntamen nec particulares contradicere affirmabimus: ut quæ ſimul ueræ in eadem ſunt materia. tametſi ambæ in cæterarum utraq; materiarum uerum ac falſum ſecernant. Veræ igitur ambæ in materia neceſſaria ſunt Affirmationes: quę id eſſe aiunt quod ex neceſſitate compent. Negationes falſæ, quæ id tollere contendunt. Contra autem iure habent in ea materia quam impoſſibilem uocant. ueræ enim ſunt Negationes, quæ impoſſibile, ob idq; nunquã competens aſſerunt non ineſſe. falſæ Affirmationes quæ competere id dicunt. In contingente ambæ falſæ uniuerſales: ambæ particulares ueræ. quoniam quæ in ea prædicantur materia, aliquãdo natura fert ineſſe ſubiectis, quãdoq; non ineſſe, atq; aliis ineſſe illorũ, aliis minime. ut omnis homo albus: nullus homo albus ambæ hæ falſæ: Affirmatio propter Aethiopas:
C Negatio propter Scythas, ſi ita forte contingat. aliquis homo albus: non omnis homo albus, hæ uidelicet ſimul ueræ ſunt. Quas ergo uniuerſales ut uniuerſales minime contradicentes oſtendimus, contrarias nuncupant. quoniam contraria cum in medio carentia eodemq; prædita diuidantur, ſimiles hæ contrariis medio carentibus propoſitiones ſunt in neceſſaria impoſſibiliq; materia. Nam & adeſt ex neceſſitate horum alterum ſubiecto, & hæ propoſitionem alteram ueram obtinent, quæ rei quoque eſſentiam hac de cauſa imitatur, quemadmodum eſſentiæ priuationis imago eſt falſitas. in contingente uero medium poſſidentibus, quorũ poteſt utrunq; ſubiecto non adeſſe. Vel, quoniam ulla contraria non ſatis conſtat uacare medio, ꝙ ceu conſeſſum ii cenſent ſumẽdum, qui eo quo prodidimus modo propoſitionum, quæ contrarię nominantur, appellationis cauſam reddunt, magis dicendum eſt, non poſſe in eodem ſubiecto ſimul actu eſſe contraria: poſſe autem ſimul inde abeſſe. Propoſitiones itaq; hæ cum ſimul nunquam ueræ ſint, quãdoq;
D uero & ſimul falſæ, contrariaq; hac ratione imitentur, contrariæ appellari merito poſſunt. Dicere etiam licet contrarias ob id nuncupari, ꝙ ſpacio inter ſe diſtẽt plurimo. abſunt enim contraria maximo interuallo à ſe mutuo inter ea quę ſub eodem genere colligũtur. Sic uero & harum utraq; ſeſe habet ad alteram, ſiquidem altera ſubiecto comprehẽſis indiuiduis omnibus, altera nulli inquit ineſſe prędicatum. Particulares autem Sub contrarias nominant, quaſi ſub contrariis ipſis conſtitutas, aſſeclatricesq; illarum. Nam cum uera altera eſt uniuerſalium, ueræ tunc & ſubdita illi particularis eſt propoſitio, ut quæ ceu pars eius eſt, atque ipſius ambitu continetur. idcirco Affirmationes quoq;, particularem uniuerſalemq;, ſimiliter & Negationes uocant Subalternas. Particulares igitur ne oppoſite quidem inter ſe eſſe proprie dicentur. nam quæ ſpecies iis oppoſitum conueniet? Q uod ſi contradictoriæ his oppoſitas quæras, particulares uniuerſalibus cum qualitatis oppoſitione contradicentes inuenies, hoc eſt uniuerſali Affirmationi particularem Negationem; & uniuerſali Negationi particularem Affirmationẽ. Q uocirca quę in deſcripta inferius tabella ſitum diametricum inter ſe obtinent angulorum præfinitæ propoſitiones, eę ſibi inuicem contradicunt, ſiquidem hæ uerum & falſum perpetuo diuidunt, neque id ab re. Nam Contrariæ & Subcontrariæ quali differentes idem retinent quantum. Subalternæ quanto diſſentientes eodẽ quali præditæ ſunt. Hæ uero ambobus pugnantes abſolutã perfectamq; inter ſe habent differentiam. quo fit ut eæ ſimul falſæ, aut ueræ eſſe nequaquã poſſint. Nãq; in materia neceſſaria uerum aſſerentibus Affirmationibus falſas Negationes eſſe, contra uero in impoſſibili, ex ſupra dictis perſpicuum eſt. in contingente autẽ mentiente uniuerſali Affirmatione, particularis negatio, ut quæ illi contradicit, uera eſt uniuerſaliq; fallente negatione, particularis affirmatio, uelut contradicens illi, uerum fatetur, ideo ſimul illis mentientibus, hæ ſimul uerum pronunciant.

PROPOSITIONVM TABELLA.



Singulares, Socrates ambulat: Socrates non ambulat. Impræfinitæ, homo ambulat, homo non ambulat: quæ & uniuerſales non uniuerſaliter dicuntur. omnis autem homo ambulat, nullus homo
D *ambulat, cum aſcititia præfinitione omnis & nullus, uniuerſales ut uniuerſales.*

Q uoniam uero imperitiores perturbare in impoſſibili materia conſueuit particularis Negatio, quæ ſimul mendax eſſe cum uniuerſali uidetur Affirmatione, ceu cum dicimus non omnis homo pennatus: eo quia, ſed quidam eſt, quidã non eſt præfinitio non omnis ſecũ inferre uideatur, id quod in impoſſibilibus falſum plane eſt, cõuenit de his quoq; diſſerere. Itaq; ex iis quę ſupra de nõ omnis pręfinitione prodidimus, licet quæſtionis ſolutionem prompte explicare. Dicimus enim non omnis ipſum per ſe duntaxat ſumẽdum eſſe ut uim propriam obtinens qua omnis præfinitionem tollit, nec aliud ſecum quicquam adducit. Ergo in quibus rebus mentiri omnis uidetur; in iis uerum aſſerit non omnis. Q uamobrem & in propoſitis, quoniam falſus eſt qui omnis homo, inquit, pennatus is qui non omnis pennatus dicit uerus erit. nam aut omnis, aut non omnis. ſed omnis falſum eſt. ergo uerum non omnis. Vt autem plenius illorum difficultati occurramus, dicendum eſt, particularem Negationem

tionem ſimili cum particulari Affirmatione, quod quidem ad particulare ipſum attinet, facultate eſſe præditam. Quapropter quo modo particeps ueritatis particularis Affirmatio fuerit, ſeu tanquam particulari perpetuo Negationi, ſeu minus concurrat, eodem uidelicet pacto & particularis erit Negatio. Quandoquidem igitur habitibus quibuſdam Affirmationes, Negationes priuationibus proportione reſpondent, notiores autem habitus ſunt priuationibus, ab Affirmatione utpote cognitione, de Negatione ipſa contemplandum eſt. Itaque uniuerſalis Affirmatio cum uerax in materia ſola neceſſaria ſit, ueram in duabus materiis particularem Affirmationem cernimus, hac nimirum, ac coniungente: non eodem tamen in utraq; modo, ſed propter ſeſe ita in contingente, ut alicui competat ſubiecto prædicatum, nonnulli non cõpetat: quando & particularis certe Affirmatio particulari concurrit Negationi: ab uniuerſali autẽ Affirmatione diſsidet. in neceſſaria uero non ſua cauſa, ſed propter uniuerſalem, ideo nec nunc illi cum particulari Negatione conuenit. nam aliquis homo animal propter uniuerſale omnis uerum eſt, non uerum tamen eſt & non omnis: quemadmodum in impoſsibili propter uniuerſalem Affirmationem quæ per ſe totam mendax eſt, particularis quoq; falſa eſt Affirmatio, ut quando dicimus quidam homo pennatus. neque enim propter ſeipſam falſa ipſa eſt. Eadem igitur ratione cum & uniuerſalis uera Negatio ſit in materia ſola impoſsibili, ueram Negationem eſſe particularem neceſſe eſt in duabus materiis, contingente ac neque cognata, neque prorſus aliena (quare propter ſeipſam quoque uera erit, particulariq; conſentit Affirmationi, ab uniuerſali autem Negatione diſcrepabit.) pręterea & in impoſsibili materia: in qua cum uniuerſali erit Negatione, quaſi ueram prædicationem illius obtineat beneficio, à particulari autem Affirmatione dirimetur. His itaque explicandis longiorem morem traximus quàm rei dignitas poſtularet. In ſumma autem ea dicere experiamur quæ de negatiuis ipſis præfinitionibus; cum profundiorem habeant contemplationem, Porphyrius Philoſophus tradit, addentes nimirum & ipſi ſiquid ualemus commentando: quo planius de iis præcipiatur. Quęſierit enim quiſpiam quo pacto cum Negationes ex præfinitis cõficimus Affirmationibus, non prædicatis negatiuas, ut ſupra cenſebamus particulas, ſed præfinitionibus ipſis conſtruamus, quæ partes perhibentur ſubiectorum, nõ quidem, eorum qui per ſeſe dicuntur, ſed qui ab ipſis uelut formam ſunt adepti, prædicantur autem nullo modo, ſi eſt id quidem Subiectum de quo inſtituitur oratio: Prædicatum quod fertur de illo, pronunciemuſq; de omni homine animal eſſe, haud uero omnem hominem omne eſſe animal. quandoquidem hoc tum falſum eſt, tum fieri nequit. paulopoſt uero & album eſſe de quopiam homine demonſtrabitur, non ipſum tamen album, aliquẽ eſſe hominem. Quomodo ergo non huius eſſe Affirmationis omnis homo ambulat negationem illam omnis homo non ambulat, ſed hãc non omnis ambulat dicamus, & huius aliquis ambulat, non illam aliquis non ambulat, ſed hanc nullus ambulat: atque ipſum hoc nullus uel magis quod Græci οὐδεὶς uocant, quam uim habeat declarandũ eſt. Quæſtionis igitur occurrentes principio potiori propoſitionis ubiq; parti ut Negationem conficiamus per eas quas ſupra attulimus regulas admoueri dicemus oportere negatiuas particulas. Itaque cum in ſingularibus impræfinitiſq; propoſitionibus præſtantius ſubiecto prædicatum cernamus, nec eo quicquam magis primarium in eiuſmodi propoſitionibus inueniamus, negatiuam merito illi particulam adhibuimus. In præfinitis autem cardo eſt & caput præfinitio, quo fit ut inde etiam præfinita propoſitio nominetur. Etenim tametſi conſtruuntur ſubiectis præfinitiones, parteſq; eorum, ut diximus, ſunt, attingunt tamen quodam pacto & prædicata, atq; uni ne, an omnibus eorum inſit prædicatum declarant quæ ſubiecto comprehenduntur. Quoniam uero non addito numero pluribus ineſſe, non autem omnibus definire, nequaquam licet, eapropter negatiua iure his particula iungitur. & quæ fiunt hoc modo Inficiationes, Affirmationibus

A contradictoriæ ſunt oppoſitæ. Illam uero prædicato coniungentium, quæ in uniuerſali id facit Affirmatione eandem uniuerſali Negationi facultatem obtinet. nam omnis non ambulat, idem ſignificat ac nullus ambulat. quæ in particulari, particulari Negationi, quid enim aliud aliquis non ambulat deſignat, quam non omnem ambulare? quamobrem in hac quæ fiunt utroq; modo Negationes mutuo concurrunt. itaque exploratum eſt, compoſitam non omnis præfinitionem eſſe ex omnis & tollente ipſam particulã Atὶ οὐδεὶς Græcis, ideſt nullus unde ortum putabimus? nã οὐχὶ τὶς hoc eſt non aliquis Negationem eſſe oportebat, quę negatiuam particulam aliquis præfinitioni anteponit. An dicendum, ſi ita proferebatur, nihil finitum certumq; fuiſſe in quantitate ſignificaturam. quippe & nullo ambulante, & ambulantibus pluribus uerum eſt hoc non aliquis ambulat. apertiuſq; hęc propoſitioni adhuc illi οὐχὶ εἷς, ideſt non aliquis ambulat accidiſſent, quam illi quæ οὐχὶ εἷς, ideſt non unus habeat

B οὐδεὶς per ſynalœphen ſeu colliſionem facit. Cum igitur neque omnibus uolunt, neque pluribus non autem omnibus, ac ne uni quidem eorum quæ ſub uniuerſali ſubiecto comprehenduntur ineſſe prędicatum oſtendere, οὐδὲ εἷς dicunt, quod ex tribus partibus orationis compoſitum eſt, οὐ negatiua particula, δὲ coniunctione ſiue ad id quod eſt neque omnes, neque plures ſit: ſiue, ut Porphyrius Philoſophus cenſet, ad cautionem copulet diſtinctionemq; ambiguitatis accepta, & præterea εἷς numerali nomine, quod etiam inflecti uidemus, dicimuſq; οὐδενός, ideſt nullo ambulante. ac per trium generum uariamus differentias οὐδεμία, ideſt nulla ambulat, & οὐδὲν, ideſt nullum ambulat. Οὐδεὶς ergo à δὲ coniunctione per duarum colliſionem uocalium factum eſt in his dictionibus οὐδὲ εἷς concurrentium. perindeq; ſe habet atq; illud, μηδ᾽ ἔτινα γαστέρι μήτηρ, ideſt nec quem utero mater: & [illegible] οὐδ᾽ ἕν hoc eſt nec quidquam omnino reſpondente. Οὐτεὶς uero quod etiam nullus ſignificat, à τι per harum ſynalœphen οὔτε εἷς dictum eſt uocum. Sed quomodo τὶς dicente Affirmatione, in Negatione quæ illam tollit, non οὐ τὶς, ideſt non aliquis uerum

C οὐδεὶς Græci pronunciant? An propterea dicemus quod εἷς latius quam τὶς capitur, ſi ſimpliciter ſpectetur. Nam cum ſubiecto iungi τὶς quo pacto & aliæ præfinitiones ſingulæ, perpetuo uelit, eo quoniam ſignificent ipſe quomodo ſeſe habeant ſubiecto comprehenſa, ut prædicato impertiantur, aut ſecus, accipitur quidem & hoc modo εἷς in uerſu illo, εἷς δέ τις ἀρχὸς ἀνήρ, ideſt Vnus uir princeps aliquis, & in illo εἷς κοίρανος ἔστω, hoc eſt unus Rex eſto. ſumitur uero & ut prædicatum, non in iis ſolum quæ unica appellantur, ceu cum ſol unus eſt proferimus: uel unus eſt Mundus, quando & nomen ſolus illi uel actu, uel omnino poteſtate adiungimus, ſed & in ſingulis abſolute iis quæ quouis modo ſunt: ut ipſorum quoque multitudo ſubſiſtentiam habeat: cum neque prædicari per ſe præfinitiones ualeant, neque aliis rationabiliter prædicatis coniungi, ut ſequens nobis oratio demonſtrabit. Has ob res igitur εἷς, id quod dicebamus, quã τὶς latius capimus. Cæterum cum mutuo conueniant, quatenus complicantur ſubiectis, non ſingularibus, quorum nulla pars eſt, ſed quibus prædicari de pluribus natura eſt inſitum,

D tunc quoque non nihil inter ſe habere diſcriminis uidentur. Nam quoniam ex multis quodlibet & totum quiddam eſt, & eius ueluti pars quod de ipſis prædicatur communiter, ſi ceu totum quid ſit, quamuis indiuiduum dicas ab iiſdem ſpecie ex diuerſo diſtinctum, unius ad ea complexionem recipit. ſin tanquam pars ipſius communis quodam pacto exiſtant, cuiuſquam. quapropter nec contradicere in iis licet quæ tota duntaxat ſunt: eamq; ratione hac unum ad aliquid in particularibus quam & ſingularis Græcis articulus ad omnis in uniuerſalibus differentiam obtinet. Nam & ὁ ἄνθρωπος, ideſt homo animal & omnis homo animal dixerint. habet enim articulus uim uniuerſalis præfinitionis: ut ad calcem libri edocebimur. Sed articulus uniuerſalis ſubiecti unioni conuenit, quo fit ut tum unicorum tum indiuiduorum ſingulis coniungatur. aiunt enim ὁ ἥλιος καὶ ὁ Σωκράτης, ideſt Sol & Socrates. quandoque uero & in eo quod

inter cognata præcellit, ceu cum ὁ ποιητὴς dicunt, uel ὁ ῥήτωρ, hoc eſt Poeta uel Orator. omnis autem illorum congruit multitudini quæ ſub ipſum conferuntur. Ergo cum nomen εἷς uelut prædicatum tollunt, tunc non ipſi, ſed uerbo eſt negatiuam nectunt particulam: quod & actu omnino in euiuſmodi propoſitione exprimitur: aptumq́; eſt natura prædicatum ſubiecto copulare. Affirmationis enim uerbi cauſa dicẽtis, hic lapis unus eſt, dicet negatio hic lapis non eſt unus. Quãdo autem εἷς uelut ſubiecto applicitum aut τὶς ſummouent, Negationem facientes particulari cõtradicentem Affirmationi οὐδεὶς dicunt, uel οὔτις. uerum cum οὐδεὶς proferunt, non quaſi τὶς præfinitioni, ſed tanquam εἷς nomini occurrunt, ac deuitata οὐχ εἷς dictione, uelut ambigua, & οὐ εἷς, ut quæ pręter ambiguitatem quoque male ſonet, οὐδεὶς uel οὔτις pronunciant. τὶς autẽ præfinitioni occurrere tunc proprie uidentur, cum οὔτις dicunt: non poſito, ſcilicet ſuper τὶς acuto accentu (non enim gręca conſuetudo huiuſmodi pronunciationem nouit) ſed ſuper οὐ negatione: quale eſt illud οὔτις ἐμεῦ ζῶντος. id eſt Me quiſquam haud uiuente: & Μή τις νῦν ἐνάρων, id eſt Nequis nunc ſpolia, ſed hoc poeticæ, οὐδεὶς autem communi uſui familiarius eſt. Hæc habuimus quæ de præfinitis propoſitionibus diceremus. Quonam autem pacto ſeſe impræfinitę ad contradicendum habeant, aut ſecus, hoc eſt an præfinitarum nonnullis idem ualeant, per ea quę ſequuntur ſimul cum Ariſto. progredientes explorabimus. Ad hæc igitur ipſa Auctoris uerba inſpiciamus: quibus cum proditam à ſubiecto diuiſionem nobis tradiderit propoſitionum, diſcreueritq́; ab uniuerſalibus ſingularia, id eſſe inquit { Vniuerſale quod prędicari de pluribus eſt natura idoneum: } uniuerſalia nimirum ab iis quæ de pluribus prædicantur æquiuoce eo ſecernens ꝙ prædicari de pluribus natura cõparata ſint. hoc autem eſt non lege quapiam ac poſitione, quemadmodum Aiax & Alexander, ſed quod unam indicet naturam, quę cum in quolibet ſit ex pluribus, facit ut & illam ſignificans nomen de ipſis prędicetur. Omnino autem de uocibus differens, diuiſionem rerũ facit propterea, quoniam Philoſophis non de uocibus potiſſimum, ut Oratoribus Grammaticisq́;, uelut ſupra quoque docuimus, ſed rerum comprehenſionis gratia agitur. Species itaq; propoſitionum cum in uniuerſales ac ſingulares abſumpſerit, diuiſionem addit uniuerſalium in uniuerſales quæ ut uniuerſales ſiue uniuerſaliter uocantur, atque impræfinitas. nam de particularibus poſthac meminerit. In his autem uniuerſales in uniuerſalibus Enunciationes contrarias eſſe ait iis, ſcilicet de cauſis quas recenſuimus. quæ uero ſunt uniuerſales, nõ autem uniuerſaliter, hoc eſt impręfinitas, contrarias quidem non eſſe illas, ut tamen contraria ſint quæ ab iis ſignificantur fieri poſſe nonnunquam. Quod igitur uniuerſales non uniuerſaliter impræfinitas ipſas nominet, exempla etiam quæ affert id plane indicant homo albus eſt & homo albus non eſt. eas autem ita appellat, quoniam uniuerſali ipſarum ſubiecto non ſunt uniuerſales pręfinitiones attributæ. quod & ſi in particularibus poteſt congruere, habent tamen illæ quoddam peculiare particulares ipſas præfinitiones: à quibus nomen quoq; ſibi uendicant. Quomodo autem non eſſe contrariæ dicantur, ſed contraria quandoque ſignificare, hoc Explanatoribus non parum iam exhibuit negocii. Fortaſſis autem ipſis auctoris uerbis conſentaneum fuerit, ſi uelle quidem Ariſtote. ſimul ueras inter ſe eſſe impræfinitas propoſitiones dicamus: ut ex ſequentibus erit perſpicuum. atq; ob id non eſſe contrarias eas merito affirmare: haud enim contrarium eſt mutuo ſimul eſſe illas: uerum quoniam fieri poteſt aliquando ut ex Negatione illa quæ in affirmatione contrarii uera eſt, ſuſpicentur nonnulli contrarias tunc propoſitiones has, ceu contraria quædam ſignificantes, appellari oportere, propterea cauſam ſic opinantibus aducere paralogiſmi impoſtricisue ratiocinationis: eademq́; iis pronunciare quæ in poſtremo libri theoremate dicentur. Contrarias igitur eo definitas eſſe opiniones putare, quoniam ſunt contrariorum, falſum eſt. Quæ enim bonum eſſe bonum & malum eſſe malum arbitratur, eadem fortaſſe erit & uera: ſiue plures ſint ſiue una. At hæc ſunt contraria. uerum nõ

A eo ꝙ ſint contrariorum: ſed magis ꝙ contrario ſeſe habeant modo. Nullo igitur pacto conuenire impræfinitis contrariarum nomen, plane Ariſt. pronunciauit his uerbis: Quando autem contraria eſſe quæ indicantur poſſint, bene Porphyrius explicauit Philoſophus. Nõ enim et ſemper quod affirmatur contrarium quidpiam eſt inquit. neque dici ſemper uera eſſe de eo poteſt negatio quod eſt affirmatę rei cõtrarium: ſed de contrario quandoque, interdum de priuatione, aliquando de horum neutro, uerum tollere id ſolum quod affirmatio prodidit. Par enim eſt impari, & nigrum albo contrarium, ueraq; de iis ſiunt non impar & non album, contrariis Negationes ex neceſſitate comitantibus iis quæ carere medio dicuntur, contingenter autem medio prędictis. At huic rei uidere oppoſita priuatio eſt uel actionis, ut non in eo qui captus eſt oculis, ſed dormiente, aut conuenientie uel facultatis, ut in cæco, quæ per id ſignificantur quod eſt non uidere. Nonnunquam uero & quod productricem

B nondum actus poteſtatem accepit actus inficiatione indicamus, ut in catulo recens edito, & quod capax neutiquam eſt facultatis, ut in ligno. nam non cernere & lignum dicimus. ac nullo ſanè horum id quod à negatione ſignificatur dixeris eſſe affirmationi contrarium, uerum modo priuationem: modo autem non priuationem, ſed diuerſitatem duntaxat. At uero animali alii'ue ſubſtantiæ neque ut contrarium, neq; ut id genus priuationem opponi quidquam unquam inuenias, nec quanto definito, aut figuræ, neq; ſctibus iis quæ non ſecundum aliquod contrarium ſiunt. Rei enim calefacere, contrarium eſt frigefacere, ſiquidem eſt & calido frigidum. haud uero contrarium huic fuerit rei quæ eſt intelligere uel ambulare. Itaq; hac de cauſa quod negatione ſignificatur, ei quandoque contrarium eſſe ait quod affirmatio declarat, cum ipſæ nullo modo inter ſe contrariæ ſint propoſitiones. Hoc autem in ſolis impræfinitis iure annotauit, tum propterea ꝙ uniuerſalium ſolæ hæ propoſitionum affirmationes negationesq́; habent quę penes prędicatos ſolos terminos, non penes præfinitiones aliquas

C ſiunt. à quibus, uel ſi per ſeipſæ affirmatiuæ ac negatiuæ capiantur, ut omnis, non omnis, aliquis, nullus rerum ſignificari cõtrarietatem ne ſuſpicari quidem aliquis poſſit. Id quod faciunt prędicati, ac tunc maxime cum in medio expertibus contrariis Affirmationem ac Negationem conficimus. Eſt enim ut ſæpe commonuimus, præfinitionum, ſolam multitudinis eorum differentiam ſignificare quæ ſubiecto cõprehenduntur: quaſi partem obtinentium prędicati qui in propoſitione eſt, aut non obtinendum tum quoniam ea proſpicua ſunt quæ in aliarum oppoſitionibus accidunt: Vniuerſales exempli cauſa ut uniuerſales ſimul mentiri, proinde eſſe contrarias. Particulares ſimul uerum aſſerere, nec nomen competere illis contrariorum quęquam ſebitrari. Angulares ex diametro, Singulareſq́;, uerum ac falſum diuidere. At in impræfinitis, quoniam neque ſingularis, ac finitus ſubiectus is eſt, neque aliqua illi præfinitio adhæret, manifeſtus haud admodum eſt earum oppoſitionis modus, ſed quiſquam uelut cõtrarias quoque oppoſitas interdum, eas eſſe putauerit. ſignificariq́;, hoc aſſeuerat Aphrodiſienſis in-

D terpres uerbis illis { Tametſi quæ indicantur contraria quandoque eſſe poſſunt. } cum tamen clamet in ſequentibus Ariſtote. parem ipſis cum particularibus facultatem adeſſe. Particulares autem cum ſeſe ad contrarias ex diametro habeant iuxta ipſum hoc Ariſto. placitum, quod eſt ſimul eas in quadam materia hoc eſt contingente uerum fateri, alius quiſquam contradicere quoque impræfinitas ſibiinuicem exiſtimauerit, ſed uelut alteri ſimiliter angularium contradictioni quæ eſt aliquis & nullus. Has ob res igitur ſignificauit hoc ſolum propoſitus uerbis Ariſto. æquum nõ eſſe contrarias eas appellare, licet contrariarum rerum quãdoq; indices ſiant. pergens uero & ſimul ueras eſſe, non autem contradicere, rationibus aſſerere tentabit. Cæterum cũ cauſam aſſignauerit cur impræfinitæ uniuerſales non uniuerſaliter nominentur, quoniam. ſ. de ſubiectis uniuerſalibus non uniuerſaliter pronunciant. cum non ipſis coniungant uniuerſales præfinitiones quæ loqui uniuerſaliter nos de uniuer-

ſalibus

ſalibus faciunt, huius rurſus ipſius cauſam docet, nempe cur uniuerſales præfinitiones auctores id genus fiant enunciationū, ueluti, in affirmatiua quæ eſt omnis præceptionē cōſcit: quaſi & in nullus eadem rationes cōueniant. Quæ nam hæc igitur cauſa eſt? quoniā {Nomen (inquit.) Omnis non uniuerſale ipſum ſignificat: ſed uniuerſaliter ineſſe.} hoc eſt non ipſum ſignificat uniuerſalis ſpeciei, uelut hominis, naturam. Species enim cū una ex ſua ipſius natura exiſtat, cōprehendere nnireq; perhibetur perpetuæ indiuiduorū generationis infinitudinē. omnis uero præfinitionē quō de uno dici poſſe concedas? Omnis ergo nō ipſum ſignificat uniuerſale: ſed uniuerſaliter ineſſe. i. ſed prædicatum à nobis dici de comprehenſis omnibus ſub ſpecie indiuiduis affirmari.

II.

In prædicato uero uniuerſali uerum nō eſt uniuerſaliter prædicare. quippe nulla erit affirmatio in qua de uniuerſali prædicato uniuerſalis nota prædicetur: ut omnis homo eſt omne animal.

Quærit his uerbis Ariſto. an quemadmodum affirmatiua ſubiecto addita pręfinitio ſpeciem aliam efficit propoſitionum, ita propoſitionem quoq; excludere aliam poſſit prædicato adiuncta. Decernit autem ne exiſtere quidem eiuſmodi poſſe Affirmationem: ut eam quæ omnis homo, inquit, omne animal eſt. propterea quoniam qui hoc dicit, hominū quemlibet particularium omne animal eſſe ait: & equum, & bouem, & reliqua omnia: quamobrem neq; fieri ut uerus is ſit qui ita pronunciauerit. Iure igitur ne talem fieri quidem poſſe Affirmationem putat, idq; per nominis huius Vera defectum prodit. quippe nulla uera erit Affirmatio, in qua de uniuerſali prædicato uniuerſalis nota prædicetur: hoc eſt in qua uniuerſali prædicato coniungi uniuerſalem præfinitionem liceat, atque hominem dicere, de quo omni, quod inquit uniuerſali prædicatur animal, non ſimpliciter eſſe animal, ſed omne animal. Eam ob rem itaq; ne exiſtere quidem id genus affirmationem aſſerit, ut quę ueritatem non unquā aſſequatur. quandoquidem eſt hæc quoq; affirmatio: ſed falſa ſemper, atque ob id aſpernanda, nulliq; prorſus uſui ad ratiocinandi rationem ac uiam. ſiquidem pręter naturam ſeſe perpetuo habet, neque ullum poteſt ad inuentionem ueritatis uſum afferre: id quod finis eſt logicę facultatis. Porrò cum plures queant propoſitiones ex diuerſo præfitionum tum ad ſubiectum terminum propoſitioni, tum ad prędicatum complexu fieri, iure hanc ſolam protulit: atque ex recte uocatis propoſitionibus illam expunxit quæ omnis pręfinitionem utriq; termino coniungit. id quod in primo quoque Reſolutoriorum uolumine capitis illius principio quo de facultate agitur propoſitionum explicat. Nam de propoſitionum differens uniuerſalium delectu in quibus conſequēs omni ſubiecto prædicatum eſt, ſubdidit. Ipſum autem conſequens non totum ſequi intelligendum eſt: homini inquam omne animal, uerbi gratia, uel muſicæ omnem ſcientiam, ſed ſimpliciter tantum ſequi, quo etiam modo proponimus: etenim inutile alterum eſt, nec fieri poteſt, ut omnem hominem omne animal eſſe, uel iuſtitiam omne bonum. Et uero in priore de Demōſtratione cum in ſyllogiſmis uniuerſales affirmatiuas concluſiones colligentibus & maius extremum de omni medio, & hoc rurſus de omni minore prædicari dixiſſet, hoc eſt in utraq; ſyllogiſmum complentium propoſitionum de proprio ſubiecto omni prædicatum appellari, ſubiecti, prędicatum autem non omne dicitur. Quod igitur iure hanc ſolam ubiq; uelut inutilem damnet, diſcere licebit, ſi, cum quatuor ſint, uti deinceps oſtēdemus, quæ perpetuo mentiuntur propoſitiones, duæ affirmatiuæ, duæ negatiuæ, quædam uniuerſales, quædam particulares, per unam cæteris tum quantitate, tum qualitate, digniorem. quæ, ut intelligemus, ſemper mentiendi occaſionem, tribus etiam reliquis præbet, alias quoq; ſimili huic ratione peccantes animaduertamus ex propoſitionum quæ congrue proferuntur catalogo delere uoluiſſe. Nam ſi artificialem quoq; harum rationem exacte ſcrutari oporteat, ac de ipſis quod uidetur commemorare, ſedecim inueniemus propoſitiones ex præfini-

A tionum ſecundum utrūq; propoſitiones terminum diſtributione fieri. Siquidem cum quatuor eæ ſint, atq; una quæuis earum ſubiecto cohęreat, accidit quatuor propoſitionum à prædicato ſingulis præfinitionibus iuncto ſpecies effici. Sit ergo prima præfinitio omnis ſubiecto conſtructa. atq; ſi pręfinitionem etiam quampiam nectere prędicato uelimus, aut omnis homo omne animal dicemus: aut omnis homo nullus lapis, aut omnis homo aliquod animal, aut omnis homo non omne animal. Ac conſtat ſanè trium reliquarū pręter ſublatam ab Ariſto. ueras eſſe ſingulas. Sed conſtruatur præfinitio nullus ſubiecto. rurſus ergo dicemus uel nullus homo omne animal, uel nullus homo nullū animal, uel nullus homo quidam lapis, uel nullus homo nō omne animal. Conſpicuūq; eſt utráq; earum quę uniuerſalem quampiam præfinitionem prædicato coniungit ueram eſſe. quoniam ſ. quoddā animal eſt homo, quoddā non eſt. quo circa quoniam eſt quoddam animal, nō poteſt nullū eſſe. ac uera pro- B poſitio eſt illa quæ nullus homo inquit, eſt nullum animal, quoniam uero non eſt, omne eſſe nō poteſt. & uera eſt propoſitio quæ nullus homo omne animal eſt pronunciat. Vera autem & ea eſt in impoſſibili materia quæ particularem affirmatiuam præfinitionem prædicato accōmodat, ut quæ dicit nullus homo quidā lapis. ſola enim falſa nunquā non eſt ea quæ particularem negatiuam præfinitionem prædicato copulat, ſubiecto præfinitionem negatiuam uniuerſalem obtinente, ut nullus homo non omne animal, uel nō omnis lapis, uel non omne album. Nam quoniam ea falſa ſemper eſt quæ omnis præfinitionem utriq; complicat termino, patet ueram ſemper eam eſſe quæ cauſam mendacii ſummouet, hoc eſt uniuerſalem affirmatiuam præfinitionem prędicato coniunctam, ut quę omnis homo non omne animal dicit. quare huic contraria, quæ nullus, inquit homo nō omne animal eſt, falſa perpetuo erit. quippe fieri nequit ut utrę ſimul contrariæ ſint. At aliquis rurſus præfinitio ſubiecto ap- C plicetur. aut ergo aliquis homo omne animal pronunciabimus, ac ſemper falſa hæc eſt, eam ob cauſam, qua uniuerſalior, hæc quoq; omnis homo omne animal perpetuo mentitur. quamobrem & hæc ſemper, cum ab illa comprehēdatur, ſitq; ipſi conſequens, falſa erit. uel aliquis homo nullus lapis uel aliquis homo aliquod animal, uel aliquis homo nō omne animal. atque hæ omnes ueræ. Supereſt non omnis præfinitio ſubiecto copulanda. Rurſus ergo dicemus uel non omnis homo omne animal: & hęc uera eſt ſemper, ceu ſemper falſæ illi contradicens omnis homo omne animal. uel non omnis homo nullum animal atque hæc rurſus uera eſt in neceſſaria contingentiq; materia. quoniam ſcilicet falſa in his eſt quę huic contradicit, ea eſt omnis homo nullum animal aut nullum album. uel non omnis homo quidam lapis. conſtatq; & hanc in materia ueram eſſe impoſſibili. quoniam falſa in hac eſt quæ illi contradicit, nimirum hæc omnis homo quidam lapis. uel, quod reliquum eſt non omnis homo non omne animal. atque hanc rurſus nunquam non falſam eſſe contingit, ut quæ ſemper ueram hanc tollat om- D nis homo non omne animal. cauſam uero cur uerum hæc perenniter prodat, iam prædiximus: nempe quoniam uniuerſalem affirmatiuam præfinitionem tollit male ab ea quę omnis homo omne animal dicit prędicato commiſſam: neque ut uera illa ſit, in neceſſaria quoque permittentem materia, in qua ſubiecto prædicatum neceſſe eſt competat. Itaque cum ſedecim propoſitiones percenſerimus, quatuor perpetuo mentientes inuenimus, totidem ſemper ueras: reliquas & uerum & falſum nunciare in alia atq; alia poſſe materia. atque in ſemper falſis Affirmationes duas, eo conuenientes quatenus omnis pręfinitionē prędicato connectunt, differentes uero ſubiecto coniunctis affirmatiuis præfinitionibus eę ſunt, omnis homo omne animal & quidam homo omne animal. duas quoq; conſortes Negationes nō omnis præfinitione prædicato adhibenda. diſſentientes negatiuis præfinitionibus ſubiecto applicitis: nimirum has nullus homo non omne animal, & non omnis homo non oē animal. In ſemper aūt ueris duas rurſus Affirmationes, quę ſemper falſis contradicunt Negationibus omnis homo non omne

A animal & quidam homo non omne animal uel non omnis lapis uel non omne album. Negationes duas, quæ ſemper falſis Affirmationibus contradicunt nullus homo omne animal & non omnis homo omne animal uel omnis lapis uel omne album. Cæteræ omnes, ut dicebamus, & ueræ & falſæ in alia atque alia materia depræhenduntur. itaque ex iis quæ affirmatiuarum alteram præfinitionum ſubiecto adhibent, prędicato autem particularem affirmatiuam duntaxat, particularis in neceſſaria ac contingenti materia uera, uniuerſalis in ſola neceſſaria inuenitur. quippe in hac ſola competere uniuerſis prędicatum poteſt ſubiecto comprehenſis indiuiduis. in reliquis, ſcilicet mentientes, eodemq; in cæteris modo. Verum quod inſpicere ab initio propoſueramus, quam ob cauſam, cum plures ſint quæ perpetuo mentiuntur propoſitiones, ſolam reprobauit eam Ariſto. quæ uniuerſalem affirmatiuam præfinitionem utriq; termino connectit? An in cæteris particularem Affirmationem quæ quidam homo, inquit, eſt omne animal perpetuo mentiri, pro-

B pterea planè cernebat ꝙ ab uniuerſali contineretur. Negationes autem conſentire affirmationibus, quaſi per addictas ſubiecto præfinitiones, quæ negatiuæ quoq; ipſæ ſunt, particularem negatiuam tollerent prædicato coniunctam. Sic nanque uſu uenit ut, ſi negatiua particula utraque ab altera tollatur, propoſitio rurſus in priſtinam Affirmationem deueniat. Quid enim intereſt omnis homo omne eſt animal, an non omnis homo eſt non omne animal proferas? poteſtate enim uidelicet omnis homo nequaquā non omne animal eſt dicimus: uel nequaquam omnis homo non omne eſt animal. ſed omnis homo omne animal eſt: atque utriq; illam inferimus quæ à principio fuerat omnis homo eſt omne animal. Vel rurſus quid intereſt homo quidam omne animal eſt dicere, an nullus eſt homo non omne animal? hominem enim facultate iterum nequaquam nō omne animal eſſe pronunciamus: uel nequaquam nullum hominem omne animal eſſe: inferimusq; hominem quendam omne eſſe animal. Proinde dictas quoque Negationes licet ueris illis ſemper propoſitionibus refragantes uidere quibuſcū,

C falſæ etiam ſemper Affirmationes pugnabant. Nam ueræ ſemper illi Affirmationi omnis homo non omne animal, tum hæc omnis homo omne animal ſemper falſa ob prædicatum Affirmatio: tum hæc etiam non omnis homo non omne animal propter ſubiectum repugnat. quo fit ut mutuo concurrant. Cæterum dicenti quidam homo non omne animal tum hæc ſimiliter quidam homo omne animal prædicati ratione renititur: tum hæc quoque ſubiecti nomine nullus homo non omne animal: quamobrem hæ quoq; conueniunt. Quas ergo citauimus Negationes, ſi uim cum Affirmationibus obtinent eandem, qui uniuerſalem ſemper fallacem Affirmationem à propoſitionū catalogo ſimulq; conſequentem illi perpetuo particularem Affirmationem ſecreuerit, poteſt is reliquas quoque his improbandis, hoc eſt duas illas Negationes quæ, cum dictis conſonent Affirmationibus mendaces & ipſæ perpetuo ſunt, eieciſſe. Eſt enim attendendum ſemper falſis ſemper mentiendi cauſam à ſola omnis præfinitione prædicato commiſſa fuiſſe inuectam. (nanque in ipſis ineſt omnibus actu, uel poteſtate)

D eiuſq; ſublatione uerum ſemper prodentibus uerum fatendi. quippe omnes quoque hæ non omnis præfinitionem obtinent prædicato adiectam, uel actu rurſus, ut quæ in iis Affirmationes ſunt, uel poteſtate: ut Negationes. homo enim nullus omne animal propterea dictu uerum eſt, quoniam omnis non omne eſt animal. ſimiliter & non omnis homo omne animal quoniam & particularis non omne eſt animal. Quapropter iure Philoſophus à ſola omnis præfinitione prædicato deuincta reiectitias fieri propoſitiones dicit. Conſtat autem & ſi abſq; præfinitione ſubiectum capiamus, addito illi apud Græcos articulo, uel ne hoc quidem addito, idem propoſitionum quæ ſic fiunt rum iis peccatum fore quæ non ſine proditis præfinitionibus dicūtur. ſimilem enim hæc uim obtinebit quę ὁ ἄνθρωπος, ideſt homo omne animal inquit, huic omnis hō oē animal. hæc autem anthropos hoc eſt homo oē aial illi quidam hō oē animal.

A Eadē quoq; de cauſa ſi ſingularē ſubiectū aſcriſcamus, omnis præfinitionem tribuere prædicato quod de illo dicitur recuſabimus. Haud enim poteſt qui ſerio ac tanquam uero loquitur Socrates, dicere, eſt omnis homo. Atque nec ut ueræ ſemper aut quandoq; fiant propoſitiones, præfinitionem prædicato quampiam Ariſto. cenſet addendam. Sunt enim omnino ſemper ueræ non minus perpetuo mētientibus deuitandæ iis qui prolatas recenſere enunciationes abſq; ſuperuacua uarietate ſtatuerunt: ſeu quæ tre diuerſum quidquam in neceſſaria aut impoſſibili materia ſignificent: nec nobis conducant ad uerum falſumq; diſcernendum. Quin nec quæ uiciſſim admittere horum alterum ualent, præfinitionem habere aliquam debent prædicato adiunctam. Cum enim uim eandem illis obtineat propoſitio ea quæ ſine pręfinitione prædicationem facit, cur non ſimpliciores contexemus loco earum quę ſuperflua quædam aſſumuntur pro illa omnis homo quoddam animal, uel omnis homo non

B omne animal, hāc omnis homo animal eſt: & illius uice omnis homo nullus lapis hanc omnis homo lapis non eſt, uel quæ hac ſimplicior ac ſyncerioris naturæ enunciatur nullus homo eſt lapis? Siquidem & quando ueterum quoſdam inuenimus qui particularem affirmatiuam præfinitioni addere prædicato uidentur, ut cum Ariſto. Animam ipſæ Entelecheam quādam nominat, & Rhetoricem Plato peritiam quandam, dicendum eſt uerbum Quādam acceptum eius gratia illis fuiſſe, ut non reciprocare cum ſubiecto prædicatum indicaret: uerum genus eius eſſe, ac differētiarum quarundam additione egere, ut ſubiecti finitionem cōficiat. Sed quomodo non in ipſis (inquiunt) rebus Ariſto. ratio cōuincitur, ſi uerum explicamus cum omnis homo ſcietiæ omnis capax eſt dicimus: uniuerſaliq; prædicato uniuerſalem præfinitionem copulamus? Ad quod reſpondendū omnis præfinitionem non re uera prædicato coniungi. Nam prædicatur id quod fertur de ſubiecto: dicitur autem de homine nō ſcientiam eſſe illum, ſed ſcientię capacē. Quare ſi omnis pręfinitione huic uerbo capax adhibita, tūc uera eſſe poſſet pro-

C poſitio, uelut ſi diceremus omnis homo oē eſt capax ſcientiæ, utiq; ratio coargueretur Ariſto. nunc autem ut uera ſit fieri neutiquam poteſt. Qui enim hoc inquit, nō aliud quidquam ait, quam quiuis hominem, omnem eſſe hominem: Socratem uerbi cauſa non Socratem ſolum eſſe, ſed & Platonem, & Alcibiadem, & alios ſingulos. Nā ſi omnis homo ſcientię omne capax eſt, unus autē omnium eſt & Socrates; ergo is quoq; ſcientiæ capax eſt omne. quamobrem Socrates ipſæ, & Plato erit, & Alcibiades: quandoquidem ſunt & ii ſcientiæ capaces. niſi enim Socrates ipſe & Plato & Alcibiades una ſit, non erit omne ſcientię adhuc capax. Ergo uerbum omnis non hoc loco præfinitio, ſed pars eſt prædicati. hoc enim ipſum fertur de homine, ſcientiæ eſſe omnis capacem. Enim uero uerbum omnis præfinitionem nō eſſe prædicati, liquet ex eo quod huic nobis propoſitioni maiorem aliam propoſitionem nectentibus, priorisq; huius prædicatum, ipſum inquā ſcientię omnis capax eſſe, alii cuidā quod de ipſo prædicatur ſubiectum facientibus, ut concluſionem quandam ex iis colligamus, uniuerſalē illi, ceu non habenti,

D præfinitionem addimus: uelut ſi omnis homo, diceremus, omnis eſt capax ſcientiæ. omne quod ſcientiæ omnis eſt capax, rationale eſt. ergo omnis homo rationalis. Quanquā ſi omnis uerbum erat præfinitio, quid alia nobis præfinitione opus erat? ac quonā pacto licebat duas inter ſe pręfinitiones ordine proferre? Verū nec omnis pręfinitionē prędicati eſſe poſſe, nec prædicatum ſcientiam, ſed capax cōpertum eſt. cui cum earum lege propoſitionum quæ in prima figura conficiuntur ſubiectum in ſecunda fiat propoſitione, alias apud Gręcos articulū, alias uniuerſalem præfinitionem addimus. Vniuerſalem ergo affirmatiuā pręfinitionē prædicato adhiberi non oportere, ſiue ſubiecto cōmunius prædicatū ſit, ut in hac omnis homo omne animal: ſiue etiam illi adęquatū, ut omnis homo omne riſibile conſtat ex iis quæ prodidimus. Nam & in adæquatis terminis non abſimilis abſurditas eſt, propterea quoniam qui omnem hominem omne riſibile eſſe ait, particularem quemlibet pronunciat homi-

nem

nem eundem eſſe uniuerſis: Socratem exempli cauſa quoniam eſt homo, omne eſſe riſibile: id autem eſt Socratem, omnem eſſe hominem. Hoc igitur uel ex ſuperioribus patet uerbis, in quibus omnis homo omne ſcientiæ capax eſt dici non poſſe oſtendamus. nam & ſcientiæ capax cum homine exæquatur. Sed quænam eſt cauſa ut ineptum natura prædicatum ſit præfinitionis omnis additionem ſuſtinere: cum nullus copulari illi poſſe uideatur? An quoniam quod affirmatiue prædicatur, ſi de ſubiecto dicatur uniuerſaliter, uult ſemper ſubiectum ſiue ut adæquatum ueluti ipſi quadrans, ſiue quoq; ut excedens complecti: & uniuerſam præterea inuiduorum illorum multitudinem, quæ ſubiecto comprehenduntur ſuo ipſius conſortio eam ſibiipſi colligare atq; unire natura aptum eſt. Ergo quod affirmatiue prædicatur ſi cogere uel ea ſtudet quæ natura diſcreta ſunt, ut quod prius ipſum multo in ſua ipſius ſimplicitate ſpectetur, omnis autem uerbum non unum quoddam, ſed multitudinem declarat: patet fieri nequaquam poſſe ut ea inter ſe coniungantur. Nã uerbum omnis ut ſupra diſſerebat Ariſto. non uniuerſale ipſum ſignificat, ſed uniuerſaliter ineſſe. Cum autem ſeiunctum id omnino fuerit quod negatiue de ſubiecto, prædicatur, tunc & de ſubiecto quæcunq; ſub prædicatum ueniunt infitiari poſſumus: atq;, exempli cauſa omnis homo nullus lapis eſt dicere. Sed infartam propoſitionem inſtipatamq; faciemus: cum dicere ſimplicius liceat, omnis homo lapis non eſt: atq; eo ſimplicius adhuc nullus homo eſt lapis: ne in ſublatione affirmatiuam præfinitionem aſſumamus.

III.

Contradictorie igitur oppoſitam affirmationem negationi inquam eam quæ uniuerſaliter illi quæ non uniuerſaliter eadem ineſſe ſignificat: ut, omnis Homo albus, nõ omnis Homo albus: nullus Homo albus, quidam Homo eſt albus. Contrariæ uero, uniuerſalis affirmationem & uniuerſalis negationem: ut, omnis Homo iuſtus, nullus Homo iuſtus. Quamobrem ut ueræ ſimul hæ ſint fieri nequit: at iis oppoſitas licet quandoq; in eodem ſimul eſſe ueras: ut, non omnis Homo albus, & quidam eſt Homo albus.

Propoſitionum præfinitarum oppoſitiones hoc loco tradit nobis Ariſt. uniuerſas: tum eas quæ in deſcripta ſuperius tabella diametricum angulorum obtinent ſitum, tum uniuerſalium uniuerſaliter, tum earum etiam uniuerſalium quæ ut particulares appellantur. Atq; angulares quidem, quas uniuerſales uniuerſaliter nominauit, ut quæ propoſitionum alteram uniuerſaliter habent uniuerſalem, contradictorie inuicem oppoſitas eſſe ait, hoc eſt uerum ſemper ac falſum diuidere, uniuerſalem inquã affirmationẽ particulari negationi: negationemq; uniuerſalẽ particulari affirmationi. Ipſas uero uniuerſales uniuerſaliter propoſitiones, non etiã cõtradictorie, ſed cõtrarie mutuo ſeſe oppugnare, propterea quod mendaces ſimul in materia ſint contingente: in qua particulares, quas & Subcontrarias uocant, uerum ſimul inuicem fateri neceſſe eſt. quoniam tunc uera ex iis utraq; eſt cum contradictorie ipſi repugnans uniuerſalis propoſitio mentitur. quo fit ut hæ nullo inter ſe modo prælientur. Hæc autem tum ex adiectis à philoſopho patent exemplis: tũ ex iis quæ prius nos de ipſis prodidimus. D Cæterum non illud ignorandum, pro antiphaticos in Græco exemplari, ideſt contradictorie, apophanticos etiam, hoc eſt enunciatiue ſcriptum inueniri: per hoc nimirum ſignificante, ut Porphyrius philoſophus inquit, Ariſtotele, qualis affirmationis ad qualem negationem oppoſitionem cenſeat ſumendam: nempe eius capiendam eſſe quæ uelut enunciationis eſt. Siquidem & finita, ut ait, uerba affirmationum nomine, infinita negationum uocari conſueuerunt. ac ſuſpicari quis potuiſſet, niſi aduerbium enunciatiue eſſet additum, uerba de id genus uocum oppoſitione fieri. At ea quæ ſequuntur clarum eſt magis priori ſcripturæ conſonare. hac enim ratione & contrariæ dici poterunt enunciatiue obluctari: quas ceu modo quã ſuperiorum diuerſo oppoſitas Ariſtote. confeſtim adiecit.

IIII.

Quæ ergo uniuerſalium contradictiones, uniuerſaliter ſunt,

A *earum ueram eſſe alteram aut falſam neceſſe eſt. Et quæ in ſingularibus habentur: ut, albus Socrates eſt, Socrates non eſt albus. Quæ uero in uniuerſalibus, non autem uniuerſaliter, non uera ſemper altera, falſa altera eſt. quippe ſimul uerum eſt dicere, Hominem eſſe album, & album Hominem non eſſe: & Hominem eſſe formoſum, & formoſum non eſſe Hominem. Nam ſi deformis, eſt etiam non formoſus: & ſiquid fit, non eſt quoque. Videri autem illico propterea poßit abſurdum, quod hæc, non eſt albus Homo, ſimul atque illa ſignificare, nullus Homo eſt albus, appareat. hæc autem neque idem ſignificat, neque ſimul eſt neceßario.*

Propoſitionum octo illarum ex diuiſione ſubiecti emanantium quæ contradictorie ſibi obſtent inuicem, quæ contradicere uideantur, nec tamen contradicant, per hæc nobis Philoſophus tradit, dicitq; angulares inter ſe diametricas, quas uniuerſales uniuerſaliter nuncupat, quoniam uniuerſalem uniuerſaliter alteram obtinent propoſitionum, nempe B omnis affirmationem cum non omnis negatione, & negationem nullus cum affirmatione aliquis contradictorie depugnare. & præterea ſingulares, ut Socrates eſt albus, cum hac Socrates albus non eſt. Impræfinitas uero ait, quas & hic uniuerſales non uniuerſaliter uocauit, non ſibi mutuo contradicere: cum nec uerum ſemper falſumq; diuidant, ſed in materia contingente cum particularibus eandem uim obtinentes, eſſe ueri dicas: in qua uerum & illæ aſſerere comperiebãtur. Quippe ueras ſimul eſſe & eſt albus homo impræfinitam affirmationem, ſi in Scytha quopiam uerbi gratia ſumatur: & homo albus non eſt impræfinitam negationem, ſi in quoquam Aethiope. & eſt homo formoſus in Achille, uel Nireo & formoſus homo non eſt in Therſite. Hæc itaq; ſic pronunciante Ariſt. reclamantibusq; illi claris uiris ac mihi ueneratione proſequendis, par utiq; fuerit nos qui ueritatẽ rebus cunctis antiquiorem ſimul ac magis uerendam duximus, id quod uel ipſi facere nobis ſuadẽt, theorema nõ ſicco ut aiunt, pede præterire: ſed tum Ariſt. ſententiam ſcrutari, qua impræfinitas ſimul ueras eſſe propoſitiones cenſet: tum C quæ ab iis commemorantur qui contra atque ille de ipſis ſtatuunt, & ad hæc quoq; naturam ipſam rerum, & harum ipſarum per ſe propoſitionum facultatem inſpicere, ut ubi contrarias cognouerimus rationes, eaſq; res de quibus ſermo eſt, ipſas per ſe contemplauerimus, ueritatem de iis exactius diiudicare ualeamus. Ariſtoteles igitur ꝙ & prius dicebamus, idem ſonare cum particularibus impræfinitas arbitratur, affirmationem affirmationi: negationem negationi. idem namq; homo eſt albus dicentem, quidam homo albus eſt proferenti indicare. & qui non eſt albus homo illi qui homo quidam non eſt albus uel non omnis homo albus eſt enunciare. eaq; de re particulares qua in materia ſimul uerum deferunt, deferunt autem in contingente, impræfinitas quoq; in hac mutuo conuenire. An uero propoſitionibus re uera de quibus agimus uis hæc conſtet cõſideremus, atq; à notione quapiam de iis communi diiudicationis exordiũ ſumamus. Impræfinitas propoſitiones materiæ rationem ad præfinitas habere omnes confitemur. hæ ſiquidem acceptis præfinitionibus, quæ formis proportione reſpondent, præ- D finita ceu quiddam ex utroq; conficiunt. Quoniam igitur materia, ut quæ eſt in formis formam adeptis inferior omnibus eſt, ad eorumq; deteriora nec dum ea preſſam diſtinctamq; formam obtinentia, uelut obſcuriore ui prædita, neq; ipſam eſſentia multum ſuperantia propius accedit, patet impræfinitas neceſſe quoq; eſſe propoſitiones tantundem præfinitarum deterioribus ualere: itaq; contemplemur quæ deteriores eſſe ea præfinitis propoſitionibus dicendæ, atque idem ſonare iis impræfinitas affirmabimus. Præfinitarum affirmationum particularis uniuerſali dubio procul inferior eſt, propterea impræfinitam affirmationem particulari affirmationi uiribus exæquari eſt neceſſe. De negationibus uero mutuo digladiantur interpretes. ac qui Ariſto. ſequuntur, particularem uniuerſali deteriorem eſſe aiunt. quippe in oppoſitione ea propoſitionũ quæ per quantitatem fit, dignius uniuerſale eſſe particulari: ut affirmatiuum negatiuo in ea

quæ per qualitatem obitur. Alii uero deteriorem particula-
ri eſſe uniuerſalem aſſerunt, quoniam non ſolam in his pro-
poſitionibus quantitatem, ſed tum contradictoriæ qualita-
tis complexu accipimus, cuius ſanè intereſt qualitatis rerum
ſubſiſtentiam abolere. Particularis igitur negatio cum uni-
uerſalem duntaxat affirmationem ſummouere contendat,
poſsitq; particulari interdum affirmationi ut in contingen-
tibus conuenire (nam non omnis albus homo eſt, & quidã
homo eſt albus, ſimul uerum profitẽtur) ſi per uniuerſalem
negationem ſignificatio nequaquam poteſt ulla ſubſiſten-
tiæ relinqui: per particularem uero non expertes manemus
particularis cuiuſdam ſubſiſtentiæ intelligendæ, conſtat, in-
quiunt, deteriorem eſſe uniuerſalem negationem particula-
ri negatione oportere. Enimuero hæc ita ſe habere, atq; im-
præfinitam negationem uniuerſali negationi, ſi ut perfecta
propoſitio ſumatur, uiribus parem eſſe, non omnis, aiunt,
Auctorum uſus alius duntaxat, ſed ipſe quoq; palàm facit
Ariſt. qui pluribus ſuorum uoluminum locis impræfinitam
negationem pro uniuerſali uſurpat: ceu cum uult, fieri non
B poſſe ut motus ipſe per ſe ſine rebus quæ moueãtur ſit, pro-
nunciare, non eſt motus, inquit, præter res ipſas: ac ſine præ-
finitione negationem facit: perinde atq; ſi diceret, ubi à re-
bus diſceſſeris nullus eſt motus: non autem non omnis. &
cum ſenſum nullum eſſe præter quinq; illos uelit aſſerere,
non eſt, inquit, præter illos quinq; alius ſenſus. ergo cum nõ
eſt homo etiam iuſtus dicimus, idem illi proferimus nullus
homo eſt iuſtus. Quod ſi quis Anytum putet ſubaudiendum
ut non eſt homo iuſtus Anytus uel non eſt Aethiops albus
homo negationemq; impræfinitam hanc non eſt homo iu-
ſtus idem illi non omnis homo iuſtus eſt pronunciare arbi-
tretur: & hanc non eſt albus homo illi non omnis homo eſt
albus, primum quidem non amplius, inquiunt, perfectam eſ-
ſe propoſitionem ſinit. deinde nec ea ſeruabit quæ Ariſto.
de negationum cum affirmationibus oppoſitione prodidit.
eæ enim inter ſe oppoſitæ cenſebantur quæ eundem ſubie-
ctum, prædicatumq; eundem capiunt: cum diceba, Eam por-
C ro oppoſitam eſſe inquam quæ eiuſdem de eodem eſt: non
æquiuoce autem: & quaſcunq; id genus præfinitiones alias
aduerſus moleſtas Sophiſtarum argutationes adhibemus.
Si uero iuſtus homo eſt dicente affirmatione, uerumq; pro-
pter Socratem proferente, negationem eius homo iuſtus
non eſt ueram propter Anytum eſſe arbitraremur, ſubiectũ
in negatione aliud ab eo faciemus quod eſt in affirmatione
acceptum: nec faciet hoc contradictionem. Quapropter ſi
contradictionis ſignificatum ſeruabimus, impræfinitasq; ue-
lut perfectas propoſitiones aſſumpſerimus, neq; ipſis uelut
per ſe ipſas imperfectis ſingulares ſubiectos quoſdã ſubau-
diendo efficiamus ut in ſingularium ſpeciem decidant, ne-
ceſſe eſt inquiunt impræfinitam negationem uniuerſali eſſe
conſentaneam. Hoc ergo cum ita ſeſe habeat impræfini-
taq; affirmatio particulari concurrat, ut cum homo dicimus
quinq; cubitorũ eſt magnitudine (ueros enim nos eſſe hoc
dicto arbitramur, uel ſi ſolus unus ſit qui eo creuerit magni-
tudinis) impræfinitas propoſitiones contradictorie inter ſe
cenſeri eſſe oppoſitas: quo ſeſe modo affirmatio quoq; ha-
D bet particularis atq; uniuerſalis negatio. Siquis uero eligen-
dam magis eſſe in malis uniuerſalem negationem particula-
ri negatione aſſerat, primum quidem non rerum naturas in
Logica facultate inſpici, ſed uocum per ipſarum poteſtatẽ
ignorat. deinde ne ſic quidem poterit conſentientes inter ſe
impræfinitas propoſitiones demonſtrare. conſtat enim ma-
gis eligendam in magis particularem eſſe affirmationem uni-
uerſali affirmatione eodem ſenſu dicturos. Nam ut omnino
non eſſe præſtat quam ex parte non eſſe, ſic & eſſe ex parte
quàm omnino eſſe ſatius eſt. Itaq; impræfinitam in his affir-
mationem ſimul cum uniuerſali affirmatione, ut quæ parti-
culari deterior eſt, ueram eſſe continget. at enim negationem
in his cenſebat ſimul cum particulari negatione eadem de
cauſa uerum fateri. Ergo obſiſtenter & in malis eo modo im-
præfinitæ quo uniuerſalem affirmationem particularis op-
pugnat negatio. fieri uero neutiquam poteſt ut hæ mutuo
concurrant. quocirca ita quoq; nunquam non uerum & fal-

A ſum impræfinitæ propoſitiones diuident. Quod ſiquis im-
præfinitam cenſeat negationem particulari quandoq; alias
uniuerſali concurrere negationi, quippe ſi uerbum eſt acuta
penultima, hac in propoſitione apud Græcos ἄνθρωπος δίκαιος
οὐκ ἔστιν hoc eſt homo iuſtus non eſt capiatur, idem cum
hac οὐδεὶς ἄνθρωπος δίκαιός ἐστι. i. nullus homo iuſtus eſt,
dicere: ultima uero acuta huic οὐ πᾶς ἄνθρωπος δίκαιός ἐστι. i.
non omnis homo iuſtus eſt, conſonare, Primum non per-
ſuadere, ſed legem nobis ferre exiſtimari poterit. deinde ad-
uerſus hunc dicendum eſt, uerbum ultimam in fine acuens,
Græcorum inſolens atq; in auditum eſſe uſui: tametſi quo-
ties in loco negatiuæ particulæ ſubiungatur. Ergo ſi uerbo,
eſt, penultimam acuente impræfinitam negationem idem
uniuerſali uel ipſe fatetur aſſerere, ſemper autem acui ab eo
penultimam in id genus propoſitionibus neceſſe eſt, liquet
eum uniuerſali concurſuram negatione, contradictionemq;
ſuæ affirmationi eſſe facturam. atq; hæc quidem Ariſto. re-
fragantium ratio eſt. An uero ſingulis argumentatione aſſer-
tis licet occurrere, ac neq; rationi conſentaneum uniuerſalẽ
B negationem particulari deteriorem eſſe dicere, ſi qualitate
non differunt: quantitate uero ſola cõparandis inter ſe pro-
poſitionibus, uniuerſalem particulari, ut totam parte, non
aſcitis rebus de quibus decernunt, præſtantiorem eſſe con-
fitemur. Haud enim amplius quod propoſuimus, hoc pa-
cto ſeruabimus, iudicium inquam de ſola ea fieri propoſi-
tionum differentia quæ in quantitate ſpectatur, neq; eſſen-
tiam aliquam à particulari per ſe negatione inuehi: ſed uni-
uerſalem affirmationem duntaxat tolli, nihiloq; eam minus
uniuerſali abnegare, ſed quandoque de paucioribus tantũ.
quamobrem & illi ſubiecta penes quantitatem dicitur: quẽ-
admodum & particularis ſeſe affirmatio ad uniuerſalem af-
firmationem habet quod ſi impræfinita negatione pro uni-
uerſali uti uidetur Ariſto. nihil mirum eſt. ei nanq; quomodo
& particularis, in impoſsibili materia conſentit, liquet autem
ſupradictas fuiſſe iuxta hanc a Philoſopho pronunciatas
negationes. Non enim contingere ut motus pręter res quæ
C moueantur ſit ullus, aut ſenſus aliquis præter quinq; illos,
ſed fieri nequaquam poſſe arbitratur. Atq; ſi ea Veterum
nonnulli in materia contingente ſic abuſi fuiſſe uideantur,
ceu quæ uniuerſali tantundem ualeat, atq; in quibus illa, ue-
ra ſit. (Hoc.n. eſt tantundem ualere) manifeſtum eſt non id
abſq; ullo factum eſſe diſcrimine. ſiquidem ibi impoſsibilem
ipſam pro contingente eſſe non diffitebimur. (Nam in mate-
ria ſola impoſsibili, uera uniuerſalis negatiua eſt propoſitio
in neceſſaria & contingente, id quod ante monuimus, falſa.)
ſed tunc circunſcriptam tempore ac definitam, non eſſe ue-
bi gratia. hac tempeſtate iuſtum aut ſapientem hominem, tũ
indiuidua diſtinguentem, uelut iuſtos non eſſe aut ſapientes,
eos qui uel ex conſuetudine ſunt, uel etiam ex auditu nobis
cogniti. haud.n. ſanè hoc de quibus notitiam nullam uel ex
ipſa experientia, uel ex teſtimonio habemus niſi homines
odio magis Cnemone ac Timone proſequamur, pronun-
ciare audebimus. ceu nullo pacto eius rei conſortibus cuius
particeps eſſe humana ſolet natura: perinde quaſi contingẽs
ita ſit ut ſuppoſuimus. hoc autem idem non eſt uniuerſali ne-
D gationi. Qui enim uel actu uel animo præfinit indiuidua;
quorum prædicatum negat, dubio procul is concedit quan-
dam ab illo quandoq; in cæteris ſubſiſtentia haberi. Demum
ſi pro uniuerſali impræfinitam negationem, atq; Minime li-
cet habitare ſine malo domum & non bene permulti impe-
titant. uere pronunciauerimus, in qua nos materia negatione
eſſe uſos indicabimus? Nam ſi in impoſsibili, nihil erit pro-
poſito conſentaneum. ſin in contingente (nam & in hac pro-
latas eſſe oportet propoſitiones ſi idem perpetuo ualent,)
primum quidem uſu ueniet falſas non eſſe amplius uniuer-
ſales in contingente, quamuis ipſas ob eam rem contrarias
appellemus. deinde id confirmari ab illis ipſis quod Ariſto.
aſſerit planè aſſentiemus, impræfinitas ſimul in contingente
materia eſſe ueras. Nam ſi negatione ut uera utuntur, de affir-
matione autem neq; extitit, neq; ulla exoriri poteſt contro-
uerſia, quaſi uerum in contingentibus non omnino ediſſe-
rat, quemadmodum nec de particulari ambigitur, apertum
eſt

eſt impræfinitas ſimul inter ſe propoſitiones ueras eſſe neceſſario. Verum ſi quis impræfinitam negationem non ſecus atque uniuerſalem in impoſsibili ſola materia eſſe putet ueridicam, primum id quod in quæſtione eſt poſtulabit. deinde quomodo non ſorte diſtributiuum ſit, à ſubiecto idem illi ſignificante qui cum aliquis præfinitione in impræfinita affirmatione iungitur, uel nullo quod actu ſit ſingulari capiẽdo & perfectam fieri propoſitionem & ueracem in contingente materia confiteri: horum neutrum in negatione concedere? Cur enim hæc, Homo albus eſt idem ualet illi quidam homo eſt albus: hæc autem homo albus non eſt nõ pares illi uires obtinet quidam homo non eſt albus, non albũ eſſe hominem ſignificanti? Neceſſe enim nequaquam eſt finita indiuidua ac certa impræfinitis, ut ueræ ſimul ſint, ſi neq; particularibus, ſubaudire. Hanc autem eſt homo formoſus ſi ueracem propter Nireum eſſe, illam uero non eſt homo formoſus ob Therſiten diramus, neque ob id imperfectas propoſitiones, neque ſubiectos diuerſos facimus: niſi eadẽ & in particularibus quærenda ſint, quas & perfectas eſſe, & uerum inter ſe explicare cõſitemur. quanquàm eas propter ſubiecti partes diuerſas, ueras eſſe affirmabimus: quemadmodum illas: ut quidam eſt iuſtus homo, quidam homo iuſtus non eſt. Quod ſi uelut abſurdum inferamus, non ab iis, ſi ita capiantur, contradictionem fieri, nihil aſſeremus quod Ariſtot. uerbis quibus de ea re prodidit, repugnet. ipſum enim hoc eſt, his uerbis exprimitur, non fieri quam proprie uocãt contradictionem, quoniam quandoque concurrunt. Hæc itaque pro Ariſto. magis uero pro ea quæ nobis uidetur ueritate ceu defenſores aſſerimus. quodq; ab initio propoſuimus, materia nobis uberius ſeſe ad theorematis diiudicationem ſuggerente, quæ in mentem uenere, ſemotis rationibus iis quæ de illo ſunt in utranq; partem depromptæ diligentius conſiderare operæpretium eſſe ducimus. ac Primum ſane aggredi nos particularem affirmationem quam impræfinitæ eadem ui præditam eſſe nequaquam inficiamur, negatiua ipſi copulanda particula ſummouere. id quod facimus duobus modis. quippe hanc uel eſt uerbo, uel præfinitioni coniungimus. Verum cum præmittimus illam præfinitioni tunc ut præfinitam propoſitionem abolemus. quando autẽ uerbo eſt perinde atq; cum impræfinita uiribus æquis pollẽtem. ſiquidem eam & præfinita ſola præfinitione ſuperauit. negationem autem impræfinitæ in ſolo eſt uerbo neceſſe eſt fieri. At uero ſi inficiatio quæ uerbo eſt particulam negatiuã copulat, particularis eſt, quemadmodum uniuerſalis illa quæ eam ipſam præfinitioni anteponit, ergo & impræfinitæ affirmationis negatio eandem cum particulari uim obtinebit. Præterea ſyllogiſticas quæ in prima figura complexiones ſunt par eſt contemplari. Nam ſi impræfinitam affirmationẽ idem ualere particulari, ob idq; in quanto uniuerſaliũ utraq; deteriorem eſſe, concluſionemq; ſimilem alteri ſumptarũ in ſyllogiſmo propoſitionum, prorſusq; eſſe in quanto & quali deterioris comitem, & ad hæc etiam uerum indicantibus propoſitionibus, nec uitioſo inter ſe complexu laborantibus, neceſſario ueram eſſe concluſionem fatemur, qualem dicemus ex impræfinita affirmatiua minore concluſionem colligi & uniuerſali negatiua maiore? neceſſe eſt n. aſſentiamur propter ea quæ præſumpſimus impræfinitam negatiuam conficiat: ac ſi ueræ illæ ſint, ueram. Qui uero fieri poſsit ut uera ipſa per ſe ſit in contingente materia, ſi idem cum uniuerſali loquatur negatione: ut homo eſt iuſtus, nullum iuſtum iniuſtum eſt, homo iniuſtus non eſt, utrum hanc cum uniuerſali, an cum particulari ueri conſortem eſſe pronunciabimus? Sed nec dum prioris rationes utpote nihil ueri aſſerentes improbamus. uidentur enim, ſi mihi dicendum eſt quod ſentio, neq; poſterius acceſſitis repugnare rationibus: ſiquis hoc, quo maxime utriq; nituntur, ſublato, nempe iuſinitam negationem alteri dumtaxat præfinitarum, nec unquã reliquæ eſſe conſonam, ne iis uelut æquus arbiter iudicium ferat. Fortaſsis enim pro utraq; ipſam capi dicendum eſt, idq; non per accidens, ut in impoſsibili materia: in qua uſu quoq; euenit ut præfinitæ mutuo negationes concurrant, ſed ex ſeſe pro notionibus enunciantium diuerſis. idcirco

A & ſimul cum propria affirmatione uerax eſſe poteſt: & alioſicut dictum eſt, illi atque alio mentis ipſam proferentium conceptu contradicere: ut quæ nullam ipſa per ſe certam in quanto poteſtatem habeat. quamobrem utraq; earum etiam diſputationum quæ pugnare uiſæ ſunt, pluribus idoneis uti rationibus forſitan potuit. Porro hæc uere à nobis pronunciari, diſcere ex eo poſſumus, q; æquis inter ſe omnium conſenſu uiribus conſtat impræfinita particularisq; affirmatio. Ob id uero & propoſitiones illæ quæ negatiuam particulã uerbo eſt uel actu, uel poteſtate in ipſis accepto anteponũt. In particularibus autem, quæ ita ſit, ut uoce affirmatio quodammodo propterea eſſe uideatur, quoniam non eſt negatiua particula præfinitioni coniuncta: uim autem obtineat negationis, id quod planius poſthac demonſtrabimus, ea quandoq; uniuerſali, interdũ particulari idem ualet, quoniam poteſt negans particula & ad ullus præfinitionem, & ad prædicatum exaudiri. ac ſi præfinitioni addatur, idem quod nullus, ſi prædicato idem ſignificat quod non omnis. Nam ubi

B immortalem non eſſe ullum hominem audiuerimus, ſi uerbum non eſſe ullo iunctum intelligamus, idem putamus atq; nullum indicare. quod euidentius apparet ſi dictio non uel non eſt ante ullus ſtatuatur in hoc. Non ullus eſt mortalium qui liber eſt: nõ eſt ullus homo immortalis quod οὐκ ἐστί τις Græci dicunt nimirum τὶς ad ἐστί accentum referente, ſuũq; nequeunte tonum ſuſcipere. Ad hoc audito homo quiſpiã in ſenectute non caneſcit uel præditus non eſt quinis digitis, ſi uerbum non eſt ad partem hanc propoſitionis in ſenectute non caneſcit uel non quinis præditus digitis eſt intelligatur, id quod poſt homo quiſpiam diſtinguentibus nobis planius accidit, propoſitionem idem illi ſignificare exiſtimamus quod eſt talem quempiam non eſſe & ibi non omnem eſſe talem, ut in hoc uerſu, Ac quoddam effutiit uerbum, quod non quoq; dictum præſtaret. hoc enim perinde eſt ac ſi diceremus quoddam ex proditis uerbis effari non oportuiſſe. Ac ueram propoſitionem à priore exemplo effici in materia impoſsibili arbitramur, à ſecundo ueram per ſe in contingente: propter uniuerſalem uero in impoſsibili. Sin

C autem in priore uerbum non eſt ad immortale, in ſecunda uero ad quiſpiam ſine ullus referatur, particularem eſſe illã ac, tanquam impoſsibilis materia ſit, uniuerſalis beneficio ueram putabimus. hanc uero uniuerſalem: falſamq; omnino in materia contingente. Quare & impræfinita dicendum eſt negatione ſignificari utrunq;, uniuerſale & particulare, pro enunciantiũ, ut ſæpe proditum eſt, notionibus: ſi rurſus uel ut ullus præfinitioni, quæ poteſtate in impræfinita continetur affirmatione, uel ut prædicato negatiua particula iungatur. magis tamen hanc quoq; ad uniuerſale declinare tunc ducimus, cum inficiationis principium à negatiua particula ſumimus: dicimusq; non eſt homo pennatus, aut iuſtus. & aut uerum profitemur, aut etiam mentimur. Iccirco & omnes forſitan qui impræfinitam negationem pro uniuerſali protulere, illam hoc pacto uſurpaſſe uidentur, atq;. Non eſt motus præter res ipſas dixere, & Non eſt ſenſus præter quinque illos, & Minime licet habitare ſine malo domum & Non bene permulti imperitant, & Non ullus eſt mortalium qui liber eſt. Quod ſi & ea quæ circa uniuerſalem affirma-

D tionem accidunt operæpretium eſt eadem ratione ac uia cõtemplari, quandoquidem in ſequentibus Ariſtot. id genus quoq; meminerit propoſitionum, & in hac profecto dicendum eſt, poſita ante eſt negatione, cum uel ad omnis poſsit, uel ad prædicatum exaudiri, uſu uenire ut propoſitio, ſi uelut omnis præfinitionem ſummoueat, idem particulari polleat negationi. id quod rurſus manifeſtius apparet, ſi uerbũ non eſt in propoſitionis initio ſtatuatur, ut in hoc non eſt omnis homo ſapiens. ſin adimat prædicatum, eadem ui cum uniuerſali negatione, prædita ſit, ut omnis homo ſapiens eſt & ſapiens non eſt, quæ perinde ualent ac neminem ſapientem eſſe. hæc autẽ non in iis duntaxat propoſitionibus euenire quæ ex tertio apprædicato conſtant, ſed iis etiam quæ ex ſubiecto & prædicato exiſtimabimus, ut aliquis homo non ambulat, uel non ambulat omnis homo. & omnis homo nõ ambulat, uel nõ ambulat omnis homo. In his etenim

prima, dilucidusq; adhuc tertia non negationem obtinentes prædicato adiunctam, quantum idem ſeruare cum primitiuis affirmationibus oſtēduntur: negatiua uelut particula in eidem prædicato conſtructa: neq; admodum ad aliud quid quam exaudienda. Reliquæ cum negatiuas habeant particulas quæ conſequentes ipſis præfinitiones tollere uidentur, declinare ad oppoſitum quantum magis apparent. Quam obrem & impræfinita negatione eadem rurſus afferemus quæ in particulari negatiuam particulam obtinente non præfinitioni, ſed prædicato coniunctam. Neutraq; earum diſputationum quæ altercari initio putabatur, prorſus uidetur à ſcopo aberrare. Nobis itaq; impræfinitam negationem pro utraq; determinatarum capere ratio permittit. cæterum non ea ueterum quiſpiam pro particulari uſus cernitur. quaſi obſcurius id fortasſis indicante: quo etiam pacto declarauimus. quando & præfinitæ ex negationes quæ negatiuam particulam uerbo eſt præponunt, rariores ob id ſunt apud ueteres iis quæ præfinitionibus ipſam copulant. Quod ſi ex impræfinita affirmatiua minore & uniuerſali negatiua maiore impræfinita quæ colligitur negatiua concluſio particulari nunquam non uidetur, nonnunquam uniuerſali conſonare, nihil eſt quod mireris, Neceſſe eſt.n. in primæ figuræ concluſionibus de ſubiecto in minore poſitione ſumpto prædicatum appellari non ſolum nomine, ſignificatoq; eodē manente, ſed etiam quantitate. quoniam & in hac figura quantitatem accidit concluſionis ex minoris ſequi quantitate. Quapropter ſi in illa prædicatum, ceu nonnulli competens ſubiectorum, eſt poteſtate acceptum, in concluſione quoq; cuidā dicetur ineſſe illorum. quod in iis clarius apparet coniugationibus quæ ex particulari affirmatiua minore & uniuerſali abnegatiua maiore concluſiones colligunt particulares negatiuas: ut quidam eſt homo iuſtus: nullum iuſtum iniuſtum eſt, homo igitur quidam iniuſtus: non eſt. cui pro modo ſupradicto tantundem hoc ualet, homo iniuſtus non eſt. ut.n. paucis abſoluam, negatio in ſingularibus, quæ ne imaginem quidem ullius in quantitate admittunt diſcriminis, eandem ex neceſsitate affirmationi quantitatem ſeruat. in omnibus autem iis quæ uniuerſali ſubiecto utuntur, eaq; de re inter uniuerſale & particulare eſſe ancipites ualent, ſi fuerit in quantitate affirmationi uel actu, uel poteſtate oppoſita, contradicens erit. ſin in uerbo eſt uel actu rurſus in propoſitione, uel poteſtate comprehenſo, non item. ſed in uniuerſaliter uniuerſali, ea quæ ſimul quandoq; mendax eſt: in cæteris, quæ poteſt concordare. Hæc cum enucleauerimus, conſideremus deinceps argumenta Ariſto. quibus impræfinitas concurrere mutuo propoſitiones in contingente materia cenſet aſſerere. Duæ itaq; cum ſint argumentationes, una à contrariis, altera à non cōtrariis probationis aggreſſum mollitur. Contrariorumq; exempla, formoſum ac deforme: nō contrariorum, quod ſit, quodq; eſt accipit. hæc autem non ſunt contraria: ſi in ipſum eſſe iter eſt generatio. atq; à contrariis quidem hunc in modum argumentum prouehitur. Impræfinitas affirmationes duas inter ſe ueritate conſentientes capit contrariisq; utentes prædicatis, tum hanc eſt homo formoſus tum illam deformis homo eſt. quarum prior uerax propter Nireum uerbi gratia, ob Therſiten altera deprehenditur. (Nam impræfinitas affirmationes particularibus affirmationibus diximus eandem dubio procul facultatem obtinere) ergo ſi ueræ ſimul hæ quidam formoſus eſt homo & hæc, homo quidam eſt deformis: profecto & quæ impræfinite pronunciantur ſimul uerum commonſtrat. Alterā igitur ex ſumptis hoc pacto affirmationibus cum idem ſonare alterius oſtendat negationi, colligit uſu uenire ut affirmatio in id genus propoſitionibus ſuæ ipſius negationi concurrat. ſimul.n. cum hac inquit deformis eſt homo uera illa eſt homo eſt non formoſus. nam qui deformis eſt, patet poſſe non formoſum hunc eſſe. cum illa autem eſt homo non formoſus hæc non eſt homo formoſus. qui.n. non formoſus eſt, liquet formoſus ut ſit nequaquam licere. Quare huic ſimul affirmationi eſt homo formoſus illa non eſt homo formoſus, uera erit negatio. Videtur ergo, id quod ante memorabamus, ad uniuerſale magis declinare à negatiua particula

A incipiens impræfinita negatio. perinde quaſi negatiua particula ad aliquis ſiue ullus præfinitionem, quæ facultate in impræfinita ineſt affirmatione, commodius exaudiatur. Verum ſic quoq; utitur illa Ariſto. ut quæ particularem exæquet ueribus: quaſi uel hoc modo poſſit negatiua particula non aſcititæ præfinitioni, ſed prædicato coniungi. A non contrariis uero argumentum ſimili cum illo ratione progrediēs quod à contrariis deductum eſt, talem enim habet. Duas rurſus affirmationes ſumit impræfinitas, tum eam quæ eſt homo: tum illam quæ homo ſit dicit. quarum uera altera propter illum qui actu eſt, altera propter eum qui in utero fingitur, habetur. Illam ergo quæ homo non eſt inquit homo ſit proferenti ſimul ueram eſſe cenſet, nam qui homo ſit, nōdum eſt homo. Hæc igitur homo ſit ſi ſimul cum hac homo eſt uerum pronunciat, huic uero ſit homo illa, non eſt homo conſentit, conſtat huic homo eſt illam homo non eſt ſimul ueracem futurā, id quod oſtendere ab initio propoſuimus. Cæterum quæſiuerit quiſpiam quonā pacto cenſuerit prorſus Ariſt. propoſitionum harum oppoſitionem contradi-
B ctionis nomine uocandam, cum ſimul uerum eas fateri autumet, finiendaq; in Reſolutoriis contradictione, oppoſitionem eam eſſe prodiderit cui medium ex ſeipſa nullum intercedit: Et uero in prædicamentis: in quibus oppoſitorum ſpecies diſcernebat ea quæ ut affirmatio negatioq; opponuntur, eo differre ab aliorum obiacentium oppoſitionibus dixerit, q̄ in ſolis his alterum uerum eſſe, alterum falſum neceſſe ſit. Quonam is igitur modo qui hæc ubiq; decernit, hic par eſſe arbitratus eſt propoſitionum earum oppoſitionem quæ ut ipſe affirmat, ueræ inter ſe ſunt, impræfinitarum inquam, contradictionem nominare? Cum enim quæ ergo uniuerſalium cōtradictiones uniuerſaliter ſunt, ante dixerit, ſubiunxit, quæ uero in uniuerſalibus, non autem uniuerſaliter: quaſi harum quoq; oppoſitio contradictionis uocabulo nuncupetur. Itaque ad hanc quæſtionem contradictionis nomen dicendum eſt pro affirmationis ac negationis pugna capi interdum quæ uerum ſemper falſumq; diuidāt, ut palàm
C tum ex iis ſit quę in prædicamentis diſſeruit: tum ex finitione illa contradictionis quæ in Reſolutoriis redditur, quandoq; uero cōmunius oppoſitionem abſolute omnem affirmationis ac negationis quæ eodem ſubiecto, eodemq; prædicato utuntur. declarat uero id in ſequentibus, cum non omnem inquit ueram eſſe aut falſam contradictionem, quod perinde eſt ac ſi neceſſe non eſſe omnis partem alteram falſam. Quod ſi in prædicamentis oppoſitarum affirmationū & negationum una rerum aſſerente mentiri altera, & mentiente uera eſſe prodebatur, neq; exactam de his diſputationem affirmabimus in opere illo inſtitutam: ſed de ſingularibus ſolis illic propoſitionibus diſſeruiſſe Philoſophum: quę inuicem ſecundum eam contradictionem quæ proprie dicitur dubio procul contradicunt. Poſt eas autem argumentationes quibus ueras ſimul eſſe impreſinitas propoſitiones aſſeruit, eti ipſe quoq; animaduerteret ſi minus probabilia uiſum iri aliquando nonnullis propterea dicere quoniam pręſe ferat impræfinita negatio nō particulari, ſed uniuerſali cōuenire, {Illico} inquit audientibus (illico autem dicit, pro ita
D primo appulſu, & inconſiderate, atq; inexplorate) quod de impræfinitis præceptum tradidit propterea uiſum iri abſurdum, quoniam hæc non eſt homo albus quæ impræfinita eſt negatio, idē illi nullus eſt homo albus ſignificare uideatur. q̄ ſi re uera ſeſe ita haberet, cum impræfinita affirmatio nullo diſſentiente particulari ſemper affirmationi concurrat, ſemper, omnino impræfinitæ propoſitiones uerum ac falſum ſecernerēt: quo modo affirmatio particularis atq; uniuerſalis negatio. Nunc uero neq; idem dictæ inquit negationes impræfinita atq; uniuerſalis ſignificant: neq; ſimul neceſſario uerum profitentur, nimirum hoc uelut aliud præter id addens quod eſt idem indicare. ſunt enim quæ non idem ſignificent propoſitiones: ſimul autē ueræ ex eo ſint q̄ ſe mutuo ſequantur: ut impoſſibile eſt eſſe hominem pennatum & neceſſe eſt non eſſe pennatum hominē: harum autem uerum proferente uniuerſali, impræfinita quoq; uera eſt. non tamen contra. Hactenus proceſsit oppoſitionum earum cōtemplatio,

templatio, quæ in propoſitionibus ineſt ex ſubiecti diuiſione proficiſcentibus.

V.

Porrò & inficiationem unam conſtat unius affirmationis futuram. idem enim quod affirmauit affirmatio inficiari oportet negationem, atque ab eodem uel aliquo ſingulari, uel uniuerſali quopiam uniuerſaliter aut non uniuerſaliter ſumpto. Id autem intelligo, ut, eſt Socrates albus: non eſt Socrates albus. Quod ſi aliud quidquam ab eodem negauerit, aut idem ab alio, non oppoſita erit, ſed ab illa diuerſa. Huic uero omnis homo albus, illa, non omnis homo albus, & huic, quidam homo albus, illa, nullus homo albus, rurſus huic, albus homo eſt, illa, non eſt albus homo. Itaque explicatum eſt unam eſſe affirmationem uni contradictorie oppoſitam negationi: ac quænam ſint illæ. Aliasq́; eſſe contrarias: & quænam eæ quoque ſint. Neque omnem ueram eſſe, aut falſam contradictionem: & quamobrem: ac quando uera ſit aut falſa.

Oppoſitiones omnes perſecutus Ariſtote. propoſitionū; quoddam uelut corollarium colligit, docetq́; nos his uerbis cum una affirmatione ſolam unam poſſe negationem depugnare: plures unā non poſſe. Quomodo ergo hoc ex ſupra dictis colligi dicemus? An quia uniuerſali uniuerſaliter affirmationi duæ refragari negationes uidebantur uniuerſalis uniuerſaliter, & particularis. ex quibus particularis re uera illi contradicere, uniuerſalis in materia contingente conuinci ſimul cum ea mendacii deprehendebatur. Eodem pacto & aduerſus particularem affirmationem duæ uidebantur negationes illæ quas ante diximus decertare. harumq́; uniuerſalis ipſam planè oppugnabat, ut quæ cum ea uerum ſemper ac falſum diiungit. particularis autem in materia cōtingente concurrere illi comperiebatur. Hoc igitur cum nobis tradat, unam negationem unius eſſe affirmationis, atque eius rei cauſam afferat. {Idem enim (inquit) Quod affirmauit affirmatio inficiari oportet negationem atq; ab eodem.} idem autem dicit prædicatum. ab eodem uero, nempe ſubiecto. Nam præmonitum eſt ſæpenumero, propoſitiones illas neceſſe eſſe eodem ſubiecto uti ac prædicato quæ contradictorie inter ſe ſunt oppoſitæ. Deinde quaſi propoſitionum factam à ſubiecto diuiſionem ad memoriam nobis reuocās, {Vel aliquo, (inquit,) ſingulari: uel uniuerſali quopiam uniuerſaliter aut non uniuerſaliter ſumpto: } Dicit autem uel aliquo ſingulari de oppoſitione ſingularium uidelicet propoſitionum. illud autem uel uniuerſali quopiam de omnibus abſolute uniuerſale ſubiectum uſurpantibus & horū illud uniuerſaliter de impręfinitis, rurſus illud aut nō uniuerſaliter de impręfinitis pronunciat. Deinde appoſitis ſingulariū exemplis, cum ait, {Vt eſt Socrates albus. non eſt Socrates albus,} prius quàm propoſitionum aliarum exempla ſubiungat, ad cuius rei differentiam proditum ſit exponit idem, quod affirmauit affirmatio negari à negatione oportere, dicitq́;, {Quod ſi aliud quidquam ab eodem negauerit, aut idem ab alio, non oppoſita erit: ſed ab illa diuerſa.} Hoc autem eſt, ſi aliud quodpiam inficiatio prædicatum negauerit, nec id quod affirmauit affirmatio: ut dicente homo albus eſt affirmatione homo iuſtus nō eſt dicat negatio, non hæc erit negatio proditæ affirmationis, ſed ab illa diuerſa. erit enim illius negatio homo albus non eſt. At hæc homo iuſtus nō eſt prædicato ab hac differt, homo albus non eſt. Similiter quoq; ſi ab alio quopiam ſubiecto inficiatio prædicatum negauerit, neq; ab illo de quo affirmauit ipſum affirmatio, hæc rurſus affirmationis illius negatio non erit. Huius nanq; homo ambulat quiſnam negationem eſſe hanc putet, equus nō ambulat? Eſt enim manifeſtum huius homo ambulat, hanc homo non ambulat ueræ negationē eſſe. illam uero equus non ambulat ab ea ſubiecto termino differre. Hæc interfatus reliqua addit exempla propoſitionum, atque inquit, {Huic uero omnis homo albus,} uidelicet aduerſatur (nam hoc de foris oportet ſubaudiamus) {Illa non omnis homo albus. & huic quidam homo albus illa nullus homo albus. rurſus

A huic albus homo eſt illa non eſt albus homo} quarum præfinitæ, uidelicet aliæ ſunt: aliæ impræfinitæ. Deinde ea concludens quæ corollario commemorauit, {Itaque explicatum eſt, (inquit,) Vnam eſſe affirmationem uni contradictorie oppoſitam negationi, ac quænam ſint illæ.} Pec cenſuit enim ſpecies omnes propoſitionum, tum ſingularium, tum præfinitarum, impræfinitarumq́; etiam, idq́; accidere in uniuerſis oſtendit. Et uero reliqua ex iis quæ de propoſitionum locutus eſt oppoſitionibus concludens inquit, {Aliasq́; eſſe contrarias.} Alias autem uocat, nimirum ab iis quæ contradictorie ſunt oppoſitæ. {Et quænam eæ quoq; ſint: } uerbo explicatum eſt communiter tum hic ſubaudiendo: tum in iis quæ deinceps ueniunt dicenda. {Neq; omnem ueram eſſe aut falſam contradictionem.} Hoc ipſum porrò quid indicet iam declarauimus, nempe ipſum affirmare à contradictionis eius partibus quæ communis dicitur, ſignificatq́; oppoſitionem quamlibet affirmationis ac negationis iiſdem utentium B terminis in omnino uerum ac falſum dirimi. Hoc autem impræfinitarum gratia dictum eſt propoſitionum, quas in cōtingente materia ſimul eſſe ueras ea de cauſa cenſebat, ꝙ particularibus propoſitionibus concordent id quod ipſi uerba indicant illa {Et quamobrem.} illud quoq; {Ac quando uera ſit aut falſa,} de impræfinitis & ipſum propoſitionibus fertur. Nam in cæteris præter contingentem materiis neceſſaria inquam atque impoſſibili hę quoque uerum ac falſum ſecernunt.

V I.

*Vna autem eſt affirmationi atque negatio quæ unum de uno ſignificat. ſiue uniuerſale ſit uniuerſaliter: ſiue non ſimili modo: ut, omnis homo albus eſt, non omnis homo albus eſt: eſt homo albus: non eſt homo albus: nullus homo albus, quidam homo eſt albus, ſi album unum ſignificat. Quod ſi duobus unum ſit inditum nomen ex quibus unum non conſtat, non una eſt affirmatio, neque negatio. Siquis uerbi cauſa nomen tunicam equo imponat atque homi*C *ni, dicatq́; albam eſſe tunicam, non hec affirmatio una erit neque negatio una Nihil enim refert ita, an hominem & equum, eſſe album dicas. hoc autem perinde eſt, atque ſi homo eſt albus, & equus albus eſt dixeris. Ergo hæ ſi multa ſignificant pluresq́; ſunt, conſtat primam quoque uel plura uel nihil ſignificare. non enim quiſpiam eſt, homo equus. Quare neque in his partim ueram eſſe, partim falſam contradictionem neceſſe eſt.*

Quoniam ſupra uni affirmationi unam repugnare prodidit negationem, quæ tandem una ſit affirmatio, atq; una negatio per hæc adiicit uerba, cum tamen & pee antedicta iam nobis horum notitiam tradiderit, cum dicebat, Vna autem Enunciatiua eſt oratio quæ uel unum ſignificat, uel coniunctione eſt una. Plures, quæ plura, & non unum, uel quæ uacant coniunctione. Verum illic unius ac plurium orationum diſcrimen innuebat, hic uero præceptum occuratiore tradit opera. Vnā .n. inquit propoſitionem eſſe eam quæ uno ſubiecto, quod adſignificatū attinet, ac prædicato uno utitur, {Si D ue uniuerſale ſit uniuerſaliter: ſiue non, ſimili modo} hoc eſt ſiue ſit particularis, ſiue imperæfinita, aut etiam ſingularis quamuis non hic ſingularium exempla poſuerit. Hanc igitur eſt homo albus unam eſſe propoſitionem arbitramur. ſi & homo naturam unam quanquam notet: & album non æquiuocum capiamus: ſed finitæ rei cuiuſdam ac certæ indicatiuum. Quod ſi æquiuocum ſubiectum in propoſitione uel prædicatum ſit, non unam amplius putamus eſſe propoſitionem, ſed totidem quod ea fuerint quæ ab aſſumpta æquiuoca uoce defignantur. Igitur ſi ut ipſe ait, nomen tunicam homini atq; equo imponeremus: dein diceremus tunicā eſt alba, nihil enunciaremus aliud quàm equum atq; hominem eſſe album. Et quidem hic atq; copulatiua coniunctio uiſionem eam præbet, ut una eſſe appareat propoſitio, uidetur q́; hominem atq; equum colligare. At ſi detracta coniunctione eſt equus albus eſt homo albus pronunciemus, nullam unius propoſitionis imaginem ſuſpicaberis.

Ergo ſi plures conſenſu omnium ſunt, quæ hoc pacto pro-
poſitiones dicuntur, patet illam quoque quæ huic eandem
uim obtinet. atq; tunica eſt alba quam primam appellauit,
quaſi ex hac ad eas tranſiuerit quæ diuerſis ex confeſſo utun-
tur ſubiectis, uel nihil, uel plura annotare. Nam fieri quidem
nequit, ut unum illa ſignificet: quemadmodum uocis æqui-
uocæ diuiſio in ſignificata tunicæ inquam aperuit. cæterum
quoniam omnem uocem aut ſignificationis eſſe expertem,
aut aliquid ſignificare eſt neceſſe, ac ſi ſignificet, aut unum,
aut plura indicare, liquet proditam quoq; hanc propoſitio-
nem tunica eſt alba uel carituram ſignificatu, uel ſorte ſignifi-
catiuam: & uel unum quodpiam, uel multa nec unū indica-
turam. Itaq; cum unum quid ab ea ſignificari confutatum ſit,
reliquorum alterum duorum neceſſe eſt relinqui. at enim
abſurdum eſt nihil ab illa indicari, quamuis & hoc ſit perfe-
ctæ gratia diuiſionis in ſpeculaminis examinatione acceptū.
plura ergo duntaxat notat, tametſi una eſſe in uoce propo-
ſitio uideatur ex eo q; ſubiectum unum eſſe appareat: quo-
niam tunica nomen eſt unum plurium ſignificatorum, ut ho-
minis & equi, indicatiuum. Illud autem, {Non enim quiſpiā
eſt homo equus,} mihi ob id dictum uidetur, quoniam poſ-
ſunt quæ ita ſumuntur propoſitiones non plura quandoq;
ſed unum indicare: cum ſcilicet rebus in unam finitionem ali-
quam collatis pluribus, genere inquam ac differentiis unum
quis nomen quoduis impoſuerit. Sit nanq; animali, rationa-
li, mortali, mentis ac ſcientiæ capaci commune nomen, ut
ſumpſit Ariſto. tunica conſtitutum. num igitur cum alba eſt
tunica dicimus, non unam ſed multas eſſe propoſitionem
hanc affirmabimus? nequaquam, quoniam ex omnibus qui-
bus tunica eſt inditum nomen, una quædam natura. i. homi-
nis completur. eſtq; idem dictu tunica eſt alba, & animal ra-
tionale mortale mentis ac ſcientiæ capax album eſt: hoc aūt
idem illi ſonat homo eſt albus. Quamobrem non propoſi-
tiones is protulerit multas qui unum quiddam de commu-
niter indito uniuerſis illis prædicat nomine quæ finitionem
complent eandem. Quænam igitur diſtinctio eſt earum pro-
poſitionum in quibus non licet unam ab impoſito rebus il-
lis nomine propoſitionem effici, atq; in quibus licet? An in
quibus una fieri nequit propoſitio. ea neceſſe eſt à ſe inuicē
eſſe diſcreta: ut in homine & equo dicebamus. in quibus au-
tem propoſitio una eſſe poteſt, hæc uel uniuerſaliter non-
nunquam, omnino uero ex parte de ſe mutuo affirmari eſt
neceſſe: ut hominem exempli cauſa proferebamus in anima-
li, & rationali, & mortali, demumq; iis omnibus quæ ad com-
plendam finitionem unam quampiam aſciſcuntur. Quippe
horum quodq; cum uniuerſaliter de re finienda prædicetur
de quouis etiam illorum quæ finitionem explent eandem
neceſſe eſt ex parte affirmari. Nam quoniam de omni homi-
ne prædicatur animal, ſimiliter & rationale, neceſſe eſſe con-
ſtat utrunuis eorum ex parte prædicari de altero. ſiquidem
& quoddam rationale animal eſt: & quoddam animal ratio-
nale. Eadem ratio & in animali ac mortali. nam & quoddā
mortale eſt animal, & quoddam animal mortale. & in ratio-
nali ac mortali. etenim quodpiam rationale mortale eſt, &
quodpiam mortale rationale: tametſi horum nonnulla uera
eſſe uniuerſalium beneficio contingat. itaq; hæc ipſe breui-
ter indicauit cum dixit. {Non. n. quiſpiam eſt homo equus.}
Qua autem ratione præceptum hoc quoq; dictæ propriæ
contradictionis contemplationi conducat, docendo ſubiun-
xit {Quare neq; in his partim ueram eſſe, partim falſam cō-
tradictionem neceſſe eſt.} idem huic nimirum dicens, Qua-
re neq; in iis contradictionibus quæ æquiuoco ſubiecto uel
prædicato utuntur, neceſſe eſt alteram mendacem eſſe pro-
poſitionum: alteram uerum fateri. neq; immerito id: quan-
doquidem nihil prohibet diuerſarum rerū quæ à uoce æqui-
uoca ſignificantur aliam eius eſſe participem quod com-
muniter de ipſis prædicatum eſt: aliam non eſſe: ut in hoc
declarauimus Aiax ſingulari certamine congreſſus eſt He-
ctori: & Aiax non congreſſus eſt ſingulari certamine. &
quemadmodum in hoc prodito exemplo tunica eſt alba,
& non eſt alba tunica. Fieri enim poteſt ut homo uerbi gra-
tia ſi ſit albus, equus non albus, & ueræ propoſitiones am-
A bæ, & falſæ ambæ ſint. & altera uerum, altera falſum pro-
fiteatur.

VII.

In iis ergo quæ ſunt & fuerunt neceſſe eſt ueram aut falſam eſſe affirmationem uel negationem. in uniuerſaliter quidem uniuerſalibus ueram ſemper alteram eſſe, alteram falſam: & in ſingularibus, ut proditum eſt. At in uniuerſalibus non uniuerſaliter dictis non eſt neceſſe: atq; de his quoq; diſputatum eſt. in ſingularibus uero nec dum exiſtentibus, non ſimiliter.

Cum propoſitionum diuiſionem ſubiecto per præceden-
tia tradiderit nobis Ariſt. diſcreueritq; eas quæ uerum ſimul
aſſerere, ſimulq; mentiri interdum, & quæ uerum ſemper ac
falſum dirimere propoſitiones ualent, per hæc eam addit
quę in ipſis ad diuidendum rurſus aut non diuidendum ue-
rum & falſum à prædicato oritur differentia. Quoniam .n.
prædicatum neceſſe eſt in propoſitionibus uerbum eſſe, tem-
B pus autem à uerbo adſignificari dicebamus, tripartitoq; tem-
pus diuidimus, in præteritum, præſens, futurum propoſitio-
nem quamlibet in uno trium temporum capi neceſſe eſt.
Itaq; cum in ea diuiſione quæ a ſubiecto emanat oppoſitio-
nes quatuor ſint propoſitionum, duæ angulares ex diame-
tro omnis ad non omnis & quidam ad nullus tertia impræ-
finitarum, & præter has illa ſingularium, perſpicaciter admo-
dum tres oppoſitionum ſpecies in propoſitionibus ſimili
modo ſeſe inquit in omni tempore habere ad uerū falſumq;
diſcernendum: aut uerum ſimul declarandum: angulares tan-
quam e diametro, atque impręfinitas, ſingulares uero non
item. Noſtra autē in una ex tribus proditis oppoſitionibus
inſtituatur oratio: ut palàm quoq; fiat quonam pacto iuxta
modum quem diximus ſingulares ab iis propoſitiones diſ-
ferāt. cum eadem uidelicet conuenire nobis poſſint ad ſingu-
lares propoſitiones a duabus reliquis oppoſitionibus ſecer-
nendas. Sumantur ergo particularis affirmatio atq; uniuerſa-
lis negatio. has ſi in materia deligas neceſſaria, affirmationē
C ueram ſemper. negationem falſam reperiens. ſin in impoſſi-
bili, affirmationem falſam ueram negationem. At in contin-
gentem affirmationem, ut quę contingens ex parte eſſe dicit,
quemadmodum & ineſſe eſt aptum natura rurſus ueram eſ-
ſe comperies: negationem uero quæ contingens quibuſdā
ineſſe natura idoneum, quibuſdam non ineſſe, omnino tol-
lit, falſam neceſſario. Quo enim modo in præſenti tempo-
re uerum hoc eſt quidam homo eſt albus falſum hoc nullus
homo albus eſt, ſic in præterito quoq; hoc homo quidam
fuit albus uerum eſt nullus homo albus fuit, hoc falſum. ſimi-
liter & in futuro uerū eſt hoc quidam homo albus erit, hoc
falſum nullus homo erit albus. Eadem certe & in altera dia-
metricum angularium oppoſitione omnis & non omnis ra-
tio congruet. nam partes quoque illius quæcunq; acceptæ
in materia fuerint, pariter in omni tempore ad uerum fal-
ſumq; diſtinguendum ſeſe habere deprehenduntur. Et uero
impræfinitas quas uocant propoſitiones, ſi in neceſſaria aut
impoſſibili eas materia contemplere, uidebis in omni tem-
pore uerum ſimiliter ac falſum diuidere, ſin uero in contin-
D gente, ſeu ueræ ſimul ſint, ut ante docuimus, ſimul iis omni
tempore ueri aſſertio ſuppetet: neq; in præſens uerbi gratia
ſimul ueraces erunt: in præteritum ſeſe uel futurum non ita
habebunt. ſeu uerum ac falſum diiudicent, impræfinita nega-
tione non particulari negationi, ſed uniuerſali conſentiente,
omni rurſus tempore, non ſecus ac particularis negatio uni-
uerſali opponitur negationi, ut ſibi mutuo contradicant ob-
tinebunt. Tribus igitur iis quas prodidimus oppoſitionibus
omni tempore ad faciendā contradictionem uel non facien-
dam perinde ſeſe habentibus, Ariſtote. à ſingularibus inquit
propoſitionibus in neceſſaria impoſſibiliq; materia ſimiliter
aliis in omni tempore uerum definite falſumq; diuidi. Nāq;
in materia neceſſaria ueram eſſe affirmationem neceſſe eſt:
quæ quod neceſſario ineſt dicit ineſſe. negationē mentiri: ut
quę quod neceſſario ineſt aboleat. in impoſſibili fallere affir-
mationē quę impoſſibile ineſſe pronunciat, negationē uelut
id tollentem, eſſe ueridicam. At in materia contingente non

etiam,

etiam,inquit,ſimiliter eas ſeſe in omni tempore habere,cum
ad ueri falſiq; diſcretionem ſumuntur. quippe in præterito
ac præſente,utpotè exitum re de qua ſermo eſt, conſecuta,
quæ ex ſingularibus propoſitionibus uerum & quæ falſum
proponit eſſe conſpicuũ. Nam ſi forte lauetur aut lotus heri
Socrates fuerit,uera eſt affirmatio quæ Socrates inquit laua-
tur,heri lotus eſt Socrates. negationẽ uero, quæ quod ineſt
aut inerat tollere conatur,falſam fore perſpectũ eſt.& ſi non
lauetur,aut pridie non fuerit lotus patet acceptã in præſenti
ac præterito tempore negationem neceſſario uerum fateri.
affirmationem,quæ quod ad exitum deductum non eſt ineſ-
ſe,uel fuiſſe inſitum dicit,falſum aſſerere. At futuro in tempo
re diuidi quidẽ, & ita inquit à ſingularibus propoſitionibus
uerum & falſum,nõ perinde tamen atq; illæ quæ in præſenti
tempore uel præterito capiuntur. haud enim poteris etiam
utra tandem uera ſit, utra falſa illarum definite certoq; dice-
re:cum ad exitum nondum prodierit,euenire autem ac non
euenire res poſſit: Cæterum uidetur quidem hoc logicum
eſſe quod ab Ariſt.nunc agitatur theorema, re autẽ uera ad
partes omnes philoſophiæ neceſſarium eſt. Nam & in phi-
loſophia,quæ ad mores pertinet neceſſe eſt aſſumamus,nõ
eſſe,fieriq; ex neceſſitate omnia:ſed noſtræ quoq; nonnulla
eſſe liberæq; uoluntatis. Siquidem cum quædam in poteſta-
te noſtra ſint actiones,atq; hęc eligere uel non eligere,& age-
re uel non agere nobis ſit integrum,nonnullas laude quaſdã
uituperatione dignas eſſe cõſultorias uoluntates actionesq;
perhibemus: aliosq; ad honeſtas cohortari probasq; actio-
nes, atq; à contrariis dehortari operæpretium eſſe ducimus
Quum utile quoq; ad naturalẽ diſputationem uidetur theo-
rematis enim ſcrutatur qui de rerum agit natura fiant ne ex
neceſſitate quæ fiunt omnia: an nonnulla fortuna caſuq; con
tingant. Similiter & ad rationalem methodum. hoc enim ip-
ſum eſt quod in præſens quæritur, utrum definite uerum &
falſum diuidat omnis contradictio: an quædam ſit etiam quę
hæc indefinite disiungat. Inuenies porrò & ad primã philo-
ſophiam theorema pertinere, nam & Theologus quonã pa
cto mundanæ res à prouidẽtia gubernentur perquiret. & fi-
ant ne certo atque ex neceſſitate quæ fiunt omnia: ut quæ
in ſempiternis inſunt:an aliqua ſint etiam quæ in contingen-
tibus eueniant: quorum generationem particularibus certe
aſcribi aliasq; ſe aliter habentibus cauſis neceſſe ſit. Ac ne
admodum indoctos quidem comperies homines qui hu-
iuſce notitia theorematis negligant, ſed quoſdam qui per-
inde quaſi gerantur ex neceſſitate omnia cauſas à quibus
aberrant aſſequendis, ad fatum, uel prouidentiam, tum
diuinam, tum dæmoniam referre contendant: quemad-
modum is qui indocte apud Homerum.

Nomen ego iam ſum,(inquit)
Iuppiter at,Parca eſtq; & noctiuaga auctor Erinnys,

Alios uero, ceu ſint & quædam noſtræ credita uoluntati,
qui omnia neceſſitati condonantibus repugnent:nobisq; cẽ
ſeant,ut qui ſponte noſtra ipſi commouemur, bonis artibus
uirtutiq; incumbendum. Itaq; theorema cum tantum ad uitã
omnem noſtram habeat momenti,neceſſe arbitror ex illis ra
tionibus quæ addicere omnia neceſſitati conantur,eas expo
nere atq; diluere,quæ difficultatem audientibus ingerunt. Hę
uero cum duæ ſint,altera logica magis, altera quæ grauiorẽ
commentationem poſtulat: logica uelut in quadam noſtra
actione,ut in metendo,elicitur hunc in modum, Si metes in-
quit,non forte metes,forte non metes:ſed metes omnino.&
niſi metes, eodem modo non forſitan metes, fortaſſe uero
non metes:uerum non metes prorſus: ſed enim ex neceſſita
te uel metes,uel non metes. ſublatum igitur ipſum forſitan
eſt:ſi neq; in metendi ꝙ nõ metendi oppoſitione locum ob
tineat:cum horum alterum ex neceſſitate eueniat: neq; in eo
ꝙ ſuppoſitionem utramlibet ſequitur, at ipſum forſitan id
erat à quo inuehebatur contingens. ergo contingens depe-
rit. Huic itaq; facile eſt rationi occurrere, ſi hoc pacto reſpõ
debimus: Cum dicitis,ſi metes,non forte metes,non fortaſſe
non metes,ſed metes omnino, quomodo uerbum metere
ſupponendum cenſetis:num,ut neceſſarium, an uero ut con
tingens:nam ſi ut contingens,id de quo quæritur habemus.

A ſin ut neceſſarium, primum ipſum id uobis concedit uelut
euidens petitis quod in quæſtione poſitum eſt. deinde uerũ
erit prorſus metere. haud uero dicenti,at.n uel metes,uel nõ
metes,locus patebit. quomodo enim ſi eueniat horum alte-
rum neceſſario,ſitq; uidelicet impoſſibile alterum,conſenta-
neum fuerit,ſed enim aut hoc eſt,aut illud dicere? quamobrẽ
non hoc demum ipſis argumentum deducitur. Altera ratio,
negotii adeo plena, nec confutatu facilis, ut multos quoq;
ex iis qui perſpicaciores uidentur,in eam abducantur ſenten
tiam quæ contingens abrogat, ex tali diuiſione prouehitur.
Aut definite inquiunt exitum dii norunt contingentium, aut
nulla prorſus eorum ſunt notione præditi: aut quemadmo-
dum nos indefinitam incertamq; illorum notitiam obtinent
uerum fieri nequit ut ex iis quæ ſunt quidquam ignorent:cũ
procreent omnia, concinneq; diſponant: atq; impermiſtæ
omnino mentes materię ſint:immo uero (ſi exactius loquen
dum eſt) & ſupra intellectualem ipſam proprietatem ueræ
ſui ipſorum eſſentiæ ſedem ſtatuerint. Neq; enim caſu rerũ
B dicemus naturam ordinemq; conſtare. neq; dicat ratio deos
uel eorum quæ in naturam promunt eſſe ignaros: uel ceu
quoſdã ignauos ac deſides tum illorum cognitionem: tum
gubernationem negligere. Nanq; operoſam arbitrari,nego
tiisq; obnoxiam fieri à nobis deorum uitam,dementisq; trã
quillitatis,quæ diis nequaquam conuenit, expertem, ſi par-
ticularia ab iis curari dicamus, illorum eſt qui deorum co-
gnitionis poteſtatisq; excellentiam, ſi noſtræ conferatur,ha-
ud quaquam perſpexere: putantq; ob hanc inſcitiam ex re-
bus humanis ea quæ ad deos pertinent æſtimanda eſſe, no-
ſtramq; ad illos imbecillitatem transferendam,quaſi Sol rex
illuſtrare ſimul queat uniuerſa quæ mundi ambitu clauduntur:
tur:niſi corpora quædam nonnullis non pellucida, ſed ſoli-
dis quãdoq; obtendantur:incorporea uero quam prorſusq;
immaterialis deorum facultas expedite ſimul tota cunctis pa
riter rebus adeſſe non poſſit:cum nihil illam præter ineptã
noſtram arcere ualeat. quanquam ne tunc re quidem uera
præpediatur Deorum prouidentis uel ad humanarum rerũ
C cognitionem: uel ad curam de illis gerendam:ſed nobis ip-
ſis perinde accidat atque iis qui in ſolari ſplendore ſom-
num capiunt:aut etiam conniuent. Nam quẽadmodum illi
calore fruuntur qui rebus quæ hic ſunt à ſole exhibetur, il-
luminatrice autem eius facultate ſe ipſi ſua exoptione pri-
uant, non propter iram quampiam dei qui ſuos ab illis re-
primat radios: ita & qui ob flagitioſam quandam uitam ex
cidere à Deorum prouidentia dicuntur,non ſunt prorſus ab
ea ſecluſi. Haud enim quiſpiam, quod hoſpes inquit Atheni
enſis,uel exiguus eſt adeo,ut ſi terræ ima ſubeat,latere proui
dentiam queat, uel minima quæq; inſpectantem. neq; adeo
magnus,ut ultra cœlum euolare,ac cuncta gubernantem eua
dere prouidentiam poſſit. Verum cum ſeipſi Deorum abdi
carint facultatibus quæ bona ex ſeſe nobis tribuunt, eas con
ſequuntur neceſſario,quæ per ultionem ipſos tandẽ ac pœ-
nam in naturæ ſtatum reducunt. Hæc itaq; confeſſa cum ſint
in communibus nec peruerſis animorum conceptibus, atq;
in decimo de Legibus planè demonſtrata,neq; noſtra igno-
rare dii poſſunt:neque incertam eorum, quaſi de euenturis
D coniectantes,notitiam habere. Nam primũ quidem,uti nos
docuit Timæus, ipſeq; theologice diſſerendo pronunciat
Ariſto.& ante hos Parmenides non ſolum apud Platonem
diſputans,ſed in ſuis quoq; carminibus ſcriptum reliquit,ni-
hil eſt apud deos præteritum neque futurũ: neque horum
utrunque non ens, tum ipſum non amplius,tum uero non-
dum: quodq; eſt mutatum, & quod natura aptum eſt muta-
tioni. Hæc autem iis quæ uere ſunt, mutationemq; ne cogi-
tatione quidem ſuſcipiunt,ac commodari nõ poſſunt. Quip
pe quod immutabile eſt prorſus, illi quod quoquomodo
mutatur præeat neceſſe eſt: ut etiam dum mutatur maneat.
Quapropter in Diis qui rationem ad ea quę ſunt principii
obtinent fieri nequit,ut præteritum aut futurũ ſpectetur:ſed
omnia ſunt in uno apud ipſos æuo inſtante collocata, tẽpo-
ralibus nimirum menſuris cum uniuerſi ſubſiſtentia ſimul ap
parentibus, ſolsq; ea metientibus quæ uel ſubſiſtentiam,uel
actionem in tempore obtinent. Iccirco & coniecturalem

notitiam abiectam eſſe procul à diis neceſſe eſt, & ad rationa
lis uitę limitationem. Deinde quomodo uel tantillum nobis
inſitum maturitatis uidebitur, ſi deorum cognitioni nihil
plus quàm noſtrę tribuendum cenſeamus: ſed ambiguam ip
ſam audeamus, atq; indefinitam confiteri: eiuſdem nanq; erit
intelligentiæ, immo uero amentiæ brutarum quoq; cognitio
nem animantium noſtrę conferre: illasq; etiam uniuerſalium
atq; intelligibilium comprehenſione impertiri. In ſumma ſi
deos prorſus neceſſe eſt auctores rerum omnium, uel cauſas
eſſe adiunctas: quonam pacto conſentaneum ſit rationi aut
opera ab ipſis ignorari ſua, uel ſuorum operum effectus, uel
quæ quoquomodo ab illis fiunt: aut ceu nihil ad eos pertinē
tium neq; in eorum poteſtate poſitarum rerum ancipiti no
titia eſſe præditos? Neutra uero ex his ſuppoſitionibus no
ſtra à diis poſſunt modo illo quo diis conuenit prouidentię
curari hoc autem eſt curam de illis ab ipſa prouidentium ge
ri eſſentia, eaq; ueiut ex prora gubernari: nō de ipſis, ut Poe
tæ aiunt, conſulendo: ſiquidem prudentiæ defectus, conſiliū
eſt: neq; alias alia conſultando faciendoq; . quippe hoc ab
una & ſimplici ipſum actione alienum eſt prorſusq; immuta
bili: pertinetq; ad eos ſolos quos tēpus metitur: quiq; actio
nibus cum conſultatoria electione perfunguntur. ſed ipſo eſ
ſe inquiunt: quo pacto Sol non conſulendo, neq; ſe mouen
do, ſed ipſo eſſe, uel ſi manens intelligeretur, ea implet in quę
poteſt ipſius lumen conferri. Neq; ergo ita fieri illorum po
teſt prouidentia: neq; ſi ita fiat, de pluuia uerbi cauſa, uel ſer
uandis fructibus, aut uictoria, ut qui exitum ignorent, preces
ipſis fundere ac ſupplicare, procul à ſtoliditate fuerit. Quod
ſi hæc fieri nequeunt, eaq; nec dicere nec cogitare fas eſt, atq;
ab ipſa coarguuntur experientia, ut diuinorum actuum libri
multis conditi uerſibus, & quæ quotidie propè dixerim fi
unt, iis qui animaduertere poſſunt, indicant: conſtat dicendū
eſſe & diſponi à diis contingentia, & ipſorum exitum certo
cognoſci. quippe magis par erat res ab ipſis ſempiternas de
ſpici prouidentia ea deſtitutas quæ in ipſas incumbit, quàm
fluxili præditas natura. ſi illæ quidem à ſuipſarum natura
certitudinem obtinent, talemq; a Deo ſunt immutabilem eſ
ſentiam ſortitæ: quas autem obnoxias generationi propter
ſuæ fluxibilitatem materiæ ferri in omnis generis mutatione
natura uoluit, eæ neq; eſſe poſſunt, neq; cōtineri ac digeri: cū
non multum opificæ ac proſpectricis cauſæ non ſolum uni
uerſalioris atq; abſtractę, ſed particularioris etiam cuiuſdam
ac propinquioris ſint aſſecutæ eorum quæ ſeſe eodem mo
do perpetuo habent. quo pacto & in hominibus cura maio
re indigere pueros uiris uidemus: uel ſtultos prudentibus.
Quod ſi norunt dii cōtingentia, certoq; norunt, ne, id quod
diximus, indefinitam eorum cognitionem ſtatuamus, Athe
nasq; a ligneo ſolum muro ex barbarorum periculis ſerua
tum iri intelligunt, atq; à diuina Salamine filios mulierum
perdendos, & illud, Magnum Alyę imperium excindet Crœ
ſus ſuperato, & Laium ſi liberos ſuſcipiat, domum ſuam uni
uerſam funditus euerſurum, conſtat hæc non euenire non
poſſe. ſin minus, illos neceſſario fore mendaces. Igitur duo
rum alterum, aut omnia ex neceſſitate euenire, ac uelut co
gnoſci à diis prædiciq; affirmabimus, nomenq; inane ipſum
erit contingens: aut ne à diis quidem cognoſci hæc humana
neq; illis conſuli arbitrabimur. at hoc fieri nequit. tollitur er
go contingens. Huic itaq; canoni cum ea non facile. id quod
dicebamus, queat infringi, ab ipſaq; euidentia. ut Vatum prę
dictiones declarant, confirmari uideatur. nos ſecundum diui
ni Iamblichi dictationem occurrentes, diuerſas cognitionū
menſuras diuidere operæpretiū eſſe putabimus: dicemusq;
cognitionem cum inter cognoſcentem & rem quæ cogno
ſcitur media ſit, ſi actus illa cognoſcentis circa. i. quod cogno
ſcitur, ut circa album uiſus, modo rem præſtantius, quàm co
gnobilis ipſius rei naturæ conueniat, modo deterius, quan
doq; uero pariter noſſe. Nam quando noſtra dicimus men
tem cuiuſlibus repræſentandis functionibus res ſingulas co
gnoſcere, referreq; ad uniuerſalia, per eaq; uelut propria co
gnoſcere illas pertentare, patet cognitionem hic ea re quæ
cognoſcitur dictum iri præſtantiorem: ſi comminuit ſingula
re in partes poteſt, atq; in mutatione uerſatur: ratio autem

A per quam mens eas adminiſtratrix nouit, indiuidua eſt atq;
immutabilis. Cum uero ipſa ad ſeſe cōuerſa, purificisq; per
fugens uirtutibus ſuam ipſius eſſentiam contemplatur, co
gnitionem neceſſario illi eſſe rei quæ cognoſcitur parem.
Quod ſi in ſummum ſuæ ipſius perfectionis apicem euecta,
ſpeculatricesq; ſibi uirtutes proponens, de diuinis conſide
rat deſcriptionis, ac quonam pacto ex uno hæc omnium de
ducantur principio, & quæ ſit cuiuſq; proprietas, cognitio
nem ea re quæ cognoſcitur deteriorem eſſe neceſſario. Hęc
cum ita ſe habeant, noſci à diis tum præſentia omnis, tum
præterita, tum futura, uel quæ nondum ſunt, eo modo quo
diis conuenit dicendum eſt. hoc eſt autem una certaq; cogni
tione atq; indeclinabili. idcirco & comprehenſam ab iis no
titia eſſe contingentiū: ut qui concluſa mundi ambitu omnia
in naturam producunt: ſuntq; ſubſtantiarum ſempiternarum
auctores: generaſcentium uero cauſæ adiunctæ, pro ſuis illa
rum quarumcunq; actionibus: nec ipſas ſolum uelut cernunt
B ſubſtantias, ſed earum quoq; facultates functionesq; tū quæ
ſecundum naturam ſunt, tum quæ præter naturam. quod qui
dem præter naturam eſſe ſimul ſeſe cum neceſſaria deficien
tium rerum remiſſione iis inſinuauit quæ ipſo quoq; aliquā
do impertiri natura uoluit: non in primis, ſed per exilis hæ
rentisq; modum quem uocant eſſentiæ. Cognoſci uero ab iis
contingentia potiore quàm ipſorum illorum contingentiū
naturæ competat modo. idcirco hæc cum incertam obtineāt
naturam, & euenire & non euenire poſſe. ab illis uero & hęc
ceu melius quàm ipſorum natura poſtulet anticipata eorū,
cognitione definite intelligi. quippe & diuiduas res indiui
due neceſſe ab iis eſſe nulloq; interuallo, & quæ multiplicata
ſunt, forma ſimplici: & temporalia ſempiterne generabiliaq;
ingenerabiliter cognoſci. Haud. n. profecto dicere pariter
rerum fluxi concurrere deorum notitiam ſuſtinebimus. nec
eſſe in illis quidquam uel pręteritum, uel futurum: neq; in ip
ſis dici, ut in Timæo accepimus fuit, uel erit, quæ mutatione
quandam indicant: ſed eſt ſolum: idq; non quod uerbo fuit
uel erit connumeratur, atq; ab ipſis ex aduerſo diſiungitur,
C uerum ante omnem repræſentationem intelligitur tempo
ris: atq; conſtantiam ipſorum immutabilitatemq; ſignificat.
id quod magnus quoq; Parmenides intelligibili omni dicit
competere. nam Haud quaquam, inquit, ſimul omne fuit: ne
que erit: ſed ſolum eſt. Neq; ueræ contingentia uocamus pu
tare oportet, propterea quod certo à diis cognoſcantur, ne
ceſſarium exitum habitura eſſe. non enim quoniam ea dii
norunt, ob id euenient neceſſario: ſed quoniam cum contin
gentem habeant naturam atq; ancipitem, finem talem omni
no uel talem obtinebunt, hac de cauſa neceſſe eſt deos quo
pacto euentura ſint intelligere. eſtq; idem ſua quidem natu
ra contingens, deorum autem cognitione non infinitum am
plius: ſed definitum ac certum. Cōſtat uero poſſe uel noſtra
notitia definite quandoq; contingens noſci: cum. ſ. nec præ
terea contingens proprie eſt, ſed ſuæ ipſius generationis an
tegreſſas cauſas ex neceſſitate conſequitur. Globus igitur in
parallelo horizonte quieſcens plano, poteſt planicie ſitum
eundem obtinente ab aliquo moueri, ac non moueri. ſin ue
ro inclinata fuerit, non poteſt nō ſeſe dimouiſſe. Has ob res
D Medicos quoq; cernimus nihil quandoq; de ægrotantibus
num conualituri ſint an morituri, uelut ambo contingentia
ſint, effari audere: interdū uero aſſeuerando de horū altero
prædicere: quaſi ut aliquod prorſus ægroto accidat futurū
ſit. Cæterū quoniā audacius nonnulli circa propoſiti theo
rematis quęſtionē uerſantes, demonſtrare ſe putant ne diis
quidē certam notitiā ſuppetere contingentium: adducuntq;
nobis oracula, quæ ambiguę de futuris pronunciant, ea ſunt
quæ magnus inquit Syrianus & aduerſus hos differenda.
Primū quidē aliam eſſe deorū cognitionē intellectionemq;
animaduertendū fuiſſe, aliam Prophetidis actionē: quæ tum
cōmota ex Deo eſt: tū diuiduā in ſe orationē, & metra, cogni
tionemq; dubiā peperit. haud. n. ſanè quod illuſtratur perin
de eſt atq; id quod illuminat. Deinde uero & audientium uti
litatis cauſa reſponſa à diis ſæpe dari ambiguaq;, ipſorū co
gitatum exerceant. nobis. n. utuntur dii ceu ſponte mobi
libus: noſtraq; hunc in modum gubernant, nobisq; om

nia

nis pro noſtra ipſorum dignitate tribuunt. Verum hęc ſunt fortaſſe & audacius agitata: atque à propoſita re in longam inquiſitionem abeerantia. In ſumma autem omnia cogens ratio, utrum, inquit, & hoc ipſum neceſſario contingit hominibus, omnia uel neceſsitate compulſa eſſe dicere, uel opiniones de modo rerum generandarum in noſtra poſitas eſſe uoluntate? Nam ſi uerum ſit ſecundum, non ergo ex neceſsitate omnia. ſin quod prius eſt, quonam pacto oppoſitum quidam, multa geri noſtro arbitratu opinantur? Prorſus nanque ratione uacata natura omnia cogente, ut aiunt illi, nos ad ea quæ ab ipſa fiunt condemnanda præter naturam moueri. perindeq; eſt ac ſiquis Medicam artem docens, per hoc ipſum diſcipulos parauit ad artis eius quam expeti erunt principia tollenda. tametſi uerisimile eſt quidsquam eorum quæ præter artem ſunt ab artifice non quatenus ratis eſt fieri, ut ſi medicamentum ad fœtum perdendum Medicus aut uenenum exhibeat ceu per ſe mobili præditus animo: nihil ars conferat ad ipſam animi perfectionem: ſed in corporis aut exteriorum curam incũbat. at fieri nequit ut contrarium ſuo fini quodpiam moliatur natura. Sed nec quo pacto monſtrorum, ſic opinionum quoq;, redundantiam materiæ aut defectum excuſabimus. neque.n. fingere ipſis uolẽtibus facile eſt diuerſarum cauſas opinionum reddere ex materiæ differentia. neque fatum etiam cauſam omnium eſſe fatebuntur. ſed de his ſatis. Ad ea uero exponenda quæ ab Ariſto. hoc loco dicuntur ſtylum reuocantes, primum quæ per hæc traduntur paulo prius proditis conſequentia eſſe affirmabimus proxime.n. de affirmationis negationisq; oppoſitione agebatur, quæ non ſemper uerum ac falſum ſecernunt. His itaq; per ſeriem adiicit, qualis affirmatio quali ſic oppoſita ſi negationi, ut uerum ſemper ac falſum ipſæ, non tamen diſtincte, ſed infinite diuidant. Tradit uero ea primum quæ tum angularibus ex diametro contradictionibus, tum ſingularium illi communiter cõpetunt: atq; ipſis in eſſe omnibus hæc in præſenti tempore ac præterito definite partiri. hoc.n. eſt. {In iis quæ ſunt & fuerunt ueram aut falſam eſſe affirmationem uel negationem.} Ac prius ſanè hoc diametricis docet ſubeſſe angularibus quas uniuerſales uniuerſaliter appellauit quaſi propoſitione prædicas altera quæ uniuerſaliter prædicetur. deinde addit & in ſingularibus idem propoſitionibus quod in angularibus ex diametro accidere hoc n. ſibi uult illud, {Vti proditum eſt.} Admonet autem neceſſe nequaquam eſſe ex impræfinitis propoſitionibus, ſi in contingente materia capiantur, ueram alteram eſſe, alteram falſam. Deinde ſingularium in futuro propoſitionum a cæteris contradictionum ſpeciebus differentiã ſubdit: cum ait, {In ſingularibus autem nec dum exiſtẽtibus, non ſimiliter.} datq; per hæc nobis intelligi propoſitiones alias tum angulares ex diametro tum impræfinitas perinde habere ſeſe in futuro, atq; in præſenti ac præterito habuere: ſingulares nõ item. Propoſitionum autem de quibus agitur proprio deſignando, exquiſite admodum in ſingularibus autem nec dum exiſtentibus dixit, atq; per illud necdum exiſtẽtibus id ſignificat quod in materia cõtingẽte accipitur. Quod .n. nondum eſt, ut ipſe in libris de generatione & corruptione explicat, aliud eſt à futuro. ac ſignificat futurum quidem id qđ prorſus eueniet: ceu cũ dicimus erit hyems, uel æſtas, uel delinquiũ. (appellant hoc Græci eſomenon) quod autẽ eſt nõdũ, uocaturq; à Græcis mellon, id quod euenire ac nõ euenire poteſt indicat, ut apud illos mello uadizin, mello plein, quaſi dicas debeo ambulare, debeo nauigare. nos tamen hoc quoq; futurũ appellabimus, diſcriminis huius Græcorũ declaratione contenti. Cum igitur in aliis materiis neceſſaria atque impoſsibili ſingulares ſimiliter propoſitiones, ut in anticipato & præſenti tempore, ſic etiam in futuro ſeſe habere oſtendat uero ac falſo præciſe diuidendo, in contingente non etiam, quãuis & in hac materia contradictiones aliæ omnes ſimili ſeſe ratione in futurum tempus, quo pacto & in reliquis habeant, illud adiecit non ſimiliter, ſimul per hoc ſignificans, quatenus hæ non ſimili præterea ſeſe habeãt modo ſi in dicta hypotheſi capiantur: nimirum in eo q̃ uerum quidem omnino ac falſum, non tamen diſtincte, ſed indefi-

A nite diſiungant. Neceſſe eſt enim lauari cras aut non lauari Socratem, atque nec utrunque fieri, nec neutrum poteſt. utrum autem ex iis uerum fuerit, nequit ante rei exitum dignoſci: ſiquidem & fieri & non fieri utrunque poteſt illorũ ob ipſam contingentis naturam. hoc igitur breuiter nobis indicauit, cum non ſimiliter dixit.

VIII.

Nam ſi uel uera uel falſa affirmatio omnis, aut negatio eſt, omne quoq; neceſſe eſt eſſe, aut non eſſe. Si enim hic fore aliquid, ille idem hoc non fore dixerit, neceſſe conſtat eſſe uerum ab eorum altero enunciari ſi affirmatio omnis uel negatio uera eſt, aut falſa. haud.n. ambo ſimul erunt in talibus.

Vult his uerbis opinioni illi opitulari quæ contingens de medio tollit: ut ipſam quoad eius fieri poteſt confirmatam redarguat. Per hæc autem perſonam opinionis huius aſſertorum ſuſtinens, primum uelut ſumptiunculã quãdam arripit, neceſſe nimirum eſſe ex ſermonum ueritate rerum eſ-
B ſentiam ſequi: ex falſitate, eſſentiæ priuationem: quod ipſi illud indicat. {Nam ſi uera uel falſa affirmatio omnis aut negatio eſt, omne quoq; neceſſe eſt eſſe aut non eſſe} Deinde à Cõtradictionis effato progreditur. aitq; neceſſe eſſe ſingulariũ ac contingentium propoſitionum quæ in futuro tempore ſumuntur, ueram eſſe alterã: quoniam neq; ambę ſimul mẽtiri, neq; ſimul ueraces ambæ eſſe poſſunt. Ex his autem, uerum non declarari ab ambabus, hic planè explicatur uerbis illis, {Haud.n. ambo ſimul erunt in talibus.} hoc eſt, non.n. idem huiuſmodi accidet propoſitionibus quod in præfinitis quæ in contingente materia capiuntur quippe ſimul ueri dicas eſſe illas diximus: hæ ſimul uerũ atteſtari non poſſunt: ne idem ſimul eidem & inſit, & non inſit: ut tum lauari poſtri die Socrati, tum non lauari. eas autem ſimul falſo quoq; proferri non poſſe, adiiciet in ſequentibus. His itaq; abolitis, cũ probatum ex re ſit uerum ab ipſis ac falſum diuidi, definite etiam hoc inquit fieri demonſtrabimus, ſi duos aliquos ceu uaticinandi ſcientiam ſibi uendicantes ſumpſerimus qui de
C quopiam ſingulare uelut ægroto diuinare contendant: atq; alter conualiturum illum, alter non conualiturum prædicat. compertum eſt.n. ueracem ex iis neceſſario alterum eſſe, alterum mẽdatem. Ergo ſi uerum is præfatur qui conualiturum ipſum dicit, fore neceſſe eſt ut cõualeſcat. quippe ſumptum antea eſt ſequi omnino rerum exitum ex ſermonum ueritate. Quod ſi uerus is eſt qui negationem protulit, liquet fieri neutiquam poſſe, ut ille ſanitatem recipiat. Quapropter aut eueniet res neceſſario, aut exitum impoſsibilem obtinebit. ſublatum igitur eſt contingens.

IX.

Si enim uerum ſit aut album eſſe dicere aut album non eſſe, neceſſe eſt album eſſe uel non eſſe. et ſi ſit album uel non album uerum fuit affirmare aut negare. atque niſi ſit, mentitur, & ſi mentitur, non eſt. Quapropter neceſſe eſt affirmationem ſemper uel negationem ueram eſſe uel falſam. Nihil ergo neque eſt, neq; fit neque a fortuna, neq; ab eo quod æq; eſſe ac non eſſe poſſit: neq; erit, aut nõ erit. ſed cuncta ex neceſsitate. nec utrumlibet aut enim
D *qui affirmauit, aut qui negauit uerus erit. nam fieret ſimiliter, aut non fieret quippe ipſum, utrumlibet, nihilo magis ita uel non ita ſeſe habet, aut habebit.*

Ariſto. cum ſupradictam confirmare ſumptiunculam uellit, nempe ex orationum ueritate, ſubſiſtentiam rerum, ex falſitate autem ſubſiſtentię priuationem ſequi, hoc ita ſe habere demonſtrat exemplis. ſiquidem orationes exemplis, quã illæ quæ abſq; iis pronunciantur, clariores fieri conſueuere. Aſſumpta igitur eſt.n. cauſidica illic coniunctio, {Si n. uerum ſit.} ut intelligi propoſitum eorum daretur quæ in præſens dicuntur: hoc eſt probationem ab his ſupradictis Theorematis contineri. Dicit autem, ſi uerum ſit de quapiam re ut hac ueſte, albam eſſe dicere, neceſſario albam eſſe illam: & ſi albam non eſſe, neceſſario non eſſe albam. Deinde quiddam per hæc ſupradictis adiicit: uniq; ad ſeipſam conuerti ſumptiunculam, non ſolum neceſſe inquam eſſe ex ueris

orationibus rerum ſequi ſubſiſtentiam ſed ex ſubſiſtentia quoq;, orationum ueritatem: ideo {Et ſi ſit album (inquit,) Vel non album, uerum fuit affirmare aut negare} ſimul nos per hoc docens quod non uerum eſt dixit, ſed uerum fuit affirmare, id quod perſpicue deinceps addet, non ſolum per id tempus quo res eueniunt atq; exiſtunt, uerum de ipſis ita ſe habere, ut habent, ſed ante exitum quoq; ueram de iis prędictionem eſſe dicere. Aſſumitq; hoc neceſſario: quaſi ſibi ad ſublationem contingentis futurum uſui ſit: ut imq;, omnem, uti intelligemus, argumentationis contineat. Hoc igitur uelut ex ratiocinatione colligens iure infert, {Quapropter neceſſe eſt affirmationem ſemper uel negationem ueram eſſe uel falſam:} ſubaudiendo nimirum definite aduerbio. idq; merito. Nam ſi neceſſe eſſe album uel non eſſe, nec præter hæc eſt, ſed ſi ſit, uera definite de eo prænunciata affirmatio eſt: ſin minus ſit, negatio. ratione igitur optima uelut concluſionem intulit hoc ſupradictis conſequentem. Quapropter neceſſe eſt affirmationem ſemper uel negationem ueram eſſe uel falſam. Poſtquàm autem orationum ueritatem rerumq; ſubſiſtentia inter ſe commeatus oſtendit, prius quàm concluſioné quam diximus inferat, mediú hoc interponit, falſitaté quoq; orationum rerumq; exiſtentiæ priuationem per uices reflecti, cum inquit, {Atq; niſi ſit, mentitur: & ſi mentitur, non eſt.} Hæc cum ita ſint, ipſeq; ex prædictis ſumpſerit neceſſe alterá eſſe ſibi mutuo contradicentium in futuro tempore ſingularium ac contingentium propoſitionum uerum definite exprimere, alteram mentiri: quaſi propterea antiripata abolitio ſequatur ex ſeſe cótingentis, {Nihil ergo neque eſt, (ait,) Neq; ſit, neq; à fortuna, neq; ab eo quod æq; eſſe ac non eſſe poſſit.} per coniunctionem ergo nimirum præmiſſarum neceſſitate fieri ſignificans ut contingens depereat. quo tripartito, unum magna ex parte appellatur: ut hominé naſci quinis digitis: aut in ſenectute caneſcere. rara.n. ſunt quæ non ſeſe hoc pacto habeant. alterum rarius: ut fodiendo theſaurú offendere. tertium ex æquo: ut lauari ac non lauari uel ambulare & non ambulare. At ſanè circa id contingens quod magna ex parte, nuncupatur quæ quædam habentur cauſæ, Natura atq; Ars. quippe & naturam in rebus quas efficit recte opera defungi magna ex parte cernimus. rara.n. ſunt móſtra. & artes ob ſubiectæ fluxibilitatem materiæ quandoque à ſcopo quidem aberrare, profiteri tamé probe ſeſe plerunq; obire quod moliuntur. haud.n. ſatis, niſi hoc pollicerentur quiſquam uteretur. Quamobrem aſſeuerat quoque Orator ſe magna ex parte perſuaſurum eſſe, & Medicus fore plerunq; ut ægrotum ſanitati reſtituat. atque alius quilibet artifex ſuú finem ut plurimum aſſecutum iri. Circa rarius contingens hæc duo uerſantur, Fortuna & Caſus eoq; inter ſe differunt, quod à fortuna profectum iuxta aliunde niti & pendere, ac præter opinionem raroq; ſuperuenire iis fertur quæ, per prælectionem fiunt: hoc autem perinde eſt ac ſi hominum operibus dixeris. nocatur.n. in ſolis hominibus prælectio: quos conſulere, atq; hoc præ illo eligere natura uoluit: cum neq; conſilio nobis præſtantiores egeant, neq; conſulere brutæ animantes poſſit. Quod ergo à fortuna prodit, cum iis, uti diximus, quæ prælectionem geruntur, q̃ autem caſu prouenit, cum iis quæ ſecundum naturam fiunt ſubſiſtit. Si enim noſtrum quiſpiam ut amicum conueniat progreſſus cuidam librum uendenti occurrerit quem non dudú ex optauerat, atq; illum coemerit, fortuna incidiſſe in illum dicitur, eundemq; emiſſe: propterea quoniam librum emere ſimul cum quandam eatitii prælectione quæ nos ad progreſſum commouit: ſuperuenitq; extrinſecus, à nulla definite proxima cauſa effectum. quippe & balneas petens librum emere, uel deos precaturus, aut ſpectaculum quodpiam uiſurus potuiſſet. Sin ex terræ concusſione diducta eius parte aquę fons qui prius non fuiſſet eruperit, aut qui fuiſſet deperierit, non fortuna, ſed caſu ortus fons eſſe dicetur, aut interiiſſe. & ſi de ſublimi quopiam delatus loco ſitum eum acceperit lapis ut ſeſſioni uerbi gratia aptus euaſerit, caſu non fortuna ſedile eſſe perhibetur: ſiquidem accidens hoc non cum prælectione, ſed cum illius naturali impetu prouenit quo ſuperne deorſum proruit. Circa uero æqualiter contin-

A gens ſola prælectio uerſatur: ut progredi uel non progredi: & diſputare uel non diſputare. atq; ſola ſpecies hæc contingenti utrumlibet nocatur, ex eo quod nihil in hoc plus aut minus exiſtentia eiuſdem priuatione habeatur: ſed pars utrauis contradictionis euenire ſimiliter poſſit. Itaque contingente, id quod diximus, tollendo, {Nihil ergo ait, neque eſt, neque ſit, neque à fortuna, neque ab eo quod æque eſſe ac non eſſe poſſit.} hoc eſt, Nihil ergo neque nunc iam ſiue ut rarius, ſiue ut æqualiter contingens euenit: neque unquam in poſterum eueniet. Deinde & communem contingentis omnis abolitionem faciens addidit, {Neque erit aut non erit.} quippe omne contingens eo differt à neceſſario eueniente atque impoſſibili, q̃ neceſſarium fore duntaxat dicimus: & impoſſibile ſolum non fore, contingens autem, uel fore, uel non fore. Nihil ergo neque eſt ait, neque ſit contingentium modo. {Sed cuncta ex neceſſitate: nec utrumlibet.} poſtea uelut cauſam eam nobis ad memoriam reuocans qua contingere hæc uiſa ſunt, ſubdit, {Aut.n. qui affirmauit aut qui negauit uerus erit.} Quod ſi horum alter uerum finite explicabit: propoſitionem autem contradictionis alteram, ſi uerum diſtincte enunciet, contingentis exitium ſequebatur, liquet contingens tum aliud, tum quod eius uelut centrum eſt utrumlibet quod Ariſtote. pro uniuerſo contingente accepit, ex rerum natura abolitum iri. Quod ſi quam obtineret ſubſiſtentia, {Fieret ſimiliter aut non fieret.} Hoc.n. utrumlibet uel eſſe uel fieri arbitramur {Quod nihilo magis ita uel non ita ſeſe habet aut habebit.} ac ſanè uerbum habet de eo uidelicet quod factum eſt: iamq; in eſſentia exiſtit habebit autem de eo quod faciendum obueniet, dicimus.

X.

Item ſi album nunc eſt, uerum prius fuit album fore affirmare. quamobrem uerum fuit ſemper ex iis quodlibet quę facta ſunt eſſe aut fore dicere. ſin autem eſſe dicere aut fore ſemper uerum fuit, non poteſt hoc non eſſe neque non fore. at quod non fieri nequit,
C *impoſsibile eſt non fieri. quod non fieri eſt impoſsibile, neceſſe eſt fieri. ergo quę erunt diuerſa fieri eſt neceſſe. itaq; nullum erit utrumlibet, nihilq; fortuito. nam ſi quidquam à fortuna, non utiq; id ex neceßitate fuerit.*

Quæ ſupra minus perſpicue dicta ſunt ut ab acceptis in futurum tempus de quibus agitur propoſitionibus uerum diſtincte diuidi ac falſum probaret, cui ex ſeſe conſequens erat nullum contingenti inter ea quæ ſunt locum relinqui, uult per hæc nobis apertius tradere: ac maiore ſtudio rationem deducit. idcirco uelut ab alio principio argumentationem moliens, {Item ſi album,} inquit, {Nunc eſt:} ut ſi infans editus modo ſit, uerum fuit pridie dicere, album poſtridie ortum iri infantem. neque id pridie magis quàm prius quantolibet tempore (nam quę ſors hæc fuerit) quod autem ſemper prædicentes fore uere loquimur, hoc non fore nequaquam poteſt, quemadmodum nec quod eſſe dicentes uere affirmamus, hoc poteſt non eſſe. fieri ergo non
D potuit quin albus infans naſceretur. quoniam uera de ipſo quoque in infinito anteq; cœpto tempore facta eſt diuinatio. {Quod enim, (inquit,) Non fieri nequit, impoſſibile eſt non fieri. quod non fieri eſt impoſſibile, neceſſe eſt fieri.} eoq; promouet rationem, ut, quod ipſe ſtatuerat, omnia probet neceſſitate contineri. idq; ex propoſitionibus quæ magis perſpicuæ ſunt, magisq; conreduntur, ac tantundem illis ualent in quas tranſmutantur. Nam & hæc nequit non fieri & illa impoſſibile eſt non fieri eodem pertinent. & hæc impoſſibile eſt non fieri cum illa, neceſſe eſt fieri eodem refertur: quemadmodum & hæc impoſſibile eſt fieri atque illa neceſſe eſt non fieri in idem conueniunt. magis tamen ab hac impoſſibile eſt non fieri utpote euidentiore, quàm ab illa, neceſſe eſt fieri commouemur. Quapropter Medicus quoq; cum neceſſe exempli cauſa ægroto eſſe, ſi ſanare uelit, uenam ſecari dixerit, quaſi rationem quæ id cófirmet, magisq; permouere ad credendum debeat, ſubiungit

circa

cum tanquam impoſsibile eſt uena non ſecta conſaneſcere. Quocirca merito, inquit, dicebamus { Quæ erunt uniuerſa fieri eſt neceſſe: nihilq́; neq; fortuito, neq; alio contingentis modo. Cæterum aduerſus hanc argumentationem dicendum eſt, quod exitum nunc obtinuit ac iam factum eſt, uerũ non fuiſſe ante exitum omnino album fore dicere. haud enim quoniam id in ipſum eſſe à tempore eſt depromptũ, idcirco ex neceſſaria ipſum præmolitione factum eſſe putandum eſt. Quapropter ex iis qui de illo præſagiunt non uerus is erit qui neceſſario fore albũ dicit, ſed qui totum hoc, ipſum contingenter euenturum pronunciat. Hoc ſi ſit, conſtat fieri quoq; ut non eueniret potuiſſe. non enim ipſum cõtingenter eſſe euenturum uerum aliter fuiſſet. Ne ergo qui hæc argutantur ab eo quod iam euaſit id quod adhuc expectatur indicent, ſed ipſum nondum euaſum ſeruantes, quærant an nec neceſſario ſit euaſurum. haud enim demonſtrare id potuerunt: ut poſt ipſe nos aperte Ariſto. docebit.

XI.

At uero nec neutrum dicere eſſe uerum licet: ut neq; fore neque non fore. Nam primum ſi falſa affirmatio ſit, non uera erit negatio: & ſi falſa ſit hæc, affirmationem accidit ueram non eſſe. Ad hæc quoque ſi uerum ſit album eſſe ſimul dicere ac magnum, ambo ſit oportet. quod ſi cras fore, cras erit, ſin uero neque erit cras, neque non erit, utique non ipſum erit utrumlibet: ut prælium nauale: nam neque committi nauale prælium, neque non committi oporteret.

Quoniam ſupra ad contingentis abolitionem ſumpſit à propoſitionibus de quibus tractatur, uerum definite ac falſum dirimi: ſumpſit autem hoc propterea ꝙ ſimul ueræ eſſe inter ſe nequeant, id quod uerbis illis dicebatur, haud enim ambo ſimul erunt in talibus, ac ſuſpicari quis poterat, neceſſe nequaquam eſſe ſimul ueras eſſe eas, aut uerum falſumq́; diſcernere: quippe & ſimul poſſe mentiri ob id nunc oſtendere nec ſimul has mentiri propoſitiones poſſe inſtituit: quod non ſolum nec quicquam ita dicere uolentem ad contingens introducendum iuuat: ſed & alioquin fieri nunquam poteſt. Nam uel eadem hypotheſi oſtendetur rem eandem & euenire neceſſario: & exitum obtinere impoſsibilem. Itaq; ne hoc quidem dici poſſe ait, ſingulares cõtingentesq́; propoſitiones ſimul inter ſe in futuro tempore eſſe mendaces: id quod uerbis illis indicauit, { At uero nec neutrum dicere eſſe uerum licet. } quoniam primum, inquit, contradictionis dignitatem tollemus: à qua omnes, utpote euidentiſsima, demonſtrationes depromimus. Ad hæc autem uſu ueniet rem ſimul eandem neq; ideo fore, quoniam fore illã dicens affirmatio mentitur: ruſus fore: quoniam fallit negatio quæ non fore ipſam pollicetur: quamobrem erit ipſa ex neceſsitate, atq; ex neceſsitate non erit: quo quid monſtroſius? Vt autem hoc colligat, ſumptiunculam eam iterum nobis ad memoriam reuocat quæ ex orationum inquit ueritate rerum ſequi euentum, idq; non in præſenti tempore duntaxat, ſed etiam futuro. Siquis enim uere prædicat album cras infantem magnumq́; naſciturum, cras naſci oportet infantem ambobus iis quæ diximus præditum. Itaq; ſuppreſſo horum conſequente, quod res quoq; non ſint, id ex falſitate ſequi orationum, quaſi id prius iam ſimul cum hoc præcepto tradiderit, quod omiſſo conſequens eſt colligit: atq; inquit, { Sin uero neque erit cras, neque non erit, utiq; non ipſum erit utrumlibet } id eſt ſin autem falſæ ſimul id genus erunt propoſitiones uel hoc pacto contingens abolebitur. abolebitur uero propterea quoniam ſimul euenit res neceſſario, exitumq́; obtinet impoſsibilem.

XII.

Hæc igitur aliaq́; incommoda id genus accidunt, ſi affirmationis omnis ac negationis, ſiue in uniuerſalibus uniuerſaliter, ſiue in ſingularibus dicantur, alteram neceſſe eſt oppoſitarum ueram eſſe, alteram falſam: nullumq́; in iis quæ fiunt eſſe utrumlibet: ſed fieriq́; ex neceſsitate omnia. Ergo nec conſulere opus eſſet, nec

A *quidquam moliri: ut ſi hoc fecerimus, futurum illud eſt: hoc niſi fecerimus, illud non erit. Nihil enim prohibet quin & decem ante annorum millibus hic fore hoc affirmauerit, ille non fore: ut utrum ex iis uerum dictu tunc fuerit, id ex neceſsitate ſit futurum. Atqui nihil hoc refert ſiue dixerint nonnulli contradictionem, ſiue non dixerint. nam res ita ſeſe habere compertum eſt: quamuis non hic quidquam affirmauerit, ille negauerit. Neq; enim propterea quod affirmatum uel negatum ſit, erit aut non erit, nec magis decem ante annorum millibus quàm quantolibet tempore. Quapropter ſi ita ſe uniuerſo habuit tempore ut uere alterum diceretur, hoc fieri neceſſe fuit. ac quæ fiunt ſingula ita ſeſe ut neceſſario fierent perpetuo habuere. Nam & ſiquis fore uere affirmauit non poteſt fieri: & ſemper uerum fuit acta id quod factum eſt fore.*

B Inſpicere ab initio propoſitum erat an omnis contradictionis quæ in futuro capitur tempore uerum explicite ac falſum propoſitiones diuidant. Pluribus uero oſtenſum eſt huic conſequens eſſe eſplodi contingentis naturam: cum eueniant alia neceſſario: quædam impoſsibilem exitum obtineant: nihilq́; in noſtra repoſitum eſſe uoluntate: quæ poſt hac abſurda eſſe demonſtrari oportet, atq; euidentiæ repugnare. Itaq; rationem omnem complectens hoc loco Ariſt. tum propoſiti ab initio problematis meminit, tum quædam adiicit quæ ex eo ſequi demonſtrauit. eaq́; uocat incommoda: quamuis incommoda eſſe necdum oſtenderit: nimirum communibus animorum utens notionibus: ac uelut abſurdam eſſe probaturus illico eam rationem quæ contingens tollere conatur. Hanc porrò à duplici loco redarguit: atque impoſsibilia ea nunc oſtendit quæ ex ipſa cõſequuntur, paulo poſt uero & ea criminatur quæ falſo ipſamet ſumpſit. Quippe & ipſam per ſe rem quali prædita natura ſit demõſtrare oportuit: atq; in natura rerum eſſe contingens dicere. eos nanq́; impoſsibilia committantur plura qui ſummouere illud nituntur: conſtareq; ipſum euidentia demonſtrat. &

C præterea ſupradictam rationem inualidam oſtendere quæ addicere omnia neceſsitati, contingensq; ex rerum natura tentat exigere. Per hæc igitur ea demum tradens impoſsibilia quæ contingens perimentibus conſequentia ſunt, ſiquis omnem, inquit, contradictionem ſimiliter ſe omni tempore habere ad uerum falſumq́; diuidendum cenſeat, neq; à diametricis tantum angularibus quas uniuerſales uniuerſaliter ſolet nominare, ueram ſemper alteram definite propoſitionum, alterã falſam in omni materia, ſed à ſingularibus quoq; haberi, ex quo de medio tolli contingens ſequebatur, inane naturæ, quæ conſilii nos compotes fecit laborem accuſabit. Conſtat enim ſi nihil arbitrarium ſit, fore ut fruſtra de iis inire conſilia aggrediamur quę in noſtra uoluntate poſita ſunt: ac ſimile quid faciamus iis qui quomodo oriatur Sol, aut non oriatur conſultant. At uero nos fruſtra conſilio pollentes à natura factos eſſe dicere. prorſus ratione uacat. nam & hoc ipſum ꝑ ſe geometricis inquit neceſsitatibus demonſtratum eſt, nihil fruſtra à natura fieri. atq; euidentia omni citius

D demonſtratione confitetur. Quin & ii ipſi qui omnia neceſſitate cogunt, & contingens exturbant, ipſam rurſus omnino naturam eſſe fatebuntur, quæ ut ipſi aiunt definire omnia atque ex neceſsitate, nihil temere faciat. Quamobrem quo pacto ridiculum non ſit & nihil dicere in noſtra facultate relinqui à natura, & nos ab eadem conſultoria ut præditos fieri: quaſi pro noſtro arbitratu aliquid agere uel non agere nobis liceat? Siquis enim cogitatione illam perinde uti neque inſtrumento ad actionum exitum dicat, uerum nos oportuit, reſpondebimus, à nobis ipſis ad eas actiones eſſe incitatos ad quas impulit natura: quemadmodum uſu uenire iis cernimus quæ certo ad ſuos fines tendunt itinere naturæ motu agitata. Quo fit ut nos quoque cum aliqua in arte quidquam agentes naturam imitamur, non conſtemur conſulendo, ſi perfectam promptamq́; in artis notitiam teneamus: id quod naturam imitaturo ſuppetere eſt neceſſe. Ergo ſi neceſsitati deberentur omnia. { Nec conſ

ſulere, inquit, opus eſſet, nec quicquam moliri.} hoc eſt actionum principia aggredi: ut ſi cogitemus ex Aegypto Athenas nauigare, in portum deſcendere nequaquam oporteret: nec nauem quærere: nec ſarcinulas importare. nam uel ſi nihil ex iis curauerimus, neceſſe nos foret Athenis eſſe. Deinde modum etiam nobis eum deſcribens quo agitare conſilia ſolemus, {Vt ſi hoc (inquit) fecerimus, futurum illud eſt: hoc niſi fecerimus, illud non erit.} Si enim propoſitum uerbi gratia ſit eo loci proficiſci quo nauigio peruenire ac iumento poſſis, conſulimus uter eligendus magis ſit eo perueniendi modus, ac quæ utrunq; ſequuntur commoda uel incommoda alterum alteri conferendo uiciſſimq; compenſando æſtimamus: illum enim qui plus commodi afferre, uel minus uidetur incommodi, magis eligimus. Sic uero & Poeta intellexiſſe Achillem inquit ſi in Troia maneret bellum gereret, moriturum ſe breui: atq; inſignem gloriam adepturum. ſin à bello diſcederet, ocioq; frui in patria mallet, B uicturum quidem diu, ſed inglorium futurũ atque gloriam ſenectuti prætuliſſe. Deinde nos rurſus eius commonens argumenti quo amoueri contingens uidebatur, duorum quorundam inquam contradictionem prædicentium, explicite uerum alterum pronunciare: ac propterea quod locutus ille eſt euenire, quod inconſulto effari quis potuiſſet, argumentum refutare ſe poſſe exiſtimans, his uerbis, ſed nihil geſtum huiuſmodi eſt: neque de re tanquam euentura quiſquam prædixit, ut etiam ubi uero illi eſſe conceſſerimus, neceſſario rem eueniſſe affirmemus, hoc poſitum carpit: atque non recte dici oſtendit. haud enim euenire propterea rem arbitrabimur ꝙ ii uere præmoneant qui ante eius euentum euenire illam prodiderunt: ſed contra propter rei naturam uera eſt quæ de illa prædicatur oratio. Nam, ut in prædicamentis quoq; explicatum eſt, tametſi hæc inter ſe reciprocent, rei natura & uera de ipſa oratio, non tamen oratio res ut ſit facit: ſed ut uerax oratio ſit in cauſa eſt rei eſſentia. Quapropter ſi nihil minus habet exitus rei, tametſi actu prædicta non ſit oratio quæ euenturam illam eſſe pollicetur, ue- C ræ prædictiones erunt omnes de iis quæ contingenter fiunt ſi ante euentum uel actu uel poteſtate enuncientur. hoc autem ſi ita ſe habeat, euenit earum quælibet neceſſario, nec potuit illa non eueniſſe.

XIII.

Quod ſi hæc eſſe non poſſunt, (cernimus enim tum à conſulendo, tum à quopiam agendo principium eſſe futurorum, eſſeq; in iis omnino quæ non ſemper agunt ipſum, poſſibile eſſe, ſimiliter ac, non eſſe, in quibus ambo &, eſſe, &, non eſſe, contingunt: quamobrem, fieri, etiam atq;, nõ fieri. Atque ita multa ſe habere nobis conſpicuum eſt. ut ueſtis hæc uerbi cauſa diſſecari poteſt, nec diſſecabitur, ſed ante deteretur: poteſt & non diſſecari ſimiliter. haud enim illi ſuppetiiſſet antea deteri niſi non diſſecari potuiſſet. quare & in cæteris rebus faciendis quæcunque per huiuſmodi poteſtatem dicuntur) conſtat igitur neq; eſſe, neq; fieri ex neceſſitate omnia: ſed alia eſſe utrumlibet, nihiloq; magis affirmationem uel D negationem ueram aut falſam fuiſſe. Alia magis magnaq; ex parte alterum: quanquam fieri & alterum poteſt, alterum minime.

Cum ſuperius impoſſibilia ea nobis tradiderit Ariſtote. quæ contingens adimentes committantur, fruſtra nimirum deliberare, fruſtra demum aggredi res agendas: ac quæcunque iis conſequentia ſunt: ut fruſtra acceptum quibuſdam referre ꝙ nobis opitulentur: aut alios uelut nobis refragantes accuſare. fruſtra nonnullos, ut bonos laudare, uel ut malos uituperare. inania quoque eſſe nomina illa uulgo celebrata, uirtutem ac uitium. (ubi.n. locus dari iis poteſt, ſi nihil noſtræ uoluntatis eſt, ſed nos, ut aiunt illi, ad quædam hæc agenda ex neceſſitate ducimur: quæ & à ratione uidelicet planè abhorrent, & uniuerſam hominum uitam funditus euertunt?) per hæc recta quoq; ex ipſa rerum euidentia inſtituit & in rebus contingens eſſe, & in quibus ſit oſtendere. nempe non in ſempiternis, ſed in ſolis iis quæ ipſum eſſe in A ortu atq; interitu obtinent. Quod igitur magnam ad res adminiſtrandas uim habeat conſultatio, multaq; ex iis quæ ſunt noſtræ uoluntati debeantur, quæ geſta nequaquam fuiſſent, niſi conſilium nos de iis cepiſſemus, uiaſq; inuiſſemus illarum euentus, oſtendit à ueſtis exemplo: quam pro ut nobis libet. uel ſcindere poſſumus, uel integram atque inconſciſſam ſeruare: donec uel utendo ac geſtando deteratur: uel etiam in uſum non adhibita reponatur: ac ſpatio temporis putreſcat. conſtat autem fore ut & in aliis ſæpe innumeris eædem rationes conueniant. quocirca perſpectum eſt eorum omnium poteſtatem quæ ita ſunt, nobis à natura datam. quibus ſignificandis Ariſto. {Tum à conſulendo, tũ à quopiam agendo principium eſſe futurorum} dixit: communius nunc nomine uſus futuri de eo quod nondum euenit, poteſt autem, ſiſi quid uetet euenire. per id autem quod agendo quopiam dixit, id declarans quod eſt operationis principia aggredi: quod prius moliri appellabat. Cæterum B quibus in rebus eſſentiam contingens obtineat. breuiter docuit, cum ait, {In iis eſſe quæ non ſemper agunt.} quod perinde eſt ac ſi in iis quæ ſunt quandoq;, alias uero non ſunt dixeris. hæc enim cum inter ea quæ ſemper ſunt atq; illa quę ſemper non ſunt, media habeantur, quatenus agunt, prorſus ab iis differunt quæ ſemper non ſunt. ut uero non ſemper agentia, diſſidebunt ab iis quæ ſemper ſunt, ſemperq; agũt. Quæ autem ſint non ſemper agentia, breuiter rurſus docuit: atq; inquit {In quibus ambo & eſſe & non eſſe contingunt.} hoc eſt in iis quę in generatione atq; interitu ſunt. Nam neq; ex iis quodpiam quæ ſemper non ſunt agere unquam poteſt. (quomodo enim id queat cui ne eſſe quidem natura cõceſſit?) neq; ex iis quę ſemper ſunt poteſt aliquod quandoq; non agere: quippe ſi ſemper ſit patet perfectum ſemper eſſe, ſuamq; ipſius eſſentiam habere ſecundum naturam. neq; enim ſempiternum eſſe alioquin poſſet. ꝙ ſi ſemper eiuſmodi ſit, omnino ſubſtantialem actum quendam obtinebit, quo ipſum ſemper agere eſt neceſſe, ne ſi uel quouis tempore actus expers maneat, irritam atq; inanem ſuam ipſius naturã C oſtendat: atq; ipſum fruſtra iis quæ ſunt annumeretur. Quapropter entia illa quæ partim ſunt, partim non ſunt expreſſit, ab eo quod non ſemper agant. Competit hoc igitur contingentibus omnibus, poſſe & eſſe, & non eſſe. quocirca & ante illorum exitum iis poſſe & fieri & non fieri competet. Sed ex ipſis alia ſimiliter ad hoc ſe habent, ut & ſint & non ſint: quare ad id quoq; ut fiant atque non fiant: ea nimirum quæ in noſtra prælectione poſita ſunt, atque utrumlibet nocantur. Alia uel eo magis declinant ut ſint ac fiant, nocanturq; magna ex parte contingentia: uel ut non ſint, neq; fiant: ac rarius contingentia nuncupantur. quæ utraq; cum ſignificare communiter uoluiſſet {Alia magis magnaq; ex parte alterum, (dixit,) Quanquam fieri & alterum poteſt, alterum minime.} Habet enim quod ſic uocatur magna ex parte contingens euentum ipſum hoc quod magna ex parte nomino: cum tamen & non euenire, quanuis rarius quam euenire poſſit. Rarius autem contingens, quod non euenire plerunq;, euenire tamen etiam poteſt: quanquam rarius quam non euenire. Nobis igitur magna ex parte alte- D rum ipſius eſſe uidelicet ac non eſſe illud permittens. atque huic oppoſitum & rarius, quod ipſum quoque alterum appellauit ad id quod eſt non eſſe lubet accõmodare, dictiunculis iiſdem complexus eſt ea quæ plurimum inter ſe diſtant ſignificata contingentis, quod magna inquam ex parte, ac rarius euenit. Conſtat autem perinde atque res enunciationes quoque de ipſis ſeſe habere ad ueritatem aut falſitatem indicandam.

XIIII.

Neceſſe eſt igitur id quod eſt eſſe quando eſt: & quod non eſt, quando non eſt, non eſſe. non tamen nec quidquid eſt neceſſe eſt eſſe: nec quod non eſt neceſſe eſt nõ eſſe. haud enim eſt idẽ id quod eſt uniuerſum, quoniam eſt, ex neceſſitate eſſe: & ſimpliciter eſſe neceſſario. ſimiliter & in eo quod non eſt. Eadem & in contradictione ratio habetur: eſſe: quidem neceſſe eſt omne uel non eſſe, &

fore

fore uel non fore:non tamen diuiſione facta dicere alterum eſt neceſſe. id uero inquam,ut neceſſe eſt fore cras nauale prælium , uel non fore.non tamen neceſſe eſt committi cras,neque non committi nauale prælium.committi uero aut non cõmitti neceſſe eſt. Quapropter quoniam perinde atque res,ueræ ſunt orationes , patet quo pacto ſe habent quæ ad utrumuis declinant, admittuntq́; contraria,neceſſe quoque eſſe ſimiliter ſeſe habere contradictionem: quod in iis quæ non ſemper ſunt,aut non ſemper non ſunt uſu uenit. Quippe horum neceſſe eſt partem alteram ueram eſſe cõtradictionis aut falſam.non hanc tamen,aut illam: ſed utra euenerit, ac magis ſanè ueram eſſe alteram,non iam tamen,ueram aut falſam. Itaque exploratum eſt neceſſe non eſſe affirmationis omnis ac negationis oppoſitarum alteram ueram , alteram falſam eſſe. Non enim ut in iis quæ ſunt ſe res habet , ſic in iis etiam quæ non ſunt,eſſe autem poſſunt uel non eſſe:uerum eo quo dictũ eſt modo. B

Propoſitionum hoc loco eſt,ipſam,id quod reſtat,infirmam oſtendere rationem quæ eliminare contingens uidetur,nihilq́; neceſſarii colligentem. Hæc autem inde pcomouebatur quod ex illis quæ iam euenere, ea quę nondum ad ſunt iudicanda eſſe cenſebat. Cum enim ſumpſerit,ſi album quidpiam nũc ſit,neceſſe uerum eſſe illum qui de eo ipſum hoc ideſt eſſe album dicit , neque nunc modo , ſed etiam in antegreſſo omni tempore uerum fuiſſe album fore pędicere,ceu nihil hoc illo differat,quodq́; exacto tempore uniuerſo uerum fuit album fore affirmare,fieri neceſſe eſſe, quæ fiunt omnia fieri ex neceſſitate colligi par eſſe arbitrabatur. Aduerſus hanc igitur rationem artificioſe admodũ per hæc inſurgens Ariſto. priuſquã enunciationes eas declaret quæ in futurũ tempus fiunt quomodo ex neceſſitate id habeant quod uerũ explicent,ac quo pacto non habeant de iis quæ in præſenti fiunt tempore prius differit,atque à rerum natura diſcrimine eorum ſumendo,quoniam uerã oportet orationem rei de qua pronunciatur ex neceſſitate cõſonã eſſe , duplex neceſſarium eſſe inquit , alterum ſimpliciter ac proprie dictum:quod ſemper ineſt ſubiecto,quaſi nec ſine ipſo C conſtare ſubiectum poſſit, ipſo nimirum ſemper uel ſecundum infinitum tempus capiendo , ut in æternis,ceu cum ex neceſſitate Solem dicimus moueri,aut angulos eſſe trianguli duobus rectis æquales,uel quoad ſubiectum extiterit,ſicut cum calidum eſſe ignem hunc aſſerimus , aut Socratem eſſe animal. Alterum non huiuſmodi, ſed cum hac præfinitione adhibita,uſq; dum prædicatum.ab eo qui ita ſe habere illud dicit uere fuerit proditum,abſolute autẽ non item,ſeu ſempiternum ſubiectũ,ſeu corruptibile ſit. Nanq; à nube ſeu luna ex neceſſitate Solem obſcurari , quoadusq; obſcuratur uerum eſt,non ſimpliciter.& te ſedere ex neceſſitate uel ambulare uſq; adeo uerum eſt donec aliquod tibi ex his adeſt unum,haud uero etiam ſimpliciter,ſeu proprie,ac ſempiterne.nam neq; ſemper ambulamus aut ſedemus , neq; quoad ipſius eſſe ſumus particeps . Eadem & in eo ratio habetur quod ex neceſſitate non eſt,duplex enim hoc quoq;, alterũ abſolute,ut non eſſe diametrum cõmenſurabilem lateri, uel Solem minime motu ceſſare,aut ignem hunc frigidum non eſſe, Alterum quouſq; non ſit prædicatum, ut ex neceſſitate D non ambulare,cum non ambulat.nam uerum hoc abſolute non eſt , ſed uſquequo non ambulat. quoniam fieri nequit ut qui nõ ambulat,cum non ambulat, etiam ſimul ambulet. Habesq́; in his propoſitionum penes materias traditã differentiam. Nam quod ſimpliciter eſt neceſſarium ſignificat, quod ſimpliciter nõ eſt,impoſſibile. quod uero eatenus eſt quoad ſubiecto predicatum incumbit,atque non eſt quoad non ineſt,contingens deſignat. His diſtinctis Ariſto.nõ ſecus atque in iis quæ de rebus prodita ſunt,à ueritate inquit orationum haberi neceſſarium. Quippe ex iis alias ex neceſſitate eſſe ueridicas per id quod abſolute neceſſarium uocant , in qualibuſcunq; enuncientur rebus,ſiue æternis,ſiue corruptibilibus,ſiuę exiſtentibus , ſiue non exiſtentibus , uelut eas quæ integra contradictione proferuntur,quale eſt uel ambulare Socratem,uel non ambulare.hoc enim totum uerum ſit

A neceſſe eſt,non ſi ſit modo,uerum niſi etiam ſit Socrates , & uel calidum eſſe ignem , uel nõ calidum , quãquã in talibus propter rerum naturã accidat partem alteram expliciter ueram eſſe contradictionis,nec contradictionem duntaxat integram. Aliæ igitur inquit orationes per abſolute neceſſariũ id ita habent ꝙ ex neceſſitate uerum profitentur,alię modo altero,quouſq; adſit uel non adſit prædicatum ſubiecto , ut ex neceſſitate ambulare,uel ex neceſſitate nõ ambulare Socratẽ.ita nãq; neceſſe eſt uerum habeant orationes,id quod affirmat Ariſto. prout naturam obtinent eæ res quæ ab illis indicantur. quãdoquidem & orationes ſunt interpretes rerum,ob idq́; ipſarum imitantur naturam: ut Plato nos ante Ariſto.docuit. Sed quid hæc ad rem dixeris,ac quonam pacto per hæc labefactatur ea ratio quę tollere contingens uidetur? Quoniam inquam ſi id quod ex neceſſitate uera ſit per abſolute neceſſarium omnis haberet oratio,merito qui contingens ea occaſione de medio tollunt ꝙ conſentaneas B rerum euentui orationes de iis pronunciantes quæ iam euenere,ex neceſſitate ueras eſſe conſpiciunt:eas quoque ſumerent orationes quę ante euẽtum res euenturas eſſe affirmãt, uerũ ex neceſſitate obtinere,acciderétq́; re uera contingens hoc pacto aboleri. At hoc quoniã,uti diximus,integræ ſuppetit contradictioni,eius uero partibus, in quibus alias ineſt prædicatum ſubiecto,alias non ineſt,nequaquam præterea, patet ab iis quod ſibi proponunt haud quaquam colligi,id quod ipſe exẽpli gratia neceſſe eſt inquit , omnino cras uel committi uel non committi nauale prælium , non tamen ſi diuiſione facta,partem etiam alteram duntaxat cõtradictionis dixerimus,certo fore omnino pronunciabimus,aut omnino non fore. Neceſſe igitur eſſe conſtat ab iis orationibus quæ de contingentibus enunciant (ea autem extremorum ſublatione indicauit , neceſſarii inquam atque impoſſibilis, quorum alterum quod ſemper eſt , alterũ quod ſemper nõ eſt appellauit)partem alteram definite ueram contradictionis haud omnino haberi,quod propoſitum ab initio nobis fuerat penſitandum , ſed haud ambas falſitatis ueritatisq́; ſimiliter receptrices,uelut eas quæ de æqualiter contingentiC bus enunciant,aut alteram prodendæ magis ueritati , alterã falſitati aſſerendæ magis idoneam,neque tamen ueram ſemper ueram,neque falſam perpetuo mendacem. id quod uerbis illis indicauit.{Nõ iam tamen ueram aut falſam.} Planũ eſt aũt in eo quod magna ex parte uocatur cõtingens, uerã magis affirmationem eſſe,in eo quod rarius,negationem.

XV.

Quoniam autem ea eſt affirmatio quæ aliquid de quoquam ſignificat, atque hoc uel nomen eſt,uel id quod uacat nomine,unum autem id ſit ac de uno quod in affirmatione eſt oportet,nomen uero quodque expers eſt nominis ante proditum eſt(nam ipſum hoc, non homo,non nomen uoco,ſed infinitum nomen quippe unum quodam pacto & ab infinito nomine indicatur. quemadmodum & non ualet non Verbum,ſed uerbum infinitum)utique uel ex nomine & uerbo,uel ex infinito nomine & uerbo affirmatio omnis negatioq́; conſtabit , nulla autem ſine uerbo affirmatio eſt, neque ulla negatio. Nanque, eſt, uel, fuit, uel,erit,uel,fit,uel,alia D *quæcunque id genus uerba ex eorum quæ poſita ſunt numero habentur,adſignificant enim tempus. Quocirca prima erit affirmatio atque negatio hæc,eſt homo : non eſt homo. Deinde, eſt non homo : non eſt non homo. Rurſus, eſt omnis homo : non eſt omnis homo. eſt omnis non homo : non eſt omnis non homo.eadem & in exterioribus temporibus ratio eſt.*

Cum ſubtiliter undecunq; ex ſubiecto & prædicato conſiſtentium propoſitionum , quarum finitum ſubiectum eſt , præceptionem confecerit,addit per hæc quotquot illę ſunt numero,neceſſario totidem alias ex ſubiecto rurſus & pędicato propoſitiones fieri,uerum non finito etiam ſubiecto exiſtente:ſed infinito. Subiectus igitur ſi uel finitus uel infinitus capiatur , idemq́; prædicatus ſit, ſpecies diuerſas efficiet, tum affirmationum,tum negationum. Prædicatus uero alias

finitus acceptus alias infinitus ſubiecto eodem manēte, neq; affirmationes neue negationes faciet diuerſas. Cōſtat enim ſi finitus is ſit, affirmatiuam neceſſariò propoſitionum eſſe, ſin infinitus negatiuam uel negationi poteſtate æqualem. In ſingularibus, negationem omnino quæ affirmationi cōtradicit, in impræfinitis, negationem rurſus omnino: non tamē contradicentem prorſus affirmationi, ſed eam quoq; interdum quæ illi poteſt conſonare. in præfinitis uero, nec purā, quod ad uocem attinet, negationem, ſed puræ tantundem negationi ualentem. rurſus in particularibus uel cōtradicentem, uel cōcordantem: uelut in impræfinitis. in uniuerſalibus, aut contradicentem, aut contrariam: prout antea diſſeruimus. Qua de re iure affirmat Ariſto. per ſolam ſubiecti differentiam permutati ſpecies id genus contradictionum. Cæterum ne quis ne fieri quidem ex infinito ſubiecto propterea putet propoſitionem, quod (ut ſupra explicatum eſt) unum ſubiectū prædicatumq; unum ab una propoſitione haberi oporteat, unum autem nō nomine, uerum ſignificatione, id quod infinito non competit nomini (unum enim id tollens quod à finito declaratur, omnibus præter ipſum congruit) idcirco exhibet quoque Philoſophus huiuſce difficultatis intelligentiam, noſq; memores reddit in una affirmatione unum eſſe prædicatum, ac de uno ſubiecto prædicari oportere, oſtenditq; propoſitionibus quoque id ſubeſſe illiſq; ex ſubiecto infinito conſiſtunt, cum ait, {Quippe unum quodam pacto & ab infinito nomine indicatur} neque illud quodam pacto ſuperuacue adiecit, ſed ut non naturam unā ſignificare quēadmodum finitum oſtēderet. Nam illud niſi æquiuocum ſit, uel genere unum ſignificat, uel ſpecie, uel numero, quorum finitum eſt quolibet, at infinitum non ita, uel ſi ipſum ſingulariter proferamus, dicamusq; nō homo, ſed cōmunicationem duntaxat eorum inter ſe omnium quæ præter id ſunt quod à finito ſignificatur, hoc ipſo quod ipſorum nullū id ſit quod eſt illud, ideo ſingulariter quoq; infinitū dicit. Porrò nomen hoc iure nominis expers appellauit, ut indicaret priuatiuū ab ipſo eius declarari quod à finito ſignificatur nomine. Quoniam uero huius nunc primum nomine carentis meminit ſubiecti, iure hoc eſſe illud monet quod prius ſub infiniti nōis appellatione tradidit, ubi uerbi, quoque infiniti nobis intelligentiam exhibebat. Series autem conſpicuæ eſt dictionis quāquā in nominati ſubiecti præceptione interiecta redditionem multopoſt facere compulſus eſt. habet enim hunc in modum, {Quoniam autē ea eſt affirmatio quæ aliquid de quodam ſignificat, atque hoc uel nomen eſt, uel id quod uacat nomine, utiq; uel ex nomine & uerbo, uel ex infinito nomine & uerbo affirmatio omnis negatioq; conſtabit.} Hoc autem uidelicet de affirmatione dicitur ſimpliciſſima, ex ſolo ſubiecto ac prædicato ſolo conſtituta: de qua ei quoque in præſentia docere propoſitū eſt. Quo fit ut quærendum minus ſit quonam hoc pacto conuenire uel ex tertio apprædicato confectis queat affirmationibus, uel cū modo coniunctis. Sed quomodo ſubnectit his deinceps, nullā ſine uerbo non affirmationem ſolum, ſed etiam negationem eſſe, ſi ex infinitis uerbis negationes fieri accidit? An quod Alexander inquit reſpondendum eſt, infinitum & id quod de ſubiecto uerbum negatur negationemq; efficit, eſſe eadē ſubiecto quidem, uniuerſi tamen reſpectu quodā pacto differre. Itaq; hoc quod non ambulat dico, ſi per ſeipſum proferatur, infinitum erit uerbum, ceu quod uelut unum quiddam ſpectetur, partemq; in ſe ſignificatiuam, aut ante proditum eſt, nullā obtineat. At in negatione quæ Socrates inquit non ambulat non exacte loqui diceremur, ſi, non ambulat infinitum uerbum eſſe uellemus, uerum magis ſi finitum per ſe uerbum de ſubiecto negatiue prædicari, ac per negatiuā particulam ſic ab ipſo diſiungi, ut non ambulat hoc loco,

A non ut unum amplius, ſed ut duo capiatur, negatiua nimirū particula diſcretum à ſubiecto prædicatum eſſe oſtendente. Fortaſſis uero & illud dici poterit, cum {Nulla autē ſine uerbo affirmatio eſt neque ulla (inquit) Negatio,} uerbi nomen cōmunius definito atque infinito acceptū, cum doceat Ariſt. id quod ſuperius quoque pronunciatum eſt, prorſus uerbo opus eſſe ut enunciatiua fiat oratio, idq; nunc data opera in propoſitionum ex infinito ſubiecto conſiſtentium contemplatione rurſus adiecerit, ne quis infinita nomina, de quibus nunc proxime agitur, uel ipſa per ſe prolata faciendæ negationi ſufficere arbitretur. quandoquidem imaginem etiam præſeferunt ſimilis negationibus habēdæ facultatis id quod poſt apertius tradet. Eo autem confirmando quod ad omnem affirmationem ac negationem aliquo dixit eſſe opus uerbo, ſubiungit, {Nāque eſt uel fuit, uel erit, &c.} quaſi exploratū ſit, neque à finito, neque ab infinito nomine, neque uno, neq; pluribus abſolutam orationem abſq; horum aliquo eſt in-
B quam uel fuit ac ſimilibus fieri. Cæterum animaduertere nobis debentibus, hæc quibus tum finita, tum infinita indiguere nomina ad affirmationem aut negationem faciendā uerba eſſe, ut quæ redditam uerbi finitionem admittunt, quod eſt tempus quoddam adſignificare, ab iis ordinē nobis proditæ propoſitionum differentiæ tradit, eaſq; inuicem conferens finito ſubiecto utentes anteire iis inquit quæ infinitum eum obtinet, quaſi ſimpliciores ſint illis. quæ autem ſub eadē ſpecie pronunciantur, primas uelut ſimpliciſſimas eſſe eas quæ aſcititia præfinitione carēt præfinitarum comparatione: ſecundas, ceu compoſitiores illis, quæ aſcitis ipſas præfinitionibus ſuperarunt. Ex iis autem quæ præfinitione uacāt, non ſingulares, ſed impræfinitas capit. ex præfinitione præditis non particularem affirmationem, ſed uniuerſalem, quaſi eadem uidelicet in reliquis quoq; propoſitionibus ratio congruat. Vniuerſalis uero affirmationis quæ finitum, quæque infinitum habet ſubiectum, non proprie negationem eam
C accepit quæ cōtradictione illi perpetuo repugnat, ſed ut ante expoſuimus, quæ ancipiti uidetur eſſē, atque cōtradicenti contrariæq; concinnere, magis tamen contradicentis partem uim obtinet. Tales enim ſunt tum hæc, non eſt omnis homo, tum illa nō eſt omnis non homo, quarum altera idē huic dicit non omnis homo eſt, altera illi non omnis eſt nō homo. Idq; propterea quoniam haud propoſitū nunc erat oppoſitionem contradictoriam rurſus tradere propoſitionum, ſed ſolum ſignificare conflatas ex finito ſubiecto propoſitiones iis præcedere quæ ex infinito gignūtur. Forſitan uero & docere nos Philoſophus uoluit, poſſe eiuſmodi quoque propoſitiones in negationum ordinē referri. Illud porrò attendēdum, exquiſita hic ab Ariſtotele appoſita eſſe exempla earum propoſitionum quæ ex ſubiecto prædicatoq; cōſtituuntur, cum eſt homo inquit, & eſt omnis homo, non autem ut ſupra dixit, eſt homo albus & eſt homo formoſus, quæ ex tertio apprædicato propoſitiones erāt. atq; hoc ea de cauſa, quod nondum illic abſolutæ tradita erat propoſitionum earum de quibus agitur cōtemplatio: quo
D factum eſt ut liberius exemplis ſit uſus. nunc uero cū ipſam adamuſſim ac membratim ea plicuerit, iure cōuenientia propoſitarum ſpeciei propoſitionum accōmodauit exempla. Patet etiam ex iis quæ recenſuimus, non idem finitum aut infinitum nomen eſſe dicere, atque præfinitum uel impræfinitum appellare. facit enim priora nominibus addita uel nō addita negatiua particula poſteriora præfinitiones conſtituunt. Hactenus Ariſto. propoſitionum ex ſubiecto prædicatoq; conſiſtentium commentationem prouexit. quàobrem nos quoque de iis quæ ſequuntur ab alio exorſi principio dicamus.

DE

DE PROPOSITIONIBVS EX TERTIO QVOQVE APPRÆDICATO CONSISTENTIBVS, SECTIO TERTIA.

1

QVando autem ipſum eſt tertium apprædicatur, duobus iam modis oppoſitiones dicũtur. id autem intelligi uolo, ut, eſt iuſtus homo. nã ipſum eſt tertium ſimul nomen uel uerbum in affirmatione poſitum eſſe aio: Quocirca quatuor hæ ob id ipſum erunt: quarum duæ ad affirmationem ſeſe ac negationem, ut priuationes ipſæ ſecundum ordinem habebunt: duæ uero nequaquam. Porrò id inquam nempe ipſum, eſt, uel iuſto uel non iuſto adhæſurum, quamobrem & negatio. itaq; quatuor erunt. Enimuero id quod dicitur ex infra deſcriptis hiſce intelligimus, eſt iuſtus hõ: huius negatio, non eſt iuſtus homo, eſt non iuſtus homo. huius negatio, non eſt non iuſtus homo. ipſum nanque, eſt, hoc loco atque ipſum, non eſt, iuſto & non iuſto adiacebit. Hæc igitur ita ſunt ordine poſita, ut in Reſolutoriis explicatum eſt.

CAPVT Libri tertium hinc auſpicatur, quod de iis eſſe propoſitionibus diximus quæ ex tertio apprędicato componuntur. Opus uero & in his eſt, priuſquã ea declaremus quę ab Ariſto. traduntur, inſpiciamus tum quonam pacto in hiſce propoſitionibus negationes faciamus ex affirmationibus: tum qua ratione poterimus, iis ea qua conuenit diligentia comprehenſis, numerum omnẽ illarum colligere. Subiecto igitur affirmationi infito conſtructa negatiua particula negationem non effici conſpicuum eſt. ſi quidem nec in iis quæ ex ſubiecto & prædicato conſtituuntur, hoc modo negationes fiebant: ſed de duabus reliquis præter ſubiectum dictionibus, prædicato & apprædicato quæſtio eſt, ut de uerbo iuſtus, atque eſt utri eorum uox non copulanda ſit, ut fiat negatio. Planum itaq; eſt non prædicato ipſam; ſed apprædicato iungendam. Nam qui homo non iuſtus eſt inquit, quendam ait non iuſtum eſſe hominem, qui uero iuſtus non eſt homo, iuſtum homini nõ ineſſe pronunciat. At orationum Enunciatiuarum, ut ante didicimus, quæ ineſſe quidquam dicit, affirmatio eſt, quæ nõ ineſſe, negatio. Atque in his cerne à conſtructa uerbo eſt negatiua particula ratione optima negationem confici. Quandoquidem enim & prædicatus nomen in id genus eſt propoſitionibus, ut iuſtus, nec ſolus orationem efficere abſolutam poteſt ſubiecto coniunctus, quodam opus iis fuit ueluti uinculo, quod illos necteret inter ſeſe, atque integram orationem perficeret: id quod uerbum eſt facit. Erit hoc igitur quod ſummã in propoſitione poteſtatem obtinet. quo fit ut à ſeipſo quoq; eiuſmodi propoſitionibus appellationem tribuat, eas nanq; ex tertio apprædicato conſiſtentes uocamus. itaq; tollere hoc oportet ut tota affirmatio tollatur, fiatq; negatio. Eſt ergo negatio homo iuſtus nõ eſt, homo autem nõ iuſtus eſt affirmatio. Verum quoniam negatio quædam eſt omnis affirmationis eadem ratione comperiemus ac uia negationem huiuſce fieri eam quæ dicit homo non iuſtus non eſt. Quapropter duæ ſunt hic imprælinitę cõtradictiones finito ſubiecto exiſtẽte, quãquam ſola facta una eſt in ſimplicibus. Nã prædicatus cum negatiua illic ſumptus particula negationẽ illico faciebat hic uero ſpecies alia eſt affirmationis. Eadem & in contradictionibus cæteris omnibus ratio eſt, ut ſingularibus, angularibusq; diametricis, quæ in omni tempore ac materia ſumuntur, finitoq; prædițæ ſubiecto ſunt, atq; infinito. Plures igitur hæ duplo iis erunt quæ ex ſubiecto ſolum

A conſtant ac prædicato. erant autem duæ illæ & ſeptuaginta, ut oſtẽdimus. quocirca quatuor hæ & quadraginta ſupra centum erunt. ſimul uero omnes ſedecim ſupra ducentas. His pręmiſſis ea deinceps conſideremus quæ per ſupra deſcriptam orationis ſeriem ab Ariſto. produntur: dictaq; obſcure hic admodum ſunt, ac per ænigmata, ad prioris uero calcem priorum Reſolutoriorum uoluminis articulate diſtincteq; traduntur. unde etiam haurientes interpretes, quæ hic à Philoſopho perhibentur intelligentia aſſequi, lucemq; illis inferre ualuerunt. Cum igitur in iis de quibus in præſentia nobis agitur propoſitionibus duæ ſint imprælinitæ cõtradictiones, alteram ſimplicem uocat Ariſto. nempe eam quæ finitum habet prædicatum: ut quæ hoc ipſo ſimplicior quam altera eſt. alteram infinitam. Propterea quoniam infinitum eſt illius prædicatum quã quã ſodalis eius Theophraſtus ex tranſpoſitione ipſam nominat, ob eam quam poſtea cauſam afferemus. Ergo cum ſimplices expoſuerit propoſi B tiones, nimirum has homo iuſtus eſt, & homo iuſtus nõ eſt, quærere operæpretium putat utra ex reliquis harum affirmatiuam ſequatur, hoc autem eſt ſimul eſſe ueram, ut in quibus ſimplex uera eſt affirmatio, ea etiam quæ illi conſequẽs dicitur, uera omnino depræhendatur. Sic nanque & animal conſequens eſſe homini propterea dicimus, quoniam ubi homo, ibidem quoq; uerum animal eſt. itaq; ſeſe habentem non eam affirmationem quæ ex infinito, conſtat prædicato, ſed eius negationem reperit. quippe in quo uerum eſt hoc, homo iuſtus eſt, uerbi gratia, Socrate, in hoc illud homo nõ iuſtus eſt ementitur: uerum autem fatetur illud homo non iuſtus non eſt. Socrates igitur ob id ipſum quod iuſtus eſt, non iuſtus eſſe nequaquam dici, non eſſe uero non iuſtus dici poterit, cum ipſum non iuſtum ab eo tollatur, quod illi aſſerimus non ineſſe, duæq; iuſti negationes unam eius rurſus poſitionem declarent, ea de cauſa ꝙ capax iuſtitiæ ſubiectum ſit. Cum itaq; propoſitiones in tabella expoſuerit, quã nos quoque infra ſubiunximus, infinitamq; negationẽ ſub C ſimplici affirmatione ſtatuerit, neceſſario deinceps infinitam affirmationẽ ſub ſimplici negatione collocat ideoq; ex trãſpoſitione eas appellauit Theophraſtus, quoniam tranſpoſitus in tabellæ deſcriptione eſt ordo illarum, eſtq; harũ negatio ſub ſimplici affirmatione conſtituta, ſub negatione uero ſimplici, affirmatio. uel etiam quoniam finito trãſpoſito prædicato, poſitoq; infinito factæ ſunt. Cæterum quoniam ſimplici uerum fatente affirmatione ueram prorſus ex tranſpoſitione negationem eſſe compertum eſt, num etiam ita reciprocat ratio, ut ſi uera negatio ſit inde finiti, uerã omnino ſimplex affirmatio declaret? An minime, ſed uera in quibuſdã prodita inficiatio eſt, falſa ſimplex affirmatio, ut in iis qui homines prorſus non ſunt. Verum naq; eſt canem dicere non iuſtum non eſſe hominem, omnino nãq; qui homo non eſt, conſtat hunc neque iuſtum dici hominẽ poſſe, neq; non iuſtum, falſum tamen eſt iuſtum hominem ipſum eſſe enunciare. quamobrem negatio ex tranſpoſitione amplior ſimplici affirmatione erit. Arctior ergo affirmatio ex trãſpoſitione erit. Arctior ergo affirmatio ex trãſpoſitione erit ne D gatione ſimplici. nã ſi uera in omnibus ſimplex affirmatio uel negatio eſt, ſimiliter quoque uel affirmatio ex tranſpoſitione uel negatio: ueram autem negationem ex trãſpoſitione in pluribus eſſe ſimplici affirmatione confeſſum eſt. affirmatio ergo ex tranſpoſitione uera in cæteris erit, iiſq; paucioribus quàm quæ ſimplici negatione compræhendutur. Fingamus exẽpli cauſa mille numero eſſe quæ ſunt omnia: ſimpliciq; affirmatione ea compoſito uerũ in quadringentis proferente, negatio ex trãſpoſitione, cum latius eius ueritas pateat, uerum in ſexcentis uerbi gratia fateatur. Patet igitur ex propoſitionibus cæteris duabus negationem ſimplicem ueram in ſexcentis reliquis futuram. affirmationem ex tranſpoſitione, cum in cæteris quadringentis uerum præter ſimplicem aperiat negationem: minus affirmatione ſimplici fore uniuerſalem. Verum ſic quidem uti propterea cogimur quoniam mutuo ſibi contradicunt imprælinitæ, ſi alteram illarum in re qualibet ueram eſſe cenſeamus. Rectius autem fortaſſe, magisq; Ariſto. menti conſentaneum fuerit,

à rebus comprobare anguſtiorem negatione ſimplici affirmationem eſſe eam quæ præfinitione caret, atq; infinita nominatur. Nam ſi quis eſt non iuſtus homo, is iuſtus homo non eſt, non tamen ſi quiſquam non eſt homo iuſtus, iam homo quoq; nō iuſtus eſt. quippe in eo qui prorſus homo nō eſt, uera eſt ſimplex negatio: infinita affirmatio mentitur. Enimuero prior argumentatio, qua uel Ariſto. ipſe ad finē primi Reſolutoriorum uti uidetur, in contradicentibus ſibi mutuo propoſitionibus, id quod ibi ſuppoſuit, rectè proue hetur. in iis uero quę ſimul quandoq; aſſerere uerū poſſunt, nequaquam procedet. In ſumma illud attendendū, impræfinitas in ſubiecti partibus diuerſis dicere quidem ſimul uerū poſſe, non ſecus ac particulares à nobis depræhendi, ut ante explicuimus. uerum ſi de uno atq; eodem illas uel actu prędicemus, uel cogitatione, uerum cum eo falſumq; diuidere iure affirmari. Quippe tum ex iis quæ ſunt quodlibet, tum ex iis quæ non ſunt, uel iuſtum uerbi cauſa eſſe hominē neceſſe eſt, uel non eſſe. Perſpicuum uero eſt ſi propoſitiones B de quibus loquimur hac intelligentia cōtemplemur, ueram quoque à nobis ampliorem in ipſis eſſe atq; arctiorem dici prædicationem. quo etiam pacto cum animal perhibemus homine uniuerſalius patere. Nihil enim per hoc aliud ſignificamus, quàm in quibus prædicare uerum eſt hominis nomen, in iiſdem prædicari & animal poſſe: non tamen cōtra. ſic igitur habent hæ mutuam conſequentiam. Cæterū quoniam propoſitiones quoq; alias in tabellę deſcriptione nōnullas Ariſto. capit, quæ quidē & ipſæ ſimplices ſunt, eoq; ab iis differunt quę hoc ipſum ſimplices nuncupantur, quòd nō habitum, ſed priuationem habeant prædicatum, quales hæ ſunt homo iniuſtus eſt, homo iniuſtus non eſt. Quippe iuſtum finis quidā & forma & habitus uel quaſi perfectio eſt, ideo ſimplex hæc propoſitio homo iuſtus eſt uocatur. Iniuſtum autem infinitudo & formæ priuatio. proinde priuatiua propoſitio eſt ea, quę Socrates iniuſtus eſt, dicit. In his enim priuationem nonuno abſentiam ſimpliciter formæ, nō negatione ſignificatam, ſed uel formæ nomine in priuatiuam C particulam aſſumente, ut in inſuetus, inimicus iniuſtus, atque id genus uniuerſis, uel alio etiam nomine ſeu contrariorum deterioris, ut in malo, ſeu neq; contrarii, ut in nudo. & uel eā quæ ad formam redire natura idonea ſit, eo nimirum ſignificatu priuationis qui in phyſicis cōmentationibus traditus eſt, ut immuſicum, uel nec aptam reuerti, quo modo ſeſe in Prædicamentis cęcitas habere dicebatur. ſimiliter nanque in ſignificatis omnibus ratio cōgruet. Quoniā igitur, id quod prodebamus, priuatiuas propoſitiones inter ſimplices & eas quæ ex tranſpoſitione appellantur, ſtatuit medias, has quoq; intueamur quid ad utrinq; ſitas obtineant cōſequentiæ. ſiquidē hoc inuento, dilucida nobis Ariſtotelica dictio deinceps erit. alioqui minime. Itaq; comperium eſt neq; harum affirmationem ex affirmatione ſimplici, ſed negationē ſequi, nam qui iuſtus homo eſt, non dicitur quidem eſſe iniuſtus, non eſſe tamen iniuſtus perhibetur. Quo fit ut etiam priuatarū negatio propoſitionū in deſcripta tabella ſub ſimplici affirmatione, affirmatio ſub negatione cōſtituta ſit. Sed D utrum quemadmodum in quibus ſimplex affirmatio, in iis

A priuatiua uera negatio eſt, ſic ordine quoq; inuerſo ſeſe res habet? An nequaquam, ſiquidem uera in pluribus priuatiua eſt negatio, in quibus infinitam etiam negationem ſimplici uniuerſaliorem affirmatione deprehendimus, hoc eſt in oēs pręter hominem effuſam. Hęc autem priuatiua inquam negatio non in iis duntaxat quæ præter hominem ſunt ſimplicem affirmationem ſuperat, ſed in iis etiam qui ſunt quidē homines, neq; uero habitus, neq; id genus priuationis participes habentur, uelut illis qui neque iuſtum habitum obtinent, neq; iniuſtum. Porrò ea iis quæ ante prodidimus conſtāt priuatiuam affirmationem minus uniuerſalem negatione ſimplici futuram. Ambę itaq; inficiationes tum priuatiua, tum infinita ſimplicem affirmationem ſequuntur, eandemq; ad illam rationem habent. quippe uniuerſaliores ambas illa eſſe oſtendimus. Eodem pacto affirmationes quoq; ipſarum eartionem eandem ad ſimplicem negationem obtinebunt. nam & has illa minus amplas eſſe monſtrauimus. De B inceps ergo conſideremus an quēadmodum ſimplices ſeſe propoſitiones habent ad eas quæ ex tranſpoſitione appellantur, ſic priuatiuæ etiam ad ipſas rurſus ex tranſpoſitione propoſitiones habeantur. hoc eſt an quo modo ſimplex affirmatio negatione reſtrictior eſt infinitum prædicatum habente, ſic priuatiua quoque negatio particularior quàm ea ſit. & ſicut latior eſt ſimplex negatio quàm infinita affirmatio ipſi ſubiuncta, ita priuatiua quoque affirmatio. At qui id econtrario uerum eſt omne. neq; enim minor priuatiua negatio, ſed maior eſt quam infinita, neq; affirmatio maior eſt affirmatione, ſed minor. Quod ita ſe habere, capiendo ab affirmationibus argumentationis principio, quādoquidem & notiores ſunt affirmationes, ceu magis finitæ negationibus, facile oſtendemus. Cōſtat igitur in paucioribus affirmatione trāſpoſititia priuatiuam affirmatione enunciari. Nam ſiquis iniuſtus quidem eſt homo, patet hunc eſſe nō iuſtum. non tamen ſi non iuſtus eſt quiſpiam, is quoque iam eſt iniuſtus, tum propter habitum medium, tum eius cauſa quē nōdum C alterutrius participem eſſe natura uoluit, uelut in pueris. Quocirca priuatiua negatio uera in pluribus quàm negatio ex tranſpoſitione erit. Etenim in prædictis quidem habitibus, medio, ac puerorū, priuatiua uera negatio eſt, quoniam iniuſti homines non ſunt: falſa tamen infitiatio eſt ex tranſpoſitione, quia uera eius eſt affirmatio. ſunt enim non iuſti homines. Has ob res igitur ſimplici affirmationi uerba hæc minor ambabus in margine aſcribemus, ſub ipſa nimirum poſitis negationibus. eius uero negationi maior ambabus nempe ſub ipſa deſcriptis. Et tranſpoſititiæ negationi, maior ſimplici affirmatione. quippe amplior quam ſola illa eſt inuenta. affirmationiq; eius, ut conſequens eſt minor ſimplici negatione. Rurſus quoque priuatiuę negationi maior etiam ſubſequente: quādoquidem maior ambabus hinc inde deſcriptis, comperta eſt, affirmationi autem uidelicet minor ipſam quoq; comitante. Quare propoſitiones ex tranſpoſitione rationem eam ad ſimplices quam priuatiuæ habere exploratum eſt haud uero ſimplices eandem cum priuatiuis ad tranſpoſititias obtinere. D

Minor ambabus	Homo iuſtus eſt.	Homo iuſtus non eſt.	*Maior ambabus.*
Maior etiam ſubſequente	Homo iniuſtus non eſt.	Homo iniuſtus eſt.	*Minor ipſam quoque comitante.*
Maior ſimplici affirmatione	Homo non iuſtus non eſt.	Homo non iuſtus eſt.	*Minor ſimplici negatione.*

Eſt iuſtus non homo.	Non eſt iuſtus non homo.
Non eſt iniuſtus non homo.	Eſt iniuſtus non homo.
Non eſt non iuſtus non homo.	Eſt non iuſtus non homo.

Reliquum eſt igitur ad dictionem accedamus Ariſtotelis, nihilq; ex ſupradictis oſtēdamus fruſtra à nobis decantatū. {Quando igitur Ipſum eſt, (inquit,) tertium apprędicatur,} non quaſi tria in propoſitione prædicata eſſe cenſeat. tertiū uero interea locum ipſum, eſt, obtinere: ſed tertium in propoſitione præter duos terminos, ſubiectum & prædicatum: ſecundo tamen & ipſum loco ut prędicetur habere hac, uelut inſuper prædicetur. Ergo cum, homo iuſtus eſt, dicimus, iuſtū de ſubiecto homine prima ratione prædicamus: quandoquidē hoc de ipſo enunciare propoſuimus. quoniam uero id ſubiecto copulatum enunciationi condendę ſatis non erat, ipſum, eſt, illis additur: quod ea, uti prius dictū eſt, colliger, ſuperq; de ſubiecto prædicetur. itaq; totū hoc de ipſo, iuſtum eſſe, pronūciamus. Haud uero, eſt, uerbum omnino,

quoniam tertium habeatur in propoſitione, iam etiã apprædicatur. Quapropter in ea quæ, Socrates Philoſophus, eſt, inquit prædicamus uerbum, eſt, duntaxat, non autem apprędicatur: propterea quod totum hoc Socrates Philoſophus, ut unũ capitur: ac ſubdita à Latinis diſtinctione ſubiectũ fit uel addito apud Græcos articulo, qui nõ prædicans, ſed ſolis uult ſubiectis coniungi: loquimur autem de illo ꝙ fit: necdum perierit. Sed nec quãdo, Sol ex neceſsitate eſt dicimus, ne tunc quidem apprædicatur, eſt, uerbum: quãquã ſimplex hoc loco ſubiectum eſt. ſed hoc quod, ex neceſsitate eſt, inquam, modus eſt, nõ prædicatum. Verum de propoſitionibus cum modo, cũ ſpecies præter has aliam obtineant quas nũc propoſuimus, docebit poſthac nos Ariſ. nõ ſimpliciter autem quando uerbum in propoſitionibus apprædicatur quodpiam dixit: ſed quodnam id ſit quod apprædicari natura aptum eſt, exquiſite diſtinxit, nimirum ipſum, eſt, ſolũ. quod ita ſe habere ſuo deinceps loco demõſtrabimus. Quãdo igitur ipſum inquit, eſt, in propoſitione tertium apprędicatur, duobus iam modis oppoſitiones dicũtur propoſitionum quæ unico modo de prius traditis propoſitionibus dicebantur. Deín prius quã doceat quonam pacto duplici ratione proferantur, exponit exemplo quando apprædicari ipſum, eſt, perhibeatur, quod nomen uel uerbũ appellauit. ſiquidem uerbũ eſt, quaſi adſignificet tempus nec quicquã prohibet quo minus & nomen uocetur: eo nimirum ſenſu quo ſignificatiuas aſſerebamus uoces omnes nominũ appellatione cenſeri. Atq; nec ita illatione duobus modis oppoſitiones has dici cõprobauit. uerũ in præſentia perinde quaſi conſpicuum id ſit pro intellectualis eius ipſius habitus magnitudine concluſionem ſolam, magis uero quod concluſioni conſequens eſt enunciauit, cum intulit, {Quocirca ob id ipſum,}(intelligit aũt duobus modis oppoſitiones proferri){Hæ quatuor erunt.} quod per defectũ partis pronunciatum eſt. quatuor enim partes, ac propoſitiones quatuor duarum ſunt oppoſitionum, ſimplicis, atque infinito prędicato utentis. Deinceps uero aperte eius quoq; probationẽ affert quod duobus modis hoc loco dicãtur oppoſitiones quæ eodem utuntur ſubiecto. quatuorq; earum partes fiant: cum ait, {Porrò id inquã, nempe ipſum, eſt, uel iuſto, uel nõ iuſto adhæſurum, &c.} ubi differentiam ac ſequelam propoſitionum ut in expoſita tabella contemplari operæpretium eſſe exiſtimat. Atque hæc ſane manifeſta ſunt, præter uerba illa. {Quãobrem & negatio,} quæ hoc indicant, quãobrem & ipſum, non eſt, quod negationẽ facit uel iuſto, uel non iuſto, quemadmodum ipſum, eſt, adiacebit qua de re duas alterum affirmationes, alterum negationes conficiet duas. Cęterum quoniã inter id quod, ut cõmonuimus, cõcluſioni conſequẽs dixit, quocirca quatuor hę ob id ipſum erunt, & probationem, duas eſſe oppoſitiones, quatuorq; earum partes afferentem, {Quarum duæ (inquit) ad affirmationem ſeſe ac negationem ut priuationes ipſæ ſecundum ordinem dicuntur, duę uero nequaquam} atque atræ Sphingis uocem (ut Lycophronis utar uerbis) imitatur, nec parum explanatoribus faceſſit negocii, quidnam pauca hæc uerba ſibi uelle exiſtimabimus? Itaque per hæc inquam eam innui à Philoſopho propoſitionum conſequentiam quam longa oratione demonſtrauimus. affirmationemq; ac negationẽ ſimplices propoſitiones utpote exemplaria nuncupati, quandoquidem tranſpoſititias conſtituunt hæ, ſi negatiuas prędicatis particulas adhibuerint. Ex relatis uero quatuor inquã duarum oppoſitionum partibus (nam ſupradictũ eſt. Quocirca quatuor hæ ob id ipſum erunt.) ex iis ergo duæ uidelicet partes (oppoſitiones autem intelligit ea trãſpoſitione,) ad affirmationem ac negationẽ, hoc eſt ſimplices, ſeſe ſecundum ordinem habebunt, ideſt ſecũdum naturæ ſocietatem, ac ſimilitudinem rationis, ut priuationes ipſæ. hoc eſt, quem ordinem ac locum quam'ue proportionem priuatiuę propoſitiones ad ſimplices obtinent, quatenus in pluribus quã illæ uel in paucioribus uerſantur, eundem etiam quę ex tranſpoſitione habentur. Duæ uero nequaquam inquit, nempe partes rurſus quatuor illarum. ſed quænam hæ fuerint? nimirum reliquę pręter antedictas, ideſt ſimplices propoſitio-

A nes non ſe ſecundum ordinem ut priuationes habebunt, id quod ipſe uoce illa, nequaquam, paulo ante indicauit, cum dixit duæ uero nequaquam. Sed ad quas nõ ſeſe habebunt ſimplices propoſitiones ſecũdum ordinem, ut priuationes ipſæ? An uidelicet ad reliquas ab iis partes duas quatuor illarum, hoc eſt ad eas quæ ex tranſpoſitione appellãtur. Nã & hoc antea demonſtratum eſt, non quemadmodũ habent ſeſe ad tranſpoſititias, priuatiuę uero in pluribus quam illę uel paucioribus explicãdo, ita ſimplices quoq; habere. Nobis igitur ea quę de cõſequentia anticipauimus propoſitionum ad dictionem intelligendam Ariſtotelis contulere. Porrò diligentiores Interpretes expoſitionem quoque huiuſce dictionis aliam ſcribere nouimus, quam etiam magis aiunt probare, ut quæ longe ſimplicior ſit ſuperiore, neque nos Ariſtotelis, ut ipſi loquuntur, ſententiam uaticinari cogat. Cenſent enim affirmationem ac negationem non ſimplices propoſitiones uocari, ſed affirmatiuam & negatiuam ſpeciẽ

B ipſam propoſitionum. Ex quatuor uero duarum oppoſitionũ partibus ſimplicis ac tranſpoſititiæ, duas illas ex tranſpoſitione ad ſpeciem ipſam facultatemq; ſeſe affirmationis & negationis ut priuatiuæ propoſitiones ita habere. Sed quomodo ſe habent illæ? Nempe nõ ſimpliciter affirmationes uel negationes, ſed totum hoc, priuatiuæ affirmationes ac negationes dicuntur. quo pacto & mortuus homo non homo abſolute, ſed totũ hoc homo mortuus uocatur. Habent igitur ſeſe hoc modo inquiunt tranſpoſititiæ ad affirmatiuam ſpeciem ipſam ac negatiuam. Haud enim affirmationes ſimpliciter, negationes'ue ſunt, ſed hoc totum, infinitę affirmationes, uel negationes infinitæ. Reliquas autẽ partes duas, hoc eſt ſimplicis oppoſitionis non perinde ſe ad affirmatiuam ac negatiuam ſpeciem habere, quippe affirmationes has negationesq; ſuapte natura eſſe, poſſeq; ſine ulla additione hiſce appellari nominibus. hæc illi. Me uero haud ſanè expoſitio tametſi nõ parum habeat ꝓbabilitatis, addu-

C cit. Abſurdum nanque eſſe arbitror, cum clamet clara uoce Ariſto. quæ hoc loco differuntur uelle ſe ea iis intelligi quæ in Reſolutoriis de iis ipſis prodita ſunt, nos qui ex quæ ad ſupradictam propoſitionum conſequentiam pertinent, euidenter admodum ad calcem primi Reſolutoriorum uoluminis tradita habemus, idq; uel ipſi confitentur, ad hæc conniuere, atque aliam quandam Ariſto. planè ſententiam augurari. Sed ad quid nobis proderit dixeris conſequentiã proditam noſſe propoſitionum? Ad tranſumptionẽ eam inquã propoſitionum quæ in ratiocinationibus ſæpenumero fit. Siquis enim iuſtum eſſe cõceſſerit Socratem, ergo iniuſtum non eſſe & non iuſtum non eſſe merito dicemus. ſin ipſum uero iniuſtum non eſſe condonarit, iuſtumq;: igitur eſſe ſumendum putabimus, uel non eſſe non iuſtum falſa erit trãſumptio. poteſt autem res illi nequaquã ſuccedere, qui quales propoſitiones qualibus ampliores ſint non prius diſtinxerit. Cæterum quoniam putant nonnulli perfectas nõ has amplius manere propoſitiones, ſed prædicari dũtaxat. cum inficiationes priuatiuam trãſpoſititiamq; in ligno uerbi gra-

D tia ueras eſſe arbitramur, affirmationẽ autem mentiri ſimplicem, reſpondendum iis eſt, cum lignum actu in propoſitione reperimus, lignumq; dixerimus iuſtum eſſe hominẽ, totum certe hoc hominem iuſtum eſſe, à nobis prædicatũ effeci quidem: ſed impræfinitam propoſitionem non etiam manere: uerum, ut in ſimpliciter ligno, fore uniuerſalem declaratq; id apud Græcos articulus, qui facultatem uniuerſalis obtinet præfinitionis. ut uero in hoc ligno ſingularẽ. Quod ſi ſpeciem ſeruemus propoſitionis, nec illi quidquam actu addamus, nihil prohibet quo minus & lignum ab ipſa, & equus, aliaq; ſexcenta, in quibus uel mentiri uel uera eſſe dicitur, poteſtate compræhendantur. Nam affirmationem uelut eam quæ, homo iuſtus eſt, dicit, quaſi id genus quidpiã eſſe pronunciet, ueram in ſolis eſſe hominibus licet, atq; iis quidem iuſtis: mentiri autẽ in quibus uel ſubiectus non congruit, uel prędicatus, neceſſe eſt, negationem uero ut affirmationi decertantẽ, in quibus uera illa ſit, eſſe mendacem: uerũ autem enunciare in quibus illa fallatur. Sic porrò in ſequentibus Ariſt. huius eſt albus homo, illam, eſt nõ albus homo,

A negationem non eſſe oſtendet: quoniam uſu ueniet ut uera eſſe in ligno depræhendatur: cum in eo falſa ſit affirmatio. Et uero cum Nireus formoſus homo eſt dicimus, nō tria à nobis prædicata fieri putandum eſt. Totum hoc nanque ut unum quid, formoſum hominem, prædicamus de Nireo: atque ipſum, eſt, apprædicamus: perindeq; loquimur ac ſi quis, Nireus dicat animal eſt rationale mortale. At hoc in ſolis fieri poteſt impræfinitis. neq; enim in præfinitis cōmittitur ut pręfinita tota propoſitio de quoquā pręd icetur, quēadmodum impræfinita. quandoquidē præfinitionem pręd icato coniungere ratio nequaquā dictat. neq; in ſingularibus quoniam fieri nequit ut prædicētur de alijs indiuidua: quomodo nec alia de ſupremis generibus. Ex hiſce uero & quæſtionem illam de cōtradictione ſoluemus. Cū enim in omni uel ueram eſſe affirmationem dicimus, uel negationē oportere, non utrāq; pronunciamus contradictionis omnis partē de quouis prædicari poſſe uniuerſam: ut has de Socrate, B Theætetus nō ſedet, & non Theætetus ſedet, alteram tamen ex iis ueram eſſe neceſſario. ſiquidem hoc tum in præfinitis, tum in ſingularibus, ut admonuimus ratione uacat. ſed partium affirmationem in propoſitionibus ac negationē faciētium, hoc eſt earū quæ affirmatiue & negatiue prædicātur, poſſe utranq; de quouis tum ente prædicari, tum non ente, atq; cum eo de quo prædicantur abſolutam propoſitionē cōficere. ſolam tamen illarum alteram neceſſario uerum fateri, ut ſedet, non ſedet: album eſt, album nō eſt. Dictū autem illud, in omni, de ſolis iis quæ pręd icātur uerba fieri indicat, quæ ſi uni omnium cuiquā iungātur propoſitionē alteram ueram faciunt, alteram falſam. De ſimplicibus uero affirmationibus compoſitum prædicatum obtinentibus quæſierit quiſpiam. qua ratione infinitam in his & quā trāſpoſititiam uocant affirmationē conſtituemus, num negatiua particula cuiq; prædicatum cōponentium nominum, an illorum uni applicanda. & hoc quale ſit, ne ratio forte diſtributiua eſſe uideatur. Itaque negatiuam arbitror particulam ſiue omnia per ſubſtantiam compoſita de ſubiecto, ut in definitionibus C appellentur, ſiue etiam unum ea iis quodpiam ex accidēte, ceu cum Socrates homo albus eſt dicimus, omni anteponi pręd icato debere, ut affirmatio de qua quęritur fiat. ipſamq; particulam ad uniuerſum pręd icatum ut unū, nec ad partem eam duntaxat cui connexa eſt exaudiendā. Nam qui hominem non irrationale animal eſſe inquit, uel Aethiopem non album hominem, is hac in re perinde loquitur, atq; ille qui ſcientē eſſe non boni Socratem dicit. At hæc planè ſimplex eſt affirmatio, quæ infinitum quiddam hoc eſt non bonum finito prædicato quod eſt ſcire coniungit, eaq; de cauſa ſimul illi uerax eſt quæ boni ſcientem ipſum eſſe pronunciat. quāquā infinita uere affirmatio nunquā ſimplici concurrere in eodem poteſt: ut in primo Reſolutoriorū explicatū eſt. Eadem in iis omnibus ratio eſt, in quibus quod prædicato additur non quaſi ſubiecto ſuppetens dicitur, ſed uelut cuiuſdam eius actioni ſubſtratum. Haud enim idem eſt dictū Socratem eſſe bonum, quod eſt eſſentiæ, & ſcire quod bonum nō eſt: nam hoc actionis cuiuſquam eſt indicatiuum, uel eſſe D non Alcibiadem, & amare non Alcibiadem. etenim idē eſſe hoc aliquid ſimul, & nō hoc nequaquā poteſt. idem autem quin ſimul circa oppoſita agat, negari nequit. quamobrem fieri nequaquam conceditur, ut idem ſimul bonus non bonuſq; ſit. at ambo ut ſimul ſciat fieri poteſt. Quod ſi hoc, homo albus eſt, &, eſt homo non albus, concurrere inuicem in Aethiope, aut alio quopiam uno prædicata non poſſunt, id euenire propterea dicemus quod albū, uel niſi homini iungatur, de ſubiecto & finite & infinite prædicari aptum natura ſit, atque affirmationes duas facere quæ concinnere inter ſe nequeāt. Prorſus uero operæpretium eſt attēdamus, una contradictione, uel oppoſitione infinitæ ad finitam affirmationis cōſiderari ex iis quodlibet, quæ ad compoſitam prædicationem efficiēdam accepta ſunt, nequaquā poſſe. Neq; enim una eſſe omnino illa poteſt propoſitio in qua plura prædicata aſſumuntur. Quo fit ut minus mirandum ſit, quædam uere ex iis, quædam falſo prædicari, ut poſt planè oſtēdetur. ſed eorum quæ componuntur, an uere prædicentur intueri per ſe oportet ſingula, particulareſq; hoc modo prędicationes attexere uniuerſalioribus, quæq; adſunt ex accidente iis quæ per ſe prædicantur. Qua de re prædicatum in ea propoſitione quæ planè eſt una uel nomē capitur quod naturam unam declaret, uel oratio idem dubio procul indicans nomini ſiue in uſu ſit id, ſiue à nominum impoſitoribus neglectum. Rurſuſq; hanc ob rem recte ſe habet quod ſtatuimus, negatiuam omnino opus eſſe particulam, ut infinita negatio fiat, uniuerſo prædicato anteponi, ac de his ſatis. Quandoquidem autem ſcriptum in pluribus eſſe aiunt exēpluribus ipſum eſt, uel homini, uel non homini adhęſurum, ſciendum eſt, quando ita legatur, uerbum, homo, id quod Porphyrius Philoſophus tradit, non tanquā ſubiectū, ſed uelut prædicatum nos pro iuſto uel albo acceptum eſſe dicturos, ut in propoſitione, Callias homo eſt, pronunciante.

II.

B *Simili modo res ſeſe habebit uel ſi uniuerſaliter nominis affirmatio fuerit: ut, omnis eſt homo iuſtus, huius negatio, non omnis eſt homo iuſtus, omnis eſt homo non iuſtus, non omnis eſt homo non iuſtus. Verum non fit, ut per diametrion oppoſitæ ſimiliter uerum pronuncient, tametſi fiat nonnunquam.*

Vult proditā in impræfinitis propoſitionibus conſequētiam in una etiam angularium contradictionum, omnis, &, non omnis, à nobis ſpectari: nempe in hac quoque, ſimplicibus ſumendis ac tranſpoſititiis, & priuatiuis inſuper propoſitionibus, uſu uenire, ut tranſpoſititiæ eandem ad ſimplices quam priuatiuę rationem obtineant, ſimplices uero non hanc rationem. prætereà quemadmodum priuatiuæ ad trāſpoſititias ſeruent. Nam & hoc loco ſub ſimplici uidelicet affirmatione contradictionum reliquarum negationes collocabuntur, (haud enim ſanè affirmationes:) affirmationes autem ſub negatione, rurſuſq; affirmatione ſimplici uniuerſali hoc utraq; erit ſubiunctarum illi negationum. Quippe ſi iuſti ſint omnes homines, tum quæ iniuſtos non omnes, tum C quę non omnes non iuſtos eſſe dicit uera eſt. ſiquidem & falſa utraq; eſt propoſitarum illis affirmationum. Quod ſi nō nulli iuſti ſint homines. quidam non iuſti, dictarum negationum uera eſt utraq;, falſa ſimplex affirmatio. Quo autē pacto ampliores affirmatione ſimplici ſubditæ illi negationes ſunt, ita & ſimplici uidelicet negatione magis particulares ſub illa deſcriptæ affirmationes deprehenduntur. quo fit ut ad ſimplices propoſitiones ſubiunctarū illis proportio ſeruetur. nec tamen in his quoque priorum ad tranſpoſititias conuenientia permanet. Nā affirmatio ſimplex uera in paucioribus oſtenſa eſt quàm infinita negatio, & negatio ſulior affirmatione. Ex priuatiuis uero negatio rurſus immenſior tranſpoſititia erit negatione, & tranſpoſititia affirmatione contractior affirmatio. Hoc porrò ita ſe habere, ea inquam quę de priuatiuis & tranſpoſititiis prodita ſunt, ſi ab affirmationibus rurſus argumentemur, facile demonſtrabimus. Nā ſi ſint omnes homines iniuſti, & quæ non iuſtos eſſe omnes dicit uerū profitebitur. qui enim iniuſtus eſt, liquet hunc eſſe non iuſtum. At ſi iniuſti alii ſint homines, alii medium obti D neant habitum, uera eſt ea propoſitio, quę nō iuſtos omnes eſſe indicat: falſa quæ omnes iniuſtos aſſeuerat. Itaque eadem, uti diximus, uel in iis propoſitionibus accidunt quę in impræfinitis uſitauimus.

Homo iuſtus eſt.	Homo iuſtus non eſt.
Homo iniuſtus non eſt.	Homo iniuſtus eſt.
Homo non iuſtus non eſt.	Homo non iuſtus eſt.

Omnis homo iuſtus eſt.	Nō oīs homo iuſtus eſt.
Non oīs homo iniuſtus eſt.	Omnis homo iniuſtus ē.
Non oīs homo nō iuſtus eſt.	Oīs homo nō iuſtus eſt.

Nobis uero & prius tradi ab Ariſto. propoſitionū quas recenſuimus ut in impræfinitis propoſitionibus cōſequentiam, cum diceret, quarum duæ ad affirmationem ſeſe ac negationem, ut priuationes ipſæ ſecundum ordinē habebunt: duæ uero nequaquam. & nunc ſe in affirmationis uniuerſalis

A lis cõtradictione ad particularem negationem ſpectari à nobis eadem uelle, nec aliud quidquam, manifeſto indicauit cum ſubdidit. { Verum non fit ut per diametrum oppoſitæ ſimiliter uerum pronuncient: tametſi fiat nonnunquam. } Quibus uerbis impræfinitarum utiq; tabellæ propoſitionũ ac præfinitarũ intelligit differentiam. Accidit enim affirmationes mutuo per diametrum in utraq; illarum eſſe oppoſitas: ſimplicem inquam & tranſpoſitiam uel ſimplicem, ac priuatiuam. ſimiliter, & negationes. Verum fit in impræfinitis, ut & affirmationes in materia contingente ſimul uerum oſtendant. & negationes: ut quæ uiribus particulares exæquent. In præfinitis autem, de quibus nunc agit, affirmatione uniuerſali, & particulari negatione fieri nequit, ut ueræ affirmationes in quauis materia ſint: quanquam ueras ſimul negationes eſſe in materia ſola contingente eueniat. quandoquidem nanque alii iuſti homines, quidam iniuſti, nõnulli habitu medio præditi ſunt, patet futurum eſſe, ut inficiationes propoſitæ omnes uerum diſſerant non omnis homo iuſtus: non omnis homo iniuſtus, non omnis homo non iuſtus. Itaq; uerba illa tametſi fiat nonnunquam non eo ſunt pacto intelligenda quaſi ueræ ſimul ex quãdoq; ſint omnes quæ per diametrum collocantur. (hoc enim fieri nequit) ſed quaſi ex iis nonnullæ, ut negationes, uerum ſimul, prout explicatum eſt, in contingente materia decernant: quæ neque neceſſaria eſt, neque impoſſibilis. atque hæc non ſtatuẽtem ſolum aperte inueniemus, ſed ad calcem quoque primi Reſolutoriorum demonſtrantem Ariſto. Vnde commotus ſuſpicari quis poſſet, ſoli deſcriptæ impræfinitarũ tabellæ conuenire, nõ fieri ut per diametrum oppoſitæ ſimiliter uerum pronunciem. Quippe ibi diſſeritur, quaſi impræfinitæ negationes alio quoque præter affirmationes modo ſimul quandoque ueræ eſſe poſſint. haud enim in ſubiecti partibus tantum diuerſis, id quod affirmationes faciunt, ſed etiam in eodem uerum declarant: cum tamen aliud à ſubiecto id ſumpto in primitiua propoſitione fuerit. Nã de ligno, uerbi gratia propoſitiones has, homo iuſtus non eſt, &, iniuſtus non eſt, & non iuſtus non eſt uere prædicabis, tametſi nulla affirmationum uera in quouis eſſe præter hominem queat. Sed cum neq; uerba hæc tabellæ illius deſcribendæ præceptioni adiecerit, effatusq́. de præfinitis Philoſophus, illas in conſequentiis ſimiliter ſeſe impræfinitis habere, ſubiunxerit. Verum nõ fit, ut per diametrum oppoſitæ ſimiliter uerum pronunciẽt, nihil nobis aliud intelligendum relinquit, quã deſcriptarum tabellarum quandam à ſe tradi in eo differentiam quod non ſimiliter, ut inquit ipſe, oppoſitæ per diametrum in iis ſimul ueræ ſint. Verum niſi oſcitanter audienda ſint uerba Ariſto. quærere operæpretium eſſe arbitror, quam ob cauſam in ſola affirmationis uniuerſalis ad negationem particularem oppoſitione ſimiliter ſeſe habere affirmet atque in impræfinitis oppoſitis propoſitionibus cõſequentiam. Fortaſis igitur quaſi in contradictionibus reliquis, tum particularis affirmationis ad uniuerſalem negationem, tum ſingularium non eadem amplius ſeruetur ſequela. Nam in cõtradictione, aliquis, & nullus, neque affirmationem ſimplicem priuatiua negatione oſtendere, uel ſuſiorem, uel contradictionem licet. Neque enim ſi quis iuſtus homo eſt, iam nullus erit iniuſtus. neq; ſi iniuſtus nullus, iam quiſquam iuſtus habebitur. quid enim ſi habitu omnes eſſent medio? quapropter nihil eſt, quod ullam afferere conſequentiam conemur. Quod ſi tranſpoſitiis ſimplices cõferas, affirmationes ex negationibus, haud uero negationes quoque ex affirmationibus ſequi comperies. Si enim non iuſtus nemo eſt, patet omnem quoque. & particulatim ſingulos fore iuſtos. nõ tamen ſi iuſtus eſt quiſpiam, opus iam fuerit neminem eſſe non iuſtum. Verũ enim uero neque in ſingularibus dictam inuenies accommodari proportionem. quippe accidit affirmationem ſimplicẽ tranſpoſititiamq́, negationem in ſe mutuo conuerti. Socrates iuſtus eſt, Socrates non iuſtus non eſt. priuatiuam uero negationem utraq; illarum uniuerſaliorem ex eo eſſe, quod in ipſo, uel medio, ſi ita ſuppoſueris, habitu prædito uera ſit. Si quis uero & in ſingularibus conuenientiam propterea quã diximus propoſitionum conſequentiæ ſeruari exiſtimet, quod affirmatiue indiuidua de nullo ab ipſis alio, neq; de ſuiipſorum parte, cum ſint indiuidua uere prædicentur: negentur tamen uere de quouis alio, ceu cum Theætetus non eſt Socrates dicimus: quomodo nec generaliſſimorum poteſt ullum re uera affirmari, negari nil uetat: cum quantitas dicimus non eſt ſubſtantia. ſi igitur has, Socrates non iuſtus non eſt, &, iniuſtus non eſt, uniuerſaliores eſſe illa, Socrates iuſtus eſt, ob id cenſet, quod in iis quæ præter Socratem ſunt illam exuperent, primum ſe, & affirmationem uniuerſam ſumere, ut prædicatam intelligat: cui totam conferens negationem in pluribus quã illa ueram eſſe pronunciat. Deinde neq; totũ hoc negatiue de quoquam prædicare, Socrates iuſtus, uel, nõ iuſtus, rationem eſſe. ſiquidem actu ſubſiſtẽtia, & iuſtum ſimul, & iniuſtum in hominum ſpectantes multitudine, utrũq; eorum merito cũ nomine, homo, tum affirmamus de quibuſdam, tum negamus. Indiuiduo tamẽ nulli cum ſimul utrũq; liceat impertiri, nomen Socrates de Theæteto re uera inſi- B ciabimur. At ſi æquiuocum ſubiecto prædicatum ſit, nõ eſſe hunc uerbi cauſa Philoſophum illum, aut iuſtum illum Socratem pronunciando, uel apud Latinos pronomine, uel apud Græcos articulo, quod ipſi adiacet proferimus. Porrò Græci ſine articulo Socratem iuſtum non eſſe nequaquam dicunt: cum hoc neque in auctorum ſuorũ uſum receptum ſit, neque ratione defendatur.

III.

Due igitur he oppoſitæ inter ſe ſunt. Aliæ autem duæ ad ipſum, non, homo, uelut ſubiectum quodpiam, adiuncto: ut, eſt iuſtus non homo, non eſt iuſtus non homo. eſt non iuſtus non homo, non eſt non iuſtus non homo. Atque plures his non ipſæ ſunt oppoſitiones. Hæ uero ſeorſum ab illis ipſæ non per ſeipſas erunt: ut quæ, non homo, nomine utantur.

Quodnam his uerbis præceptum tradatur in propatu- C lo eſt. Ait enim tot etiam eſſe propoſitionibus ex tertio apprædicato compoſitis quæ infinito ſubiecto utantur cõtradictiones, quot in iis erant quæ ex finito ſubiecto conficiebantur. Duæ autem erant illæ in ſpecie qualibet propoſitionum quæ à ſubiecto nominantur, ut ſingulares, uel indefinitæ, uel uniuerſales, uel particulares. & hæ pariter duæ. quarũ etiam exempla appoſuit, ſimplicium atque ex tranſpoſitione dictarum, non homo iuſtus eſt, non homo iuſtus non eſt, ſimplires hæ ſunt ex infinito ſubiecto, non homo nõ iuſtus eſt, non homo non iuſtus non eſt, hæ & infinitæ, ſiue ex tranſpoſitione, & ex ſubiecto rurſus infinito conflatæ. At dicto illa, {Aliæ autem duę ad ipſum non homo, uelut ſubiectũ quodpiam, adiuncto, } per defectum prolata eſt. poterit enim ſic integra explicari. Oppoſitæ uero contradictiones aliæ duæ ſunt, hoc eſt, ex oppoſitis propoſitionibus gignuntur ad ipſum, non homo, uelut ſubiectum quodpiam in propoſitionibus ſumptum, ſi ipſi, non homo, prædicatum uidelicet atque apprædicatum fuerit additum. ac prædicatum, uel finitum, uel infinitum: apprædicatum, uel affirmatiuum, uel D negatiuum. Sumamus igitur hoc pacto ex diuiſione propoſitiones eas omnes quæ ex tertio apprædicato conſtant. Neceſſe eſt nanque eæ, uel ambos terminos ſubiectum, & prædicatum finitos obtineant: uel infinitos ambos: uel finitum unum, alterum infinitum: idq; biſariam. planumq; eſt quonam pacto. & uel affirmatiuas eſſe has, uel negatiuas: quæ enumeratæ omnes ſunt. meritoq́, pronunciare auſus eſt, plures iis contradictiones nequaquam fore. Deinde perfectas propoſitiones eas quoque eſſe docens quæ ex infinito conſtant ſubiecto, ſeorſum has ab illis ipſas per ſeipſas eſſe inquit, quæ nomine, non homo, tanquam ſubiecto utuntur, nihilq́, illis minus ob id ad enunciandum obtinere.

IIII.

In quibus autem, eſt, ipſum nequaquam congruit, ut in uerbo, ualere, &, ambulare, idem in iis quod ſic ponitur facit ac ſi ipſum eſt adhiberetur: ut, omnis homo ualet, omnis homo non ualet. ualet omnis non homo, non ualet omnis non homo. Haud enim

non omnis homo, dicendum eſt: ſed, non, negatio homini applicanda. quippe. omnis, non uniuerſale ipſum ſignificat: ſed uniuerſaliter ineſſe, idq́; ex hoc patet, ualet homo, nō ualet homo: ualet non homo, non ualet non homo. Hæc nanque ab illis eo differunt quod non ſunt uniuerſaliter. Quapropter ipſum, omnis, uel, nullum, aliud nihil adſignificat quàm de uniuerſo nomine uel affirmationem fieri, uel negationem. cætera igitur eadem oportet addantur.

Nonnulli qui locum hunc expoſuere, per hæc uerba, dicere Ariſto. putarunt, in iis propoſitionibus quæ ipſius eſt, uice uerbum aliud quodpiam habent apprædicatum, ut, ambulare, aut ualere uelut in his, homo iuſtus ualet, homo iuſtus ambulat, eundem ordinem ac conſequentiam fieri propoſitionum, qui & in ipſum, eſt, apprædicatum habentibus uerat: cum omnino, & ab Ariſto. ſententia, & ab ipſius orationis ſubtilitate aberrent. Neque enim nobis apponere uidetur Philoſophus huiuſmodi propoſitionis exēpla: neq; poteſt uerbum quodpiam aliud præter ipſum, eſt, apprædicatum fieri. Idq́; non ſolum credendum eſt Ariſto. qui tum planè ſuperius ſolū, eſt, ipſum in id genus apprædicari propoſitionibus dixit: tum in Reſolutoriis pronunciat Terminum eſſe enim in quem diſſoluitur propoſitio, prædicatum atque ſubiectum: ſubditq́; adiiciendo diuidēdo ue ipſo, eſſe, uel, non eſſe, neque de ullo uerbo præter hoc alio mentionem facit: ſed & nos in ſequentibus, id quod ſupra etiam ſumus polliciti, euidenter demonſtrabimus: ubi quęret Ariſto. quando poſſint, ac quando nequeāt prædicationem unam efficere quæ per ſe ac ſeorſum prædicantur, mutuo complexa. Alii per hæc quæri exiſtimarunt, an quemadmodum in iis quæ uerbum, eſt, apprędicatum actu, habent, negatiua particula prædicato nomini, ut iuſto, antepoſita, non negationem, ſed affirmationem ex tranſpoſitione, ut, homo non iuſtus eſt, facit: ſic etiam in quibus ipſum, eſt, in prædicato uerbo poteſtate compræhenditur, uerbo nimirum illo, ut antea quoque dicebamus, in peculiare illi participium & uerbum, eſt, diſſoluendo, rurſus præfixa participio negatiua particula non negationem fit, ſed tranſpoſititiam affirmationem factura. Nam quæ, homo ambulat, inquit propoſitio, idem hanc illi dicere, homo ambulans eſt, nemo ambigit. per hæc autem inquiunt quæritur an homo non ambulans eſt, affirmatio rurſus ex tranſpoſitione ſit, non autem inficiatio nuncupanda: cum neque problema dignum, ut arbitror, quæſtione ſit. quæ enim forte obiungens attributio fuerit, ut hæc, homo non iuſtus eſt, affirmationem, illam uero, homo non ualens eſt, negationem nominemus: neque eiuſmodi quidquam Ariſto. per ea quæ dicit declaret. Forſitan igitur magis ipſis Ariſto. uerbis cohæreat, ſi cum contradictiones dicamus, ex ſubiecto infinito conſtitutas, nobis prius in ſimpliciſſimis propoſitionibus, quæ ex ſubiecto ſolum, & prædicato conſtant, tradiderit, per ſupra autem proxime dicta, & in iis quæ ex tertio apprædicato conſiſtunt: cumq́; in quibus id protulit exemplis uerbum eſt prius ut prædicatum acceperit, cum dixit eſt non homo, non eſt nō homo: &, eſt omnis non homo, non eſt omnis non homo, proximis autem uerbis, ut apprædicatum etiam traderet, diceretq́;. Duæ igitur hæ oppoſitæ inter ſe ſunt: aliæ autem duę ad ipſum non homo, eſt iuſtus non homo, non eſt iuſtus non homo, eſt nō iuſtus non homo non, eſt non iuſtus nō homo, per hæc docere nos inſtituiſſe, uel in iis propoſitionibus quæ loco ipſius, eſt, uerbum aliud non apprædicatum aliquod (nam hoc fieri non poſſe affirmauimus) ſed prædicatum habent, ſubiecto uero rurſus infinito utuntur, ea ratione fieri inficiationes, qua & in uerbo eſt actu prędicato conſtituebātur. Quāobrem quo pacto negatiua in illis uerbo, eſt, copulanda particula negationes faciebat, dicebatq́;, non eſt non homo, &, non eſt omnis non homo, ita nunc quoq; huius, ualet omnis non homo, hanc aſſerit, non ualet omnis non homo, negationem eſſe. Conſtat autem ſi & ipſarum re uera efficere negationes uelimus, eundem nos tum in iis quæ uerbum, eſt, actu prædicant, tum pro ipſo, eſt, uerbum aliud quodpiā reponunt, in utriſq; modum ſeruaturos. Cæterum cum uni-

A uerſalis nunc ſolius meminerit affirmationis quæ infinitum obtinet ſubiectum, &, ualere, uerbum de illo prædicat, quomodo facienda eius negatio ſit requirit: ut ſatiſfaciente in iis contemplatione, methodum ex ſæpius proditis nobis exhibeat qua & in aliis affirmationibus negationes concinnabimus. Id porrò nunc Ariſto. uidetur theorema exulceraſſe, quaſi ueritus ne quis ad negationem conficiendam nihil putet referre, ſi negatiuam particulam à ſubiecto infinito dimoueat, eamq́; præfinitioni anteponat. Aperte autem id declarat cum inquit, {Haud enim non omnis homo dicendum eſt: ſed non negatio homini applicanda,} hoc eſt, Non enim hæc non omnis homo ualet affirmationis illius omnis non homo ualet dicenda eſt negatio, ſed ipſum non quod negationem utpotè negationis efficiens appellauit, in negatione quoque homini applicandum, ut idem ſubiectus, quomodo & idem prædicatus in utriſq; propoſitionibus maneat: id quod à contradictorie inter ſe depugnaturis propoſitio-

B nibus haberi eſt neceſſe.

Eſt non homo.	Non eſt non homo.
Eſt omnis non homo.	Non eſt omnis non homo.
Eſt iuſtus non homo.	Non eſt iuſtus non homo.
Eſt non iuſtus nō homo.	Non eſt non iuſtus non hō.

Huiuſce igitur rei gratia, nēpe ut propoſitionibus ipſum eſt actu habentibus eas quæ facultate illud aſſumunt ſimiles redderet, contradictionesq́; eodem modo in utriſq; faciendas doceret, uerbum ualere in ualens participium & ipſum eſt diſſoluere in exemplis ab initio uſus eſt. Deinde adductis primum ex finito ſubiecto propoſitionum exemplis, ut quę notiora ſint, magisq́; nos deducere ad eas poſſint cognoſcendas, quæ ex infinito ſubiecto componuntur, eas ſubiungit quę conficiuntur ex illis, atque infinito utuntur ſubiecto, de quibus ſibi agendum propoſuit: quonam in ipſis modo negationes ex affirmationibus gignantur. In his autem ſolum declarat cauſamq́; explicat cur non alio pacto fiant negationes. cū uero huius dixerit ualet omnis non homo non illam non omnis homo ualet negationem appellari oportere, addit huiuſce rei cauſam, ſtatimq́; ſubnectit, {Quippe omnis non uniuerſale ipſum ſignificat, ſed uniuerſaliter ineſſe.} quod quidnam ſignificet Philoſopho, per ſupradicta pręſtitimus, cum pauca hęc ipſa uerba exponeremus. Nunc uero perinde acceptum eſt, quaſi eundem oportere in contradicentibus propoſitionibus ſubiectum capi indicet: quod non amplius contingit, cum omnis non homo ualet affirmationem dicimus, ab non omnis homo ualet negatione oppugnari. Debet enim in inficiatione ab iis prædicatum negari de quibus ipſum in affirmatione prædicamus. at hoc in expoſita non facimus negatione. Nam cum uerbum ualere de omnibus non hominibus affirmatio prædicarit, ne-

D gat ipſum de hominibus dicta negatio. Porrò uim hanc ab uniuerſalibus haberi præfinitionibus, ſignificariq́; in uniuerſali affirmatione ineſſe iis omnibus prædicatum quæ ſubiecto continentur, in uniuerſali negatione omnibus nō ineſſe, plane declarauit: iiſdem propoſitionibus quas ante alias finito ſubiecto, alias infinito accepto cum uniuerſali præfinitione expoſuit, abſque præfinitione ordine aſcribendis: ut omnis pręfinitionem indicaret, qua poſteriores à prioribus propoſitiones ſuperantur, illis præſtitiſſe, ut prædicationem de indiuiduis omnibus facerent ſubiecto compræhenſis: id quod impræfinitæ propoſitiones non habent. Quaſi uero hæc omnis homo non ualet illi nullus homo ualet, & hæc omnis non homo non ualet illi nullus ualet non homo tantundem ſignificet, iure concludens inquit, {Quamobrem ipſum omnis uel nullus nihil aliud adſignificant quam de uniuerſo nomine uel affirmationem fieri, uel negationem.} hoc eſt de omnibus naturæ ſubiecti conſortibus uel affirmatus prædicatum, uel negat qui uniuerſaliter enunciat. Itaque cum in ſolis his oppoſitæ inter ſe propoſitiones diſcernantur

ſcernantur

ſcernantur, {Cætera(inquit.) Eadem oportet addãtur.} quibus nos hortatur uerbis ut ſubiectum terminum ac prædicatum in contradicentibus propõnibus eundem ſeruemus.

V.

Quandoquidem uero huic, omne eſt animal iuſtum, contraria eſt ea negatio quæ nullum iuſtum eſſe animal ſignificat, patet has nec unquam ſimul ueras, neque in eodem futuras: iis oppoſitas fore nonnunquam: ut, non omne eſt iuſtum animal, &, quoddam eſt animal iuſtum.

Docturus nos infra Ariſto. uniuerſalem quandam negationem affirmationi cuidam uniuerſali, nempe ſimplicẽ trãſpoſititiæ, & tranſpoſititiam ſimplici comitem eſſe, per hæc iure anticipat, decernitq́ quo pacto in propoſitionibus ex ſubiecto ac prædicato conſtructis uniuerſales uniuerſaliter contrarias appellauit, ſimulq́ mentiri inuicem dixit, iis contradicẽtes inter ſe uerum profiteri, ubi Quamobrem, inquit, ut ueræ ſimul hæ ſint fieri nequit: at uero iis oppoſitas licet quandoq́ in eodem, ita ſanè & in propoſitionibus ipſum eſt apprædicantibus, quas nunc conſiderandas propoſuit, cenſere ſe uniuerſales, quæ circa terminos nihil habent diſcriminis, neque ſimul quandoque ueras inter ſe eſſe, neque eas ſignificare quæ ſimul concurrere in eodem poſſunt. quę uero iis contradictorie repugnant, mutuo nonnunquã concurrere. per uocem nonnunquã nimirum ſignificans, ſuppetere ipſis in materia ſola contingente, ut uerũ pronuncient. Nos igitur, uti proditum eſt, uerba illa {Nec unquam ſimul ueras, neq́ in eodem futuras} diſtincte audimus: alteraq́ in ipſis accipimus uerbis, altera in rebus quæ ab ipſis indicantur. Accidit autem ut hæc mutuo conueniant. nam ſi ueræ ſimul ſint orationes, & quæ in ipſis prædicantur eidem ſimul inſunt: & contra. Cõſtatq́ ut ueræ ſimul orationes ſint, cauſam eo, ꝙ res ſimul exiſtant, referri. Alii ſanè uerbũ neq́ tametſi bis acceptum, ſuperuacuũ eſſe arbitrati, per utraſq́ has dictiones, tum ſimul, tum in eodem circunſcribi id aiunt, ꝙ oppoſitionem id genus obſignat propoſitionum. Nam & ſimul ueræ eſſe, inquiunt propoſitiones ualent quæ nõ in eodem ſumũtur, ut omnis homo bipes, nullus equus bipes: & rurſus ueræ in eodem, non ſimul tamen, ceu cum omnis homo iuſtus in aureo, quod uocant, genere dicimus. nullus homo iuſtus in eo quod ferreum nominant. quãuis nobis Ariſtote. quales oppoſitas inter ſe eſſe uelit propoſitiones inter initia tradiderit, nempe eas quæ eiuſdem de eodẽ ſunt: & quæ hæc ſequuntur. poſitq́ temporis mutatio circa ſingularium naturam ſpectari: nullum autem in uniuerſalibus locum obtineat, niſi fabuloſis ſimus uſuri figmentis ad euertenda ea quæ planè ſunt demonſtrata.

VI.

Porrò & hæ conſequentes ſunt, nempe huic, omnis eſt homo non iuſtus, illa, nullus eſt homo iuſtus, huic autem, quidam iuſtus, homo eſt oppoſita, quæ non omnem eſſe dicat non iuſtum hominem. neceſſe eſt enim aliquem eſſe.

Cõtemplationis principio propoſitionum illarum quæ ex tertio apprædicato formantur, docebamur, quonam pacto integræ earum cõtradictiones inuicem ſeſe ordine conſequentiaq́ haberent: cõferebanturq́ partes inter ſeſe ipſarum, ſimplex uniuerſalis affirmatio particulari tranſpoſititię negationi, ut illi quæ conſequitur, eaq́ amplior eſt. affirmatio uero ex trãſpoſitione uniuerſali ſimplici negationi, ceu modum ad illam eundem obtinẽti. Nunc uero propoſitiones tradit eas nobis Ariſto. quæ quantitatem eandẽ quidem habent, mutuo uero ſe conſequuntur non tota amplius cõtradictione toti conferenda: ſed, ut dictum eſt, unius propoſitionis conſonantia ad propoſitionem unam ſpectãda. Huic igitur omnis homo non iuſtus eſt, conſequentem illam eſſe ait, nullus homo eſt iuſtus. Huic autem quidam iuſtus eſt homo illam non omnis homo non iuſtus eſt. Eſt enim inquit, manifeſtum, ſi uerum hoc ſit non omnis homo nõ iuſtus eſt neceſſario quendam eſſe hominem iuſtum. Nam ſi falſa illa ſit aliquis eſt iuſtus homo non uera hæc erit non omnis ho

A mo non iuſtus, quod erat ſuppoſitum: ſed quæ cum hac cõflictatur, omnis non iuſtus. quamobrem particulares, quemadmodum uniuerſales propoſitiones mutuo ſe conſequuntur. Ariſto. ergo ſolis nonnullarum inuicem ſeſe conſequentium propoſitionum allatis nobis exemplis, à theoremate diſceſſit. At dux ac præceptor noſter deq́ nobis benemeritus artificioſas admodum regulas nobis tradebat quibus liceret propoſitæ omni propoſitioni conſequentem inuenire. Quandoquidem nanque tum ut totę ſpectantur propoſitiones, tum partes obtinent, uel ab eo quod in partibus earum diſcrimine, uel eo quod in totis ipſis uiſitur oppoſitiones illarum capiebat. Verum partes cum duæ ſint propoſitionum, ſubiectus terminus ac prædicatus, duo autem & circa eas totas, ut totas qualitatem ac quantitatem contemplemur, oppoſitiones propoſitionũ quatuor modis capi contingit. Nam ſi ſubiectorum nomine eas diuidas, uel finito ſubiecto prȩditas dices, uel infinito, ſi prædicatorum, uel eſſe **B** ſimplices, uel ex tranſpoſitione. Ruſuſq́ ſi à quantitate diuiſionem facias illarum, alias uniuerſales eſſe perhibueris, particulares alias, quaſdam indefinitas, uel ſingulares. A qualitate affirmationes aliquas, negationes nonnullas. Hęc cum ita ſint, ad propoſitionem reſpicere propoſitam ſuadebat, quo pacto in ſingulis his ſeſe habeat, ſi inuenire conſequentem uellemus: atque hanc illi comitem eſſe affirmare, nempe ſubiecto termino & quantitate ei cõſimilem: cæteris ambobus diſſimilem. Propoſitum ſit nanque huic, omnis homo iuſtus eſt, uel animal eſt, quo & particeps ueritatis oratio ſit, conſequentem inuenire, eoq́ potiſſimum quod prodat exempla Ariſto. id genus propoſitionis. Ergo quoniam habet hæc finitum ſubiectum, ſimplexq́ eſt, itemq́ uniuerſalis, atque affirmatiua, propoſitionem finito præditam ſubiecto, haud uero etiam ſimplicem, ſed ex tranſpoſitione, & rurſus quæ uniuerſalis, & ipſa quidem ſit, non etiam tamen affirmatio, ſed negatio, comitem huius eſſe oportebit. Quæ **C** nam igitur propoſitio erit ex finito ſubiecto conſiſtens tranſpoſititia uniuerſalis negatio: illa nimirum quæ, nullus homo non iuſtus eſt, uel, non animal eſt, inquit. hęc igitur illam ſequetur. eodem pacto & propoſitioni cuiq́ alii, ſiue finitũ ſubiectum ſiue infinitum obtineat, conſequentem reperies. Proderunt enim hæ nobis regulæ ad ea quoq́ quæ de conſequentia propoſitionum ab Ariſto. ex infinito ſubiecto cõſiſtentium deinceps ſunt dicenda. In præfinitis igitur nõ negationes tantum ſequi ex affirmationibus accidit, ſed affirmationes quoque ex negationibus. id ꝙ uel ipſe poſt appoſitam particularem negationem aperuit, cum illud ſubiunxit, {Neceſſe eſt enim aliquem eſſe.} Quod ſi modo ſit in impræfinitis, negationes ex affirmationibus, nõ affirmationes omnino ex negationibus ſequentur. idq́ iure optimo, ſiquidem in iis propter ſubiectos præfinitionibus carentes poteſt, & in quopiam alio præter id quod à ſubiecto ſignificatur negatiua propoſitio conuenire: ut canis nõ eſt iuſtus homo. At in præfinitis ex quibus quoque Ariſto. deprompſit exempla, non hoc fieri etiam poteſt: quoniam propoſi**D**tionem nõ amplius præfinitam ſeruabimus: ſed præfinitionem etiam prædicato iungemus. uti cum dicimus, canis eſt nullus homo iuſtus. Itaq́ cum de ſolis iis indiuiduis quæ à ſubiecto ambiuntur uniuerſale in præfinitis dici prædicatũ poſſit, accidit earum propoſitionum quæ hunc in modum pronunciantur utrãq́ ſequi ex altera. In illo uero. {Huic autẽ quidã iuſtus homo eſt oppoſita, quæ nõ oẽm eſſe dicit non iuſtum hominem,} patet uerbũ oppoſita nempe uniuerſali à principio enumeratæ affirmationi quæ eſt omnis hõ eſt non iuſtus ab eo intelligi cui contradictorie hæc oppoſita habetur non oĩs homo nõ iuſtus eſt. Porrò ſi quẽ hęc angat difficultas, quò in iis quæ non ſunt congruent regulæ illæ quas ſupra de propoſitionũ conſequentia tradidimus: ut in Hircoceruo. nam ſimplex in eo uera eſt uniuerſalis negatio. quæ nulli Hircoceruo iuſtũ exẽpli cauſa ineſſe pronunciat: uniuerſalis uero ex tranſpoſitis affirmatio mentitur: quæ illi ineſſe omni non iuſtũ fatetur cum & hæc uera eſſe debeat, ſi nihil ſit ꝙ proditas regulas repræhẽderes, Primũ quidem Ariſto. audiat, qui nõ hic ſolum ex particulari ſimplici affir

matione particularem inquit trāſpoſititiam negationem ſequi: cōuertiq́ ad eam neceſſario: cum ait, huic autem quidā iuſtus homo eſt oppoſita, quę nō omnem eſſe dicit non iuſtum hominem. {Neceſſe eſt enim aliquē eſſe,} iuſtum uidelicet, ſi ſit uera negatio, ſed ubi de propoſitionum quoq; ex infinito ſubiecto conditarum conſequentia differit, uniuerſali ſimplici negationi idē ſignificare tranſpoſititiam uniuerſalem affirmationem exclamauit. Nam hęc inquit omnis nō iuſtus non homo illi nullus iuſtus nō homo idem deſignat, cum eadem & in uniuerſalibus iis uidelicet ſpectētur propoſitionibus quæ finitum habent ſubiectum. Haud enim diſcrimen à ſubiectis aliquod circa propoſitiones eas accidit quę ſe mutuo ſequūtur. Deinde cōmunibus intelligat ſeſe animi repugnare conceptibus, ſi uel ex iis quæ ſunt, uel ex iis quæ non ſunt quidquā eſſe affirmet, q neq; hoc, neq; non hoc, ut neq; bonum, neq; nō bonum eſſe poſſit. Nanq; ex omnibus quę hoc pacto affirmātur, finita in ſolis iis uera quæ ipſa admittere natura idonea ſunt, cū illis actu impertiuntur, in omnibus præter illa mentiri eſt neceſſe. Infinita autem ex oppoſito ſeſe illis in falſo ueroq; proferendo habitura eſſe cōſtat. Nam hoc eſt nō iuſtus non in hominibus iniuſtis modo, uel medio habitu prędıtis, uel eo etiam cōſequendo natura nōdum aptis, ſed in lapide quoq; uerbi cauſa, & qui in ore omnium eſt Hircoceruo, uerum eſſe deprætenditur. Quod ſi uerbum eſt uere de quopiam quod non ſit dici, monſtrum eſſe arbitretur, putetq; de quo prædicatur hoc, id in ipſum eſſe prorſus tranſire, primum condiſcat perperā ſe quæ aſſeruntur, ut negatiua id genus propoſitio nequaquā eſſe oſtēdatur, ad uerā eam non eſſe demonſtrandā transferre. Nam negatio quidē non eſſe merito propterea dicitur, quoniam aliquid omnino, quāquā infinitum eſſe ſtatuit: non ob id tamen aut falſo dici illam, aut facere ut res ea ſit de qua prædicatur affirmabimus. Si enim ipſum p ſe ſolū eſt de eo quod non ſit appellaretur, ut eſt Hircoceruus, utiq; aliquid diceretur. nunc uero totum hoc ineſſe illi fertur, ideſt eſſe non tali, ut non iuſto: non ſimpliciter tamen eſſe. Prædicantur nanq; per accidēs hoc loco eſt uerbum de Hircoceruo, ut infra de propoſitione Poetam eſſe illum affirmante qui nō amplius Homerus eſt diſſeretur. atque in his uera nihilominus erit propoſitio, quā in quoquam ex iis quæ ſunt ad recipiēdum uero ineptis, aut iuſtitia minime prædıtis hominibus: ceu cū lapis non iuſtus eſt dicimus, uel eſt Anytus non iuſtus. Siquis autem quærat, cui nō exiſtenti Hircoceruo non iuſtū ineſſe perhibentes uerum affirmemus, reſpondebimus, ineſſe illi quem mente concipimus: de quo tum opinabile prędicantes, tum nominabile, quāquam ſicta ſunt, uere pronunciabimus. Nam quod nullo eſt modo, id neq; in opinione uerſari, neq; indicari poteſt nomine, neq; aliam quampiam prædicationem ſuſcipit, quaſi neq; proferri ſingulariter, neq; alio quopiam queat numero: ut hoſpes Eleata diſſeruit. haud etenim ei quod neutiquā eſt unitatem, aut numerum copulare, linum eſt lino annectere. At id de quo quædam prædicare aggredimur, hoc neceſſe eſt antea nobis ſit animo conceptum, atq; uel in ſola imaginatione eſſentiam obtineat uniuerſam, aut ante noſtram quoq; cogitationem ipſum per ſe ſe exiſtat. Omninoq; ignorare ea nequaquam conuenit, quę ſunt in tertio Metaphyſices pulcherrime diſputata: nempe diuinam re uera eſſe primi entis facultatem, quæ nō ſolum ad materiam uſq; etiam prorſus informem, ſed ad priuationes quoq;, & negationes, atque ipſum non ens porrigitur: ſiquidem & ipſum non ens, hoc ipſum eſſe non ens affirmamus. Enimuero ſi ex eo quod affirmatio infinita eodē quo ſimplex negatio reciprocare nequeat modo, nec affirmatio ſimplex quo infinita negatio, diuerſam ſe illarum uim putet oſtendere, iuſtus hoc exiſtimarit ex eo quod differens qualitas ſit propoſitionum: nam qui tādem eadem affirmationi nullo diſcrimine fieri poſſit negatio? Sed neque id cenſuerit quiſpiam neq; propterea ſimiles eſſe earū conuerſiones ratio eſt, quod uerum ipſæ in iiſdem referant. Vniuerſalis nāq; inficiatio, cum abſolutam rerū earum quas ſignificat diſcretionem declaret, ad ſeſe ob id ipſum cōmeat. eſt enim diſiunctum quod diſtinctum eſt: ut lapide ab omni iuſtū, lapiſq; ab

A omni iuſto. At uniuerſalis affirmatio cum nō hoc prętεrea, ſed contrarium profiteatur, quādamq; prędicati cum ſubiecto compoſitionem præſeferat, uel ſi infinitum aliquod ſubiecto coniungat, non ipſa poteſt ad ſeipſam conuerti. quandoquidem cogitur ei omni quod infinite ab initio prædicatum eſt, ſubiectum ineſſe dicere, quod illius expers quidē ſit infinitudinis, cum eo tamen pariter extendi non poſſit. haud enim conſentit ratio quoniam non iuſtū omni cōuenit lapidi, iam lapidem quoq; omni nō iuſto competere. nam latius patet quā lapis non iuſtum. Quod ſi afferat ea quæ in tertię ſectionis principio de propoſitionum tum ſimplicium, tum ex tranſpoſitione, tum etiam priuatiuarum prodita ſunt cōſequentia, quibus oſtendebamus homo iuſtus nō eſt ſimplicem negationem infinita illa affirmatione homo non iuſtus eſt eſſe ampliorem, animaduertat non ipſam per ſe à nobis finiti prædicati negationem affirmatione infiniti uniuerſaliorem eſſe pronunciari: ut hoc iuſtus non eſt, illo eſt non iu-

B ſtus (hoc enim eſt falſum,) ſed integres propoſitiones ſi prędicatas capiamus, dictam negationem affirmatione eſſe cōmuniorem depræhendi: propterea quod uera & in iis qui planè nō ſunt homines negatio eſt: ceu pronuncians de cane ipſum nō eſſe iuſtum hominem. falſa uero affirmatio, nō quod ipſum, non iuſtum de illo prædicet: ſed quod ea quæ præter hominem ſunt, homines eſſe dicat non iuſtos. Itaq; magis erat quærendum quomodo conuenire hæc illis potuerint quæ ad finem primi Reſolutoriorum diſſeruntur uoluminis. nempe ſubiectum quidquā illi eſſe quod non æquale eſt: idq́ eſſe inæquale, nihil uero illi quod non eſt æquale. At quod uidelicet reſpondebimus, ſtatui hæc in iis Ariſt. in quibus uerbum, eſt, per ſe prædicatur. Atque hæc illorum indulta ſint miſerationi qui facile propter ingenii tarditatem falluntur. iis uero qui animum intendere, ac res penſitare quoquo modo poſſunt, oratio non neceſſario circa argutationes quaſdam adoleſcentulorum morari uidebitur. Hæc cum enucleauerimus, patet proditas regulas in impræ-

C finitis quoque propoſitionibus profecturas, niſi totas propoſitiones prædicatas ceperimus: ſed ſolam prædicatorum illarum ad ſubiectos cohærentiam attendamus. Nam quidquid iuſtum non eſt, neceſſe eſt eſſe non iuſtum: & quidquid eſt non iuſtum, id non eſſe iuſtum eſt neceſſe. Ipſo nimirum eſſe cū fertur de non ente per accidens prædicando. & quidquid eſt non iuſtum, neceſſe eſt iuſtum non eſſe. quæ ſapiens quoque Eleata planè decernit in Sophiſta.

VII.

Illud uero etiam dilucet, ſi uerum ſit in ſingularibus rogatum inficiari, uerum quoque eſſe affirmare: ut num ſapiens eſt Socrates? non. Socrates ergo non ſapiens eſt. At in uniuerſalibus non ueram, eam quæ ſimiliter dicitur. ſed ueram negationem eſſe: ut eſtne ſapiens omnis homo? non. omnis igitur homo non ſapiens eſt. hoc enim eſt falſum: ſed non omnis igitur homo ſapiens, uerum. Eſt autem oppoſita hæc illa contraria.

D Hoc illi conſequens præceptum eſt quod proxime tradit: fidemq; ex eo accipit. Prius enim nos quali ueræ affirmationi uera ſimul futura negatio ſit, quæ ſimiliter illi ſeſe inquanto habeat docebat, nunc uero expoſuit quali mentiente affirmatione ſimplici, affirmationem ex tranſpoſitu in iiſdem terminis, quantoq; eodem prolatam uerum fateri ſit neceſſe, quali uero non liceat. Atque in ſingularibus quidem inquit ſimplex affirmatio ſi conuincatur mendacii, trāſpoſititiam affirmationem ueram neceſſario futurā. In uniuerſalibus uero uniuerſaliter, falſam tranſpoſitiuam neceſſe cum ſimplici eſſe affirmatione. Deinde utile præceptum ad diſputantium quoque reddens colloquia, noſq; attentiores faciens ne ab eo quod in propoſitionibus accidit nōnullis, in omnibus etiam ſimiliter prolatis eodē pacto rem ſeſe habere facile concedamus, ſermonem deducit, quaſi propoſitiones in interrogatione proferantur. Atq; ſi ad eum inquit qui de ſingulari affirmationi quapiā ſimplici rogetur, ut, nū ſapiens eſt Socrates? uerum fuerit, ſi ita ſtatuerimus negare,

hoc

hoc eſt negatiuam partem reſpondere, atq; non, dicere: de ipſo quoq; negare, uerum planè erit hoc eſt trāſpoſititiam affirmationem negatiua particula prædicato antepoſita cōſtituere: ac Socrates ergo non ſapiens eſt, uel non iniuſtus, uel non pennatus, ut & re ipſa uera oratio ſit, pronunciare. Ad eum uero qui uniuerſaliter de affirmatione aliqua ſimplici interrogat, ut eſt ne ſapiens omnis homo? uerū quidē eſt inficiari, ac, non, reſpondere: rurſus tamen interrogationē reſponſionemq; componere, atq; in affirmationis unius trāſpoſititiæ ſpeciem effingere, quæ eſt, omnis igitur homo nō ſapiens eſt, uerum præterea non erit. Huiuſce autem rei cauſa eſt, quod affirmatio tranſpoſititia in ſingularibus ſimplici inficiationi tantundem ualet, ut ex traditis nuper regulis didicimus. ſimplici autem mētiente affirmatione, tum uera ex neceſsitate illius negatio eſt, tum trāſpoſititia affirmatio, quę uiribus illam exæquat. in uniuerſalibus uero affirmatio tranſpoſititia non negationi quę ſimplici affirmationi contradicit, ſed illius contrarię pares uires obtinet. Qui enim omnis homo non ſapiens eſt, ait, idem loquitur dicenti, nullus homo eſt ſapiens, ac uerbum, ſapiens, à ſingularibus omnibus ſeiungit hominibus. non autem ab eo duntaxat tollit quod eſt prædicari de omnibus. id quod facit is qui, non omnis homo eſt ſapiens inquit. Quandoquidem igitur neceſſe eſt ſimul falſas inter ſe eſſe contrarias affirmationem ex trāſpoſitione, ſecundum traditas regulas de propoſitionum conſequētia, idem ſonare negationi illi diximus quæ ſimplici contraria eſt affirmationi: atque hanc ob id ſimul cum illa mentiri eſt neceſſe. quod in ſingularibus propoſitionibus fieri nequaquā potuit. ſiquidem in illis affirmationi una ſola oppoſita eſt negatio, quæ illi contradicit, nulla uero ut contraria. at depugnantibus cum uniuerſali affirmatione duabus negationibus, contraria illi uidelicet, ſimul cum ea mendax erit, tranſpoſititiaq; affirmatio tantūdem illi obtinens uiriū: quæ autem contradictorie illam oppugnat, uerum profitebitur. quocirca uerum hoc eſſe ait, non omnis igitur ſapiēs homo. Sed quid de cæteris dicemus affirmationibus, tū impræfinita, tum particulari? Itaq; habere has ſeſe perinde inquam ac ſingularis: propterea quoniam nec ſimul cū iis falſa quæpiam eſt, ſed uel ſimul uera, uel cum ipſarum utraq; uerum falſumq; diuidit. Quapropter mentiente hac interrogatione, eſt ne homo pennatus? neque hæc ergo non pennatus homo eſt, neque illa, quidam igitur non pennatus eſt homo, tranſpoſititia falſa eſt affirmatio.

VIII.

Per infinita autem nomina uerbaq; oppoſitæ, ut in, non homo, & non iuſtus, ſine nomine & uerbo uideri tanquam negationes poſſunt: uerum non ſunt. Nam neceſſe eſt ueram ſemper eſſe aut mentiri negationem, qui autem dixit, non homo, nihil eo magis quàm qui homo protulit, immo etiam minus uerum effatus eſt, aut falſam: niſi additum quidpiam fuerit.

Cum propoſitiones nobis ex infinito ſubiecto conſtitutas ad ſecundi capitis concluſionem traderet, iudicauit, ut ibi quoque annotauimus, infinita nomina uenire in ſuſpicionē poſſe ut negationes eſſe exiſtimentur: nec ita tamen ſe habere, ubi dixit, nulla autem ſine uerbo affirmatio eſt. Hic uero cum & prius duplicem nobis tradiderit propoſitionū differentiam, ſitq; deinceps illaturus, alteram à finitudine infinitudineq; ſubiectorum, alteram à finitudine prędicatorum atq; infinitudine, ueritus iure eſt ne, non, negatiua particula nominibus addita in ſubiectis infinitis, & uerbis in infinitis prædicatis, fieret ut imperitiores nonnulli uel ab ipſis, ſi per ſe dicerentur, infinitis, nominibus, uerbiſq; infinitis fieri poſſe negationes putarent: protinusq; errorem ſanauit qui oriri inde potuiſſet, cum quantum à negationibus diſtent oſtenderit. Itaque {Per infinita autem, (inquit) Nomina uerbaq; oppoſitę,} idq; breuitatis cauſa per defectum pronunciauit, neque enim quę nam oppoſitæ ſint explicatum eſt, nec quibus oppoſitæ integra autem hęc fuerit lectio, Voces autem per infinita nomina uerbaq; oppoſitæ per finita oppoſitis, ipſarum illarum finitarum uideri negationes poſſunt: infinitorum

A quidem nominum uoces negationes eſſe ſine uerbo, infinitorum autem uerborum, ſine nomine negationes, quæ ſi ex ambobus nomine & uerbo completi debeat uera negatio: non tamen etiam re uera negationes ſunt inquit. idq; in ſecunda figura euidenter colligit: cum ait, neceſſe omnino eſſe negationes, cum in enunciatiuarum orationum genere ſint, aut uerum, aut falſum profiteri. ab infinitis autem nominibus, ut non homine uerbiſq; infinitis, ut non iuſto, neque uerum ullum poſſe, neq; falſum indicari, atq; hęc propterea negationes non eſſe. Porrò quod nihil ueri ſignificent, aut falſi, finitis ea nominibus conferens & uerbis, argumentoq; utens à maiore & minore euidenter probauit. Nam ſi finita naturam quandam finitam declarant, atque hac ipſa re ſunt infinitis magis idonea ad uerum aliquod falſum ue indicandum, ſi ſpectari hęc in ſimplicibus uocibus natura uoluiſſet, nec tamen eiuſmodi quidquam ſignificant, ut ſæpe ante cōmemorauimus, ergo infinita cum naturas quæ à finitis indi-

B cantur de medio tollāt, nullamq; inuehant aliam, ſed omnibus quæ ſunt, quæq; non ſunt, conuenire ſimiliter poſſint, longe magis aberunt ut uerum aliquod aut falſum ſignificent. id quod ipſe indicauit, cum ea dixit minus illis uerum, aut falſum proferre, {Niſi additum quidpiam fuerit.} Nam ſi uel infinito nomini uerbum quodpiam addiderimus, non id ſolum quod à prædicando uerbum appellatur, ut, iuſtus, ſed huic inſuper & illud quod adſignificat tempus quodam, uel uerbo infinito quod quoniam prædicatur ita dicitur, ut nō iuſtus, tum nomen, tum quod à tempore uerbum uocatur, uel huic quod eſt non ambulat: atq; aliis quæ propter tempus infinita uerba nuncupantur nomen duntaxat, tunc abſolutam numeris omnibus orationem cōficimus ueritatis aut falſitatis receptricem.

IX.

Enimuero hæc, eſt omnis iuſtus non homo, idem nulli ſignifi-

C *cat illarum: neque huic oppoſita: nempe hæc, omnis non homo iuſtus non eſt. At hæc: omnis non iuſtus non homo, idem illi indicat, nullus non homo iuſtus.*

Quæ differuntur hoc loco continua ſerie ſuperioribus iuncta eſſe oportebat. quæ de cōſequentibus mutuo ſe propoſitionibus prodita ſunt, in quibus dicebat, Porrò & hę cōſequentes ſunt. Ibi enim cum propoſitionum nobis earum quę ex finito conſtāt ſubiecto conſequentiam tradiderit, hic docet quā ratione ſubiecto quoq; infinito præditæ ſeſe inuicem ſequantur. Sed præceptionis continuitatem proxime quidem infinitorum diſcretio nominum uerborumq; à negationibus diremit. ante illud uero, cum quibus ſimplicibus mentientibus affirmationibus explicabat, quæ infinitum prędicatum obtinentes uerum neceſſario faterentur. id quo modo quodam iis repugnat quæ de conſequentia dicta ſunt: cum tamen ſit illis propinquum: propoſitioneſq; alias ex finitis utriſq; capiat terminis, alias ex finito ſubiecto conſiſtentes prædicato infinito. Ergo poſt illa cōſequentiam nobis,

D ut dictum eſt, traditurus earum propoſitionum quæ ea infinito ſubiecto complentur, neceſſario, tum ad præmiſſa, tum ad ea quæ poſt addenda erant, de infinitis ipſis uocibus, quā uim habeant, diſputauit: iccirco poſt hæc quoque cum illis conſequens tradat, iure adiicit qua ratione ſubiecto infinito præditæ propoſitiones ſeſe inuicem ſequantur. Ac primum monet ſpeciem eſſe aliam id genus propoſitionum ab iis quæ ex finito ſubiecto formantur. Nam uerba illa, {Nulli illarum,} de iis intelligit quæ finito ſunt prædicato: quarum prius docuit cōſequentiam. quomodo enim ſignificare idē infiniti ſubiecti propoſitiones finiti propoſitionibus ualeant? Deinde cum una & in his expoſita propoſitione quæ ambo infinita ſubiectum prædicatumq; obtinet, nimirum hac, omnis non homo non iuſtus eſt, conſequentem eam eſſe illi, nullus non homo iuſtus eſt, pronunciauerit, ad alterius præcepti conſiderationem perrexit. Quod ſiquis & alii qualicunque ex infinito ſubiecto conflatæ uelit, propoſitioni conſequentem inuenire, facile is ab illis regulis quas ſupra edidimus, inuentionē tenebit. Conſtat autē fore in ea

quæ poſt conſtantium ex & finito ſubiecto propoſitionom A conſequentiæ contemplationem de eo prodita ſunt ꝙ mentiente ſimplici in ipſis affirmatione, tranſpoſititia quandoq; uera, interdum falſa depræhendatur, in iis etiam quæ ſubiectum habent ex finito non ſecus atque in illis conueniant: id quod uidetur Ariſtotelem, ceu manifeſtum omiſiſſe.

X.

Nomina autem & uerba ſi tranſponantur, idem ſignificant: ut, eſt albus homo, eſt homo albus. Hoc enim niſi ſit, plures erunt eiuſdē negationes: ſed oſtenſum eſt unius eſſe unam. Huius nanq; eſt albus homo negatio eſt, non eſt albus homo, huius uero, eſt homo albus, niſi illi, eſt albus homo, eadem ſit, uel illa erit negatio, non eſt albus non homo, uel hæc, non eſt homo albus. Sed altera, nempe illa, non eſt albus non homo, huius, non homo eſt albus, negatio eſt. huiuſce uero altera, eſt albus homo, quamobrem duæ erunt unius. Itaque tranſponendo nomine & uerbo eandem affir B *mationẽ ac negationem fieri compertum eſt.*

Conſequens hoc quoq; pręceptum iis eſt quæ ſupra nobis tradita ſunt. Cum enim de cōſequentibus, quod perinde eſt ac ſi de uerum ſimul proferentibus dixeris inuicem propoſitionibus differuiſſet, per hæc nos propoſitiones eſſe docet nonnullas quę diuerſæ quidem eſſe, ſimulq; uerum mutuo uidentur aſſerere: nullam tamen inter ſe re uera prætet quā in dictione differentiam obtinent. id genus nūc eas eſſe in quibus trāſpoſita, quod ipſe ait, nomina & uerba. hoc eſt ſubiecta prædicataq; ſunt: ut quæ ipſe attulit exempla declarant, eſt homo albus, & eſt albus homo, quippe in huiuſce generis propoſitionibus cum circa prædicatum ſolum tranſpoſitio fiat atque ſubiectum, nomen dixit uerbumq; trāſponi, uocatq; tranſpoſitionis nomine, ordinis mutationē quæ ad pronunciationē pertinet, ideſt hoc ante illud nos in propoſitione, uel ante hoc illud proferre. Nullam enim in propoſitionibus penes ſignificata tranſpoſitio talis nominum C & uerborum immutationem facit. nam in concinnanda locutione talis nominum ordo ac uerborum plurimū affert diſcriminis. haud enim hoc dicere, in Piræum deſcēdi heri, perinde auribus gratum eſt atque illud, heri in Piręum deſcendi. Quamobrem oratoribus non ſolū nominum ac uerborum delectus, ſed talis quoq; ipſorū compoſitionis pluſcima ratio habetur. quod uero ad ipſum attinet ſignificatū de quo præcipua cura eſt Philoſophis, nihil hoc illo differt. Dicitur & alia quædam tranſpoſitio nominum ac uerborū, à finitis tranſitus ad infinita, quę propoſitiones prorſus euariat. ſed nihil hoc ad ea quę nunc ab Ariſto. traduntur. Exquiſite autem admodum à nominum atq; uerborum tranſpoſitione duntaxat propoſitiones eaſdem ſeruari dixit: ut, homo iuſtus eſt, homo eſt iuſtus: iuſtus homo eſt, iuſtus eſt homo, eſt homo iuſtus, eſt iuſtus homo. Nam negatiua particula ſi per ſeipſa tranſponatur, omnino propoſitiones immutat. ac ſi ſubiecto iungatur, affirmationē facit ex infinito ſubiecto conſiſtentem. ſin prędicato, tranſpoſititiam affirmationem. ſin uerbo eſt aut in præfinitis propoſitionibus aſcitæ D præfinitioni copuletur, negationem conſtituit ſin uero cum uerbo, eſt, cui in primitiua conſtructa eſt propoſitione quis ipſam tranſponat, ſic quoque eadem propterea manet propoſitio, quoniam infinitum id uerbum ſit quod eſt tranſpoſitum. non autem per ſe negatiua particula: ut, nō eſt homo albus, homo non eſt albus, homo albus non eſt. atque hæc quidem patent. Ariſto. uero à ſecundo ex hypotheticis, ſequentis abolitione ſimul tollendo antecedente, propoſiti problematis demonſtrationem facit, nempe eaſdem eſſe & eſt homo albus, & eſt albus homo. Nam ſi eęde, inquit, quas diximus, non ſint propoſitiones accidit affirmationis eiuſdē eſſe negationes plures. ſed hoc fieri nequit: ut ſupra oſtenſum eſt, cum dixit. Porrò & inficiationem unā conſtat unius affirmationis futuram. non igitur quas commemorauimus propoſitiones mutuo differunt. Sed undenā ſi propoſitiones diuerſæ eæ ſint de quibus loquimur, plures affirmationis eiuſdem ſequitur haberi inficiationes? quoniam ſi diuerſa eſt hæc inquit, eſt albus homo affirmatio, ab illa, eſt homo albus negationes quoq; diuerſæ erunt illarum ſi unius affirmationis eſt una negatio. ſed huius, eſt albus homo, negatio eſt, non eſt albus homo, huius ergo, eſt homo albus, alia quædam erit negatio. Itaque uel hanc non eſt homo albus, uel illam, non eſt nō homo albus, eius eſſe negationem dices. Sed illa non eſt non homo albus, illius eſt negatio, eſt non homo albus, affirmationis. eodem modo & quācunq; præter hanc, non eſt homo albus, aliam acceperis, eam alterius cuiuſpiam negationem eſſe inuenies affirmationis. Neceſſe eſt igitur hanc nō eſt homo albus, affirmationis illius, eſt homo albus, negationem eſſe. uerum hæc, nō eſt homo albus, huiuſce quoque affirmationis, eſt albus homo, negatio eſt: non propterea quod, ut quidam arbitrātur, uerum & falſum cum ea non in hac ſolum aut illa, ut in propoſitionibus quibuſdam, uelut contrariis, aut particularibus fieri accidit, ſed abſolute in omni materia perpetuo diuidant. (hæc enim illorū ſunt, quibus quæ de his præcepit Ariſto. memoria excidere.) ſed quoniam ſolis hæ propoſitionibus differunt à præfinitis. huic autem, omnis eſt albus homo, contradicit harum dubio procul utraq; nō omnis eſt albus homo, non omnis eſt homo albus. eodem pacto in Aliquis, etiam & Nullus. Quapropter uel in impræfinitis id ita ſe habebit: non quoad contradicant, ſed quatenus nihil minus quā reliqua utrauis habeat ut eiuſdē affirmationis negatio ſit. Quare, id quod dicebamus, duæ unius affirmationis, huius nimirum, eſt albus homo, inficiationes erunt, & hæc nō eſt albus homo, & hæc, non eſt homo albus. Fieri igitur poterat, ut idem breuius colligeretur, ſi qua ratione duas affirmamus negationes uni affirmationi repugnare, eadem duarū prædictarum affirmationum unam fore negationem hāc dicas, non eſt albus homo. Sed uidetur Ariſto. affirmationem, quaſi finis quædam formaq; ſit unam ſumpſiſſe: rationemq; abducere ad incommodum, quod eſt cum eadem ceu forma priuationes duas configere. Illud uero aliquis in quæſtionem aduocarit, quod iam nobis quidam ſoluēdum propoſuit, qua nam igitur ratione contigerit, ut uniuerſalis affirmatiua propoſitio in ſeipſa reflectatur: ſi uerum quod ab Ariſtote. traditur pręceptum ſit. Huic nanque affirmationi, omnis homo animal, uerum ſimul nunciabit, quę, omne animal hominem eſſe affirmat, ſubiecti ſolum in ipſis ac prædicati ordine inuerſo. Cui reſpondebimus in ſola maxime pronunciatione cenſeri ab Ariſt. tranſpoſitionem fieri terminorum, eandemq; utriuſq; poteſtatem ſeruari, ideſt & ſubiectū, uel poſt tranſpoſitionem ſubiectum manere, ſimili modo & prædicatum. Non ex eo ſubiectum ac prædicatum diuidicamus ꝙ primum in propoſitione aut ſecundum dicatur, ſed ex illis diſtinctionibus quas de ipſis olim tradidimus; nempe ꝙ alterum ſit id de quo habetur oratio: alterū quod fertur de illo. quodq; aut apud Græcos articulum hoc, uel apud omnes præfinitionem aliquam habeat, aut poſſit aſſumere: illud nequaquam. Itaque in expoſitis ab Ariſto. propoſitionibus. & homo in utraq; ſubiacet (nam de eo ſermo eſt) & album prædicatur. At in illis omnis homo animal, D omne animal homo, neque idem ſubiectus eſt, nec prædicatus, id quod præfinitio declarat alias alii termino coniuncta. Deinde quod de negatiua diſſerebamus particula, ſi ſola tranſponatur, alias ex aliis propoſitiones fieri. ſin cū parte ea propoſitionis cui connexa ab initio eſt quouis modo tranſponatur, propoſitionem eandem ſeruari: idem fieri & in præfinitionibus accidit, quæ ſi ſolæ alio transferātur: propoſitiones inuertunt quandoque, falſaq; ex ueris efficiunt: quemadmodum res ſeſe in proditis habet exemplis. ꝙ ſi cum terminis iis tranſponantur quibus principio adhæſere, propoſitiones faciunt eaſdem, ut omnis homo animal eſt, eſt omnis homo animal, animal omnis homo eſt, eſt animal omnis homo: ac quotquot aliter modis interſerere eas licet. Videtur ergo ſignificatum quandoque in negationibus diuerſum, id quod antea diximus, ipſius non eſt tranſpoſitione fieri, ſed primum cum ſecundam quoque in eodem cum priore propoſitione ſenſu proferimus, nulla erit. in ſignificatis differentia. Deinde uerba fecit Ariſtote. in affirmationibus, in quibus uerbo eſt in eadem ſede ſerua-

to

to ſolum ſubiectum ac prędicatum tranſpoſuit perinde qua ſi & in negationibus eadem fieri debeant: ſine uitio quidem futura ulla ſit, immutandæ propopſitionis.

A

X I.

Vnum autem de pluribus, uel plura de uno affirmare ac negare, niſi unum quidpiam id ſit quod ex pluribus illis declaratur, non eſt affirmatio una neq; negatio. Porrò unum in quam non ſi nomen poſitum unum ſit, non autem unum ex ijs aliquid conſtet, ut homo fortaſſis & animal eſt & bipes & cicur. ſed & unum quiddam ex hiſce conficitur: haud uero unum ex albo & homine & ambulante. Quare nec ſi unum de his aliquid affirmauerit quiſpiam, erit una affirmatio: ſed uox una, affirmationes multæ: neq; ſi hæc de uno, ſed plures ſimiliter.

Superius quoq; propoſitionis eius quæ uerè una eſſet, & B quę eſſe quidem uideretur, nec tamen eſſet diſcretionem tradidit nobis Philoſophus, ubi dixit, Vna autem eſt affirmatio atque negatio quæ unum de uno ſignificat. & uero de eodẽ nunc rurſus theoremate diſputat: non idem repetens, neq; propterea quod cum de ſimpliciſſimis antea propoſitionibus uerba fecerit, de iis agat in præſentia quæ ex tertio appredicato formantur: (nam neq; hoc abſurdum forſitan eſſet, in ſpem propoſitionum utraq; oſtendere diſcretionem quam diximus enunciatiuarum orationum eadem ratione fieri.) Verum ſi mihi id dicendum eſt quod ſentio, cũ prius de iis negationibus quæ ad aliquam interrogationem fiunt, quando poſſint coniunctę interrogationibus affirmationem ea tranſpoſitione ueram facere, quando ſecus, diſſeruerit, uult qđ rudius illic ſumptũ eſt, articulate iterũ explicando circunſpectiores nos reddere, ne prompte una reſponſione factæ interrogationi occurramus. haud. n. ſanè & cum uidetur eſſe una, re uera tamen non una fuerit. Itaq; ad id pernoſcendum, quænam una inquam dialectica interrogatio, & quæ non una ſit, habendæ ad manum regulæ erant illę, unius C ac non unius propoſitionis diſcernendę: ſi interrogatio ipſa dialectica, quædam ſit propoſitio. Quocirca retractare nunc Ariſtoteles conſiderationem huiuſce uidetur præcepti. Id autem palàm facit ea illo quod præceptionem qua quando non una reſponſione occurrere interrogationi oporteat intelligitur, uelut horum concluſionem inferat: dicatq;. Itaq; ſi diſputatoria interrogatio, reſponſionis poſtulatio eſt, & reliqua, reſponſio ad hæc una non erit. (neq; enim una eſt interrogatio.) Ac de propoſitorum quidem ſcopo atq; ordine hæc dicta ſufficiant. De iis uero ea loquitur non quæ ſuperius docuit (nam hoc eadem inculcantis planè eſſet:) ſed aliam quoq; nobis differentiã tradit eius propoſitionis quæ re uera una eſt ac eius quæ una eſſe duntaxat uidetur. Cæterum quo facilius quæ commemoranda ſunt aſſequamur, quoniam qui in propoſitionibus termini ſumuntur, & uoces quædam ſint neceſſe eſt, & res quaſdam ſignificent, quatuor ut fiant illarum differentiæ uſu uenire arbitramur. Nam aut ſimplices ambo in uoce & ſignificato, uel in neutro, uel in altero ſunt idq; duobus modis fieri perſpectum eſt. Ergo D ſi uterq; in ambobus ſimplicitatis compos eſt terminus, propoſitionem unam eſſe nemo inficiabitur: ut cum homo animal eſt pronunciamus. Ac ſi in ſolo ſignificato, non autem in dictione habeatur, ſic quoq; erit una: quamuis ob eam uarietatem quæ circa dictionem, uel in uno termino uel in ambobus uiſitatur, ut aperte una ſit, minus obtineat: ceu cum homo animal rationale mortale eſt dicimus, uel animal rationale mortale, ſubſtantia eſt compos animæ, ſenſus particeps. Quod ſi in ſola dictione terminis adſit ſimplicitas, quorum ſcilicet aut ambos aut alterum etiam ęquiuocos ceperis, non etiam una eſt propoſito. Sed antea nobis hac in re differentiam tradebat, cum diceret. Quod ſi duobus unum ſit inditum nomen. & Siquis uerbi cauſa nomen tunicam equo imponat, atq; homini. Reſtat igitur una adhuc differentia, qua termini tum dictione, tum ſignificatis uel ambo rurſus uel ſolus alter multiplicati aſſumuntur. Sed cum uero ſimilius eſſe exiſtimarit Ariſtoteles ad unam illam quæ una non eſt propoſitione putandum, alterum duntaxat terminum ambobus uarium, altero uere uno exiſtente, magis quam utrunq; ſuppoſuiſſe, ac ſimul quaſi una cum hoc à maiore oſtendatur ſuppoſitio altera quæ utrunq; terminum nullius eſſe ſupponit ſimplicitatis participem, in hac ſermonem deducit: nec ſi unum de multis, uel multa de uno affirmatiue aut negatiue prædicentur, negationem unam fieri cenſet, niſi unum quidpiam ea pluribus illis prædicatis aut ſubiectis gignatur, ut in ſola rurſus dictione ſpectetur uarietas, ſignificatum ſit ſimplex: quomodo rem ſeſe habere in definitionibus diximus. Cęterum cum ſubiungat hoc Ariſto. {Porrò unum inquam. non ſi nomen poſitum unum ſit: non autem unum ex iis aliquid conſtet, } id illi iungi autumarunt quidam interpretes {Niſi unum quidpiam id ſit quod ea pluribus illis conficitur: } quaſi declarante per hæc Philoſopho quonam pacto habere ſe unum illud debeat quod conſtare ex pluribus dicitur: nempe uno quidem planè prædictum eſſe nomine non B tamen nomine duntaxat unum id eſſe oportere, ceu cum acceptum de ipſis æquiuoce prædicatum fuerit, ſed ſignificato potiſſimum. Nihilq; quod ait ab eo quod iam antea proditum eſt, putant differre. Siquis uerbi cauſa nomen tunicam equo imponat atq; homini, eademq; rurſus de iis commemorari arbitrantur. At dicere ſatius forſitan, ſit magisq; ſequentibus conſentaneum, cum his in iis quæ ante proxime recitata ſunt unius meminerit, tum cum dixit unum autem de pluribus uel plura de uno, tum rurſus cum deinceps addidit niſi unũ quidpiam id ſit quod ea pluribus illis conficitur, ſitq; prius illud uelut actu in propoſitione acceptum, unumq; re ex confeſſo eſſe debeat: poſterius uero nõ ut actu quidem ſumptum, debeat tamen ſi una futura propoſitio ſit, ea pluribus actu aſcitis conſtare, hæc eum nunc ad utrunque unius ſignificatum referre. ac per uerba illa. Porrò unũ inquam propoſitum ſibi eſſe à principio docere de uno his antedicto cautiones tradere: per ea autem quæ deinceps addit, non ſi nomen poſitum unum ſit, non autem unum ex iis aliquid conſtet bis rurſus unius meminiſſe: non tamen de eo C dem, ut quiſquam exiſtimauerit, atq; uno termino diſſerere, atq; diſtinguere qua ratione ipſe ſi unus qua uero niſi unus ſit ſumptus multas eſſe propoſitiões accidat: ſed alterũ, nempe illud ſi nomẽ poſitũ unũ ſit de uno re uera accepto termino tũ uoce, tum ſignificatu pronunciare. illud uero nõ autẽ unum ea iis aliquid conſtet de altero quod actu in uoce multitudinem obtinet. Nam ſi ſubiecto uel prædicato uno quopiam poſito nomine, atque unam rem aliquam ſignificante, ex multis iis de illo prædicatis, aut illi ſubiectis unum quiddam non conſtet, non una amplius eſt propoſitio: ſed quot quot prædicata uel ſubiecta numero fuerint. Hoc autem, quod ſibi uult, illud eſſe. planiſſimè iis quæ apponit exemplis declarat. nam uelut ſubiecto uno quopiam accepto homine, plures ſimul de eo uoces prædicat rerum illarum ſignificatrices quæ per eſſentiam de ſubiecto appellantur: mutuoq; ad finitionem illius conficiendam poſſunt ſuapte natura coniungi. poſterius uero, plures quidem ſimul iterum uoces: uerum ea ſignificantes quæ in ſubiecto per accidens inſunt, eaq; de re coaleſcere inter ſe nequeunt. ac propoſi D tionem eam inquit quæ ex uno ſubiecto & contextilibus prædicatis conficitur, nõ ſolum uoce, ſed poteſtate quoque unam eſſe, cũ complicata inter ſe plura illa de uno ſubiecto prædicauerimus. quę aũt ex uno ſubiecto coagmentationiq; ineptis prædicatis conſtituitur, unam eam uere fieri nunquã: uel ſi illis nos uoce conſertis inuicem accidentibus, ſimul omnia ut unum quid prędicare de ſubiecto contenderimus. Ita nanque uſu uenient, & propoſitio uoce una eſſe uideatur, facultate uero ipſius unius particeps neutiquam ſit. Atque hæc hunc in modum explicando, nuſquam in iis loqui de æquiuoco prædicato, uel ſubiecto quidquam uidetur. Cum autem de iis prius ipſis, uti diximus, quæ per eſſentia prædicantur mentionem faciat, de ſubiecto prædicari differentes ea poſſe indicat. Nam non uoce ſolum quandoque, ſed etiã ſignificatis prædicantur ut multa, nec unam, ſed plures propoſitiones efficiunt. interdum uero ſola uoce obtinent multitudinem: atque unam planè propoſitione reddunt. Quippe

pe animali & bipede & cicure, quæ per eſſentiam prædicantur de homine, complereq́; eius finitionem poſſunt, exempli gratia, ut {Fortaſſis} quoq; aduerbium illis præpoſitum declarat, capiendo, {Sed & unum quiddam ex hiſce (inquit) conficitur. } perinde quaſi cum homo animal eſt, & bipes, & cicur dicimus, plura ſumpta ſint propter coniunctiones prędicata, ac propoſitiones faciant multas. Simile.n. quidpiam nobis fit, ac ſi diceremus homo animal eſt: homo eſt bipes, homo cicur eſt: quod planè eſt propoſitiones deinceps multas pronunciare quæ eodem utantur ſubiecto. Quando uero prædicatis circa coniunctiones aſſumptis mutuoq; connexis homo animãs bipes cicur eſt deinceps proferimus, neq; illorum continuitatem quæ finitionem complent medio ſilentio interſecamus, unum acceptum fit prædicatum: unáq; omnino propoſitionem conſtituat. Hæc cum de his diſſeruerit, de iis addit poſtea, quæ de quoquam prædicantur. ex accidente: atq; unam inquit prædicationem, uel propoſitionem unam etſi ea ſine interuallo prædicauerimus, fieri nunquam poſſe: ut in finitionibus faciebamus. Non.n. quo modo B animans & bipes & cicur inter ſeſe ad naturæ unius conſtitutionem commiſcebantur: ſic plura quoq; uel inter ſe, uel communi eorum ſubiecto mixta accidentia unam præſtare poſſunt naturam. Quare nec qui homo albus ambulans eſt dixit, propoſitionem unam protulit. quandoquidem nec unum eſt prædicatum, ut poſt enucleate diſputabitur, eſtq; perinde, ac ſi homo albus eſt, homo ambulãs eſt diceremus. nec qui Socrates homo albus ambulans eſt pronunciauit: quoniam neque in his prædicatum unum quodpiam fit, ceu multis accidentibus homini aſcitis. Sed de his poſt exactius agetur.

XII.

Itaque ſi diſputatoria interrogatio reſpondendæ uel propoſitionis, uel contradictionis partis alterius poſtulatio eſt, propoſitio autem unius pars eſt contradictionis, utique reſponſio ab hæc una non erit (neque enim una eſt interrogatio.) ne ſi uera quidẽ fuerit. C *De iis autem in Topicis diſputatum eſt. Simul uero dilucet neque ipſum, quid eſt, diſputatoriam eſſe interrogationem. Datum enim ſit ex interrogatione opus eſt utram partem uelit contradictionis eligere. ſed qui interrogat, diſtinctionem utrum hoc homo ſit, an non hoc, oportet adhibeat.*

Tradunt Veteres duplicem ſpeciem eſſe interrogationis: alteram diſputatoriæ, ſeu dialecticæ: alteram eius quæ percunctatrix, Græce pyſmatice nominatur. Atq; interrogationem diſputatoriam quidem illam eſſe aiunt, ad quam licet particulam ſolam etiam uel non dicendo reſpondere: ſignificandoq́; annuere duntaxat, aut renuere: ut eſt ne immortalis animus? Ad eum enim qui hoc interrogauit explendum, annuiſſe etiam ſolummodo, uel renuiſſe ſatis eſt: quando, id quod eſt conſequens, alteram duntaxat qui interrogat partem dixerit contradictionis. Nam uel etiam particulam proferendo, uel annuendo, interrogatiuę pronunciatam partem contradictionis, ſiue affirmatiua ſeu negatiua ſit, ueram eſſe confitemur. Sæpe enim & per negationẽ rogamur: ut an nõ D eſt animus immortalis? per particulam aũt non renuẽdoq́; reſpondendo, aduerſus interrogationem depugnamus: reliquam uero fatemur ueram eſſe contradictionis partẽ. Quod ſi quis contradictionem totam in interrogatione protulerit, ut num immortalis animus eſt, an ſecus, ita quoq; uel etiam, uel non reſpondenti dicendum eſt. Verum ſi affirmationem magis prober, etiam dicet: ipſamq́; illi particulæ affirmationem addet, atq; etiam, immortalis eſt pronunciabit. Nam niſi adiiciatur affirmatio, incertum eſt ad utram interrogatæ partem contradictionis aduerbium hoc etiã ſit reſponſum. Sin negationem, & non reſpondebit, & eandem rurſus negationem adiunget, dicetq́; non, non eſt immortalis, ac diſputatoriam quidem interrogationem id genus eſſe ait. Percunctatricem uero, ad quam neq; etiam neq; non accomodari queunt particulæ: alia uero dictione, quandoq; & longiore oratione illi qui interrogatur opus eſt ad reſponſionem.

A Quippe eorum eſt percunctatrix interrogatio qui quidquã de aliquo doceri uolunt: ut quando uenisti? quis uocat? ubinam habitas? unde immortalem conſtat animum eſſe? cur magnes ferrum attrahit lapis? Atq; ei qui percunctatrice interrogatione prouocatur, quidquid uelit quod interrogationi poſſit congruere, cum innumera ſint illa, ſeu utrum uidelicet, ſeu falſum profiteatur, reſpondere eſt integrum. Qui uero diſputatoria cietur interrogatione, is contradictionis, cuius pars eſt, prolata interrogatio, uel affirmationẽ, uel negationem, aliudq́; præter hæc nihil reſpondere compellitur. Hæc igitur cum ita ſint, iure inquit Ariſto. {Si diſputatoria interrogatio reſponſionis poſtulatio eſt, } nõ cuiuſlibet, ſed {Vel propoſitionis} ideſt partis ipſius quæ actu ab interrogante prolata eſt contradictionis, atq; interrogatio ad diiudicationem propoſita, id quod tunc fit, uti diximus, cum qui interrogatus eſt aut etiam reſponderit, aut quoq; annuerit. {Vel contradictionis partis alterius: } quæ non actu quidem ab interrogante prodita eſt, ſed in ipſa interrogatione, ut ne B gatiuæ reſponſione declarant, poteſtate cõprehenditur. per has enim partem reliquam contradictionis præter interrogationem nobis placere enunciamus: ut quę poteſtate in interrogatione ad diiudicandum propoſita eſt. nam ſi nullo modo facta ſit interrogatio, patet nullam fieri reſponſionẽ poſſe. Ergo ſi hæc ita ſe habent, eumq́; oportet qui diſputatoriæ occurrit interrogationi per ſolam propoſitionem reſpondere unam quandam ab eo qui interrogauit, uel actu, uel facultate oblatam, una autem propoſitio unius pars eſt contradictionis: contradictio uero una, ut ante explicatũ eſt, eiuſdem eſt de eodẽ, nec ullo modo æquiuocatione utitur, ſi hæc ita ſe habent omnia. quæ partim commemorauit Ariſto. partim uelut cõmemoratis conſequentia omiſit, {Vtiq; reſponſio ad hæc, (inquit,) una non erit.} hæc autem illa intelligit, de quibus proxime agebatur: hoc eſt interrogationes quibus propoſitiones nobis proponuntur nonnullæ quæ ſecundum paulo ante de ipſis traditas præfinitiones uidentur eſſe una, re uera ſunt multæ. Cauſamq́; adiecit ilico, C cur una reſponſione occurrere huiuſmodi oporteat interrogationibus: cum dicit, {Neque enim una eſt interrogatio.} Quo fit ut qui ad hanc reſpondet, is ſecundum aliud aliudq́; eorum quæ uel ut ſubiecta, uel ut prædicata ſignificantur à propoſitione ſimul & uerum dicat & mentiatur: ſeu tanquam æquiuoca ea ſint, ut ſupradictum eſt, ſeu diuerſis etiam in propoſitione actu acceptis uocentur nominibus: uelut in proxime expoſitis tradebatur. Nam quomodo una poterit reſponſione nunquid Aiax cum Hectore in ſingulare certamen deſcendit? uel utrum ne Socrates albus ambulans eſt? interroganti obuiare, ſi alterum illi interrogatum ſuppetat, alterũ non ſubſit? Enim uero hæc nos Plato quoq; ante Ariſto. docuit. Itaq; Polum in Gorgia reprehendit Socrates: à quo rogabatur an nõ ipſi uniuerſa quæ uelit, quæq; optima eſſe exiſtimarent Oratores uelut tyranni facere uiderentur: ut illum qui plures ſimul interrogationes proferret, ea de cauſa quòd uoluntatis & exiſtimationis differentiam ignoraret. Quoniam uero ſæpius accidit ut eadem uera in ſignificatis omnibus interrogationis reſponſio ſit, ut in hac, D num Aiax ad Troiã profectus eſt miles? & in hac eſt ne Socrates albus ambulans? cum ambo fuerint in Socrate, iccirco nos docendo rectas non à fortuna, ſed ex arte, reſponſiones facere, illud apponit {Ne ſi uera quidem fuerit} quod illi coniungendum eſt utiq; reſponſio ad hæc una non erit. Nam etſi uerum ſit an Aiax aduerſus Ilium militauerit roganti una oratione conſentire, tamen euitandum id genus reſpondendi eſt: ne regulas tranſgredi aſſueſcamus dialecticas, ſignificandumq́; omnino multa illum ſimul interrogaſſe: quod minime decet: uſu autem ueniſſe ut ad ea uniuerſa quæ interrogatione continentur eadem reſponſio congrueret. Quamobrem neq; ad eum qui an homo ipſe, & animal, & bipes, & manſuetus ſit roget, reſponſio una facienda: quoniam neq; hæc una eſt propoſitio. de hiſce uero latius ipſe in octauo libro Topicæ diſſeruit commentationis. Verum quoniam inter ſe Aphrodiſienſis enarrator diuinusq́; Iamblicus de dialectica interrogatione contendunt, alterq́; locũ

hunc

hunc ſequitur,uuliq; diſputatoriam ipſam interrogationem
partis alterius eſſe duntaxat contradictionis : alter ea magis
quæ in Reſolutoriorum proemio de illa produntur , ac con
tradictionis illam cenſet totius interrogationẽ eſſe (eſt enim
ibi inquit,diſputatoria propoſitio ſciſcitanti,interrogatio cõ
tradictionis: ratiocinanti,ſumptio apparentis opinabiliſq;.)
patet ex ſupra dictis quo pacto arbitraturi ſimus de contro
uerſia. Nam pars tantum altera quidem contradictionis per
interrogationem actu proferenda eſt : ſi is qui ſolum etiam
aut non reſpondet,recte appoſite ſit occurſurus: altera tamẽ
etiam facultate proponitur. Quanuis enim interrogationes
quaſdam apud apprime diuinum inueniamus Platonẽ,quæ
contradictionem totam actu interrogent,ut illud in Phædo
ne, Porrò ad prudentiam ipſam obtinendam utrum corpus
impedimento eſt, an nequaquam ? ad quod potiſſimum re
ſpiciens decernit magnus Iamblicus contradictionem uni
uerſam in diſputatoria interrogatione contineri. Sed intelli
gendum eſt apud Platonem non in eorum congreſſibus qui
bus cum diſputaret permanere Socratẽ eo propoſito quo
uerſatur is qui Dialecticus ex Ariſtotelis uocatur ſententia.
Nam qui ſic Dialecticus dicitur,eò ſpectat ſolum, ut alloquen
tem ſuperet : demumq; ipſum ad contradictionem deducat.
Socrates uero & alloquentes corrigit ſi peccent: & finem ui
ctoriam ſtatuit,ſed ueritatis comprehenſionem . Quapro
pter etſi contradictionem inueneris ab eo proponi uniuer
ſam,id fieri exercendorum alloquẽtium gratia compereris :
uel protinus aperire ad utram partem contradictionis reſpõ
dere alloquentem uelit,non etiam tantum , aut non dicentẽ:
ſed declarantem quoq; ad utram contradictionis partem re
ſpondendo occurrat . Ac diſputatoria demum propoſitio
uſus in primis dialectici gratia uſurpatur ſyllogiſmi : quæ cũ
pars huius ſit, neq; particulam nunquid aut ſimilem habebit
adiunctam : ſometq; partem alteram contradictionis duntа
xat,quæ alloquenti uidebitur . At quoniam eo inferior eſt
quàm demonſtratiua , quòd non à rebus ipſis,ſed ab iis quæ
concedit aduerſarius ſumatur, iccirco & per interrogationẽ
ei proponitur qui cum ſermo inſtitutus eſt:ut de illorum ue
ritate quod ſibi uidetur : diiudicet.nec ſolum ipſa,ſed,ut di
ctum eſt, & contradictionis pars reliqua : aſſumitq; particu
lam nunquid propter interrogationis figuram . Sed quidnã
id eſt quod ab Ariſto. ceu corollarii uice deinceps additur ,
cum inquit . {Simul uero dilucet neq; ipſum quid eſt diſpu
tatoriam eſſe interrogationem.} & cur nam hoc uult conſe
quens eſſet itaq; ab iis conſtat pendere quæ de diſputatoria
locutus eſt interrogatione eam nimirum reſpondendæ uel
propoſitionis,uel contradictionis partis alterius poſtulatio
nem eſſe. Nam ſi diſputatoria id genus eſt interrogatio,ut de
tur permittaturq; alloquenti utram partem reſpondere con
tradictionis uelit, non huiuſmodi autem ipſius quid eſt inter
rogatio habetur:ſed eſt naturæ inſtitutionem expoſitionẽq;
expoſtulat , compertum eſt ipſius quid eſt interrogationem
nequaquam fore dialecticam . Verum ſi omnino ipſius quid
eſt percunctationem in interrogationem diſputatoriam for
mare libeat , oportet nos ipſos finitione quæ nobis eſſe rei
uidetur actu proferenda interrogare : ut utrum homo ani
mal eſt bipes manſuetum:ſi per affirmationem.ſ. placeat in
terrogare. uel ſi per negationem maluerimus utrum homo
animal bipes manſuetum non eſt? id quod breuiter ipſe per
uerba illa, {An non hoc} indicauit.

XIII.

Quoniam uero prædicantur ad eo quædam compoſita, ut ex
iis quæ ſeparatim prædicantur unum fiat prædicamentum uniuer
ſum,alia minime,quænam fuerit differentia? De homine enim ue
rum eſt & ſeorſum,animal,dicere : & bipes,ſeorſum: atq; hæc
ut unum,& hominem atq; album:& hæc tanquam unum.ſed non
ſi ſutor,bonuſq; ſit,ſutor quoq; eſt bonus. Nã ſi propterea quod
uerum eſt utrumque , etiam quod ex iunctis ambobus conſtat eſſe
oportet,multa quoque ſequentur incommoda. Quippe de homine
& homo,uerum eſt & album , pronunciare : quare & uniuer-
A *ſum.rurſus ſi albũ,ſimul etiã totum.quamobrẽ erit homo albus al*
bus : excurretq; id in immenſum. & rurſus muſicus albus ambu
lans:eademq; ſæpius contexta in infinitũ.Præterea ſi Socrates &
homo eſt,erit et Socrates,Socrates homo.et ſi homo et bipes, erit
& homo homo bipes. Itaque ſi complexus quiſquam abſolute fie
ri arbitrabitur,conſtat uſu uenire ut multa dicantur abſurda.quo
autem pacto ſtatuendum ſit,modo explicamus. Ex iis igitur quæ
prædicantur,& in quibus prædicari contingit,quæcunque per ac
cidens uel de eodem , uel alterum de altero dicuntur , hæc unum
non erunt. Homo exempli cauſa albus eſt & muſicus : ſed unum
non eſt album & muſicum:cum ambo ſint accidentia.neque ſi ue
rum dictu ſit quod album eſt id muſicum eſſe,unum tamen quid
quam erit muſicum album . nam quod eſt album, id per accidens
muſicum eſt . qua de re unum quiddam non erit album muſicum .
B *quocirca nec ſutor bonus ſimpliciter,ſed animal bipes.haud enim*
per accidens . Item nec quæ inſunt in alio. quapropter neque al
bum repetitur:nec qui homo eſt,is homo animal eſt,aut bipes : ſi
quidem ſunt in homine bipes & animal .

Cum ſupra ex diuerſis iis quæ de eodem prædicantur
alia poſſe coniungi atq; unam quandam. dixerit prædicatio
nem facere ex omnibus,alia uero non poſſe,nullamq; ibi no
bis regulam horum diſcernendorum tradiderit, ſed tranſiue
rit ilico ad theorematis præceptionem ad quod illud utile
erat, non oportere inquam reſponſionem una ad eam inter
rogationem fieri,quæ planè una nõ eſſet,uult per hæc quod
omiſſum illic eſt deinceps addere.ſumptoq; hoc uelut con
feſſo.poſſe ex iis quæ prędicata de eodem ſunt pluribus no
minibus rebuſq;,aliqua,ſi inter ſe quoq; componantur,ac ue
lut coaleſcant , unum quodpiam prædicamentum ea ipſis
uniuerſum efficere : ut in hoc dicebamus animal bipes man
ſuetum: quædam non poſſe:ut in albo,& ambulante,quænã
C differentia ſit quærendum cenſet: hoc uero eſt,quænam ſit ta
lis differentiæ cauſa: & quamobrem illa concreſcant,hæc mi
nime . Prius autem oſtendit in iis re uera quæ plura prædi
cantur eſſe id genus differentiam, in eo inquam quod natu
ra componi apta ineptaq; ſint,quam eius cauſam inſpexerit.
ſiquidem & conſequens erat ut quod ſit antequam cur ſit di
ſceremus. Habilia itaq; cõponi natura eſſe nonnulla ad præ
dicationis unius conſtitutionem palàm facit tum ſumendo
animali,tum bipede : quæ non diſcrete ſolummodo , ſed ſi
mul quoq; prædicantur de homine : cum animal bipes ip
ſum eſſe pronunciamus & curſus homine atq; albo : quæ
tum diſcrete de hoc prædicantur homine , tum coniuncte:
cum Socrates, dicimus,homo eſt albus. Eſſe autem quæ cõ
poni nequeant , demonſtrat in ſuppoſitione ſutorem quen
dam ſumente , qui non exquiſite artem didicerit ,ſed prædi
tus morum fuerit probitate: qualis Simo ille extitiſſe Socrati
familiaris uidetur. Nam de hoc,ſutorem eſſe & bonum,ſeor
ſum utrunque uere prædicabis . at ex ambobus compoſitũ,
D ſutorem eſſe bonum,non item. Quippe bonum per ſe ſi de
quouis dicatur ſingulari homine,ut de homine prædicatur :
atque eius ipſius uitæ ſpeciem indicat . ſin copuletur ſutori
atq; ita prædicetur , non ad ſpeciem uitæ hominis præterea
ſed ad artis qualitatem exauditur . Quamobrem & apud
Platonem Gorgias à Socrate non abſolute Orator , ſed to
tum hoc , bonus Orator appellari uoluit : nimirum hac re
ſeipſum ab iis diſcernens qui arte uitioſe merentur . Quoniã
autem uero ſimile erat imperitiorum nonnullos arbitrari
quæ prædicantur ſeorſum , ea ſimul quoq; prædicari planè
oportere , ſorteq; attributum putari nos in quibuſdam hoc
fieri,in aliis haud etiam poſſe dicere, atq; aduerſus id aggre
di quod de ſutore & bono dictum eſt diſceptare,propterea
neceſſitatem nobis adducens diſcutiendi theorematis, oſten
dit quod ita opinantes incommodis urgeantur : atq; { Nam
ſi,(inquit,) propterea quod uerum eſt utrunq;, } cui ſubau
diendum eſt,ex iis quæ ſeorſum prædicantur. ſi ob id igitur,
{Etiam quod ex iunctis ambobus conſtat eſſe oportet.} rur
ſuſq; huic ſubaudiendum eſt uerum ut ſi quoniam uerum

hoc eſt, prædicamentum quoq; uerum ſit oportet quod ex utroq; conſiſtit, {Multa ſequentur incommoda.} nugetur enim is oportebit qui ita exiſtimat. & præter id quod nugetur, ab hominum ſenſu abhorrentia & ſuperuacua quædam dici atq; inania. Si enim uere & hominem & album prædicauerimus de Socrate, uere & ſimul utrunq; prædicabimus eum hominem eſſe album. uerum ſi quæcunq; ſeparatim prædicantur, ea compoſita prædicari etiam poſſunt, rurſusq; ſi compoſitæ huic inſuper prædicationi album ipſum per ſe de Socrate prædicatum aſtruerimus, oportebit ex utraq; iterum prædicatione, compoſita ſimplici unam fieri prædicationem uniuerſam: ut eſt Socrates homo albus, albus dicatur: idq; in infinitum prouehetur quod planè nugantium eſt. Rurſum ſi muſicus & albus & ambulans nõ ſeparatim ſolũ, ſed ſimul etiam prædicãtur de Socrate, præterq; compoſitã ex his prædicationem album ipſum per ſe iterum prædicauerimus, muſicum eſſe album ambulantem album dicemus. & rurſus ſi muſicum forte prædicatum per ſe fuerit, muſicũ album ambulantem album muſicum: atq; eadem, quod ipſe inquit, ſæpius contexta: quibus præter nugationem, fit etiã prędicatio quam ne cogitatione quidẽ aſſequi ualeas. Aliud uero quoddam his tertium addens incommodum, prædicari de eo quem cernis hoc inquit, uerbi gratia Socratem eſſe atq; hominem. quapropter dicendum erit & eum qui cernitur Socratem hominem eſſe: & rurſus de Socrate hominem & bipedem ſeorſum quidem utrunq; recte prædicabis: non tamen quod ex utroq; conficitur: quod eſt homo bipes. Hæc.n. præter rationem ſunt planeq; redundantia: ſiquidem euidens eſt & Socratem hominem eſſe neceſſario: & hominem bipedem. Nam & ſi, id quod expoſuimus, quæ per eſſentiam prædicantur, uel ſimpliciter, uel ex parte natura ſibi inuicem cohæreſcere idonea ſunt, ut genus ac formatrices differentiæ, non tamen quouis ordine inter ſe connectere ea conuenit. haud.n. quæ magis particularia ſunt ſtatuemus priora: atque ab his uniuerſaliora quæq; illis ex neceſsitate conſequentia ſunt collocabimus. uerum contra, magis uniuerſalia magis particularibus anteponemus. His igitur cum harum rerum præfinitionem neceſſariam eſſe demonſtrauiſſet, ipſam deinceps addit: cum ait, {Ex iis quæ} de quibuſdã prædicantur ſubiectis, quæ {In quibus prædicari contingit} appellauit.i. & ſubiectis, de quibus prædicata appellari contingit. Ex iis ergo quæ prędicantur, de proprijs alia ſubiectis per ſe, alia per accidens nuncupantur: de quibus primũ uerba facit. atq; ſiue ambo prædicata per accidens de ſubiecto ſumantur, ſiue alterum de ſubiecto, & in quo ipſum eſſe ab illis haberi natura uoluit, alterum uero de altero, nullo modo ab iis una fiet prædicatio. Neq;.n. ſi per accidens de Socrate & muſicum & album prædices, unam ex iis comperies prædicationem fieri. neq; ſi muſicum de Socrate, album de muſico prædicatum acceperis, ita quoq; inuenies. Porrò hypotheſin hanc Ariſt. ex abundanti cautione aſſumpſit: quandoquidem neceſſe eſt prædicari, album in primis de Socrate quemadmodum muſicum: non quidem per eſſentiam, ut ꝙ accidens eſt: per naturam tamen: propterea quoniam eo cõparata ingenio ſunt accidentia, ut & ſuis inhæreant ſubiectis & de iis prædicentur: haud uero etiam potiſsimum de muſico, neq; ſecundum naturam: ſed re uera per accidens: quoniam accidit ut ambo in eodem ſubiecto concurrant. Ac neceſſe eſt deniq; disiunctiue Ariſto. pronunciatas hypotheſes ſeſe inuicem ſequi. Nam ſiue de eodem ſubiecto duo prædicentur accidentia, planè & de ſe mutuo pee accidens prædicabuntur, ſiue unum ſubſtantiæ ſit, alterum accidens, prædicabitur accidens per naturam de ſubſtantiali: ſubſtantiale, de accidente præter naturam: ut homo de albo. ſiue alterum à principio capiamus prædicationem complentium, qua de quærimus una ne ſit. an ſecus, per accidens de reliquo prædicatum, nec eſſe eſt ipſum per ſe ſolum prius acceptum de ſubiecto prædicatum ſit. nam hoc ipſum eſt quod inueſtigatur in præſens, quænam ſeorſum prædicata poſſint & prædicari coniuncta. Fortasſisq; non ſunt hæc uerba disiunctiue audienda: ſed dicendum eſt uel particulam pro & uſurpatam: ut illud quoq; apud Homerum iuuenis'ue, ſenex'ue pro & iuue

A nis & ſenex, atq; ut commentationes ſuas nonnullas inſcribere conſueuerunt ueteres Nicocles uel Lyſimachus & Phædo uel de Anima non ut ex aduerſo diſtinguerent: ſed ut orationem nobis permitterent utroq; nomine appellare: quaſi ita ſonent Ariſto. uerba & de eodem, & alterum de altero. Quænam igitur cauſa ſit ut quæ hoc pacto prædicantur, natura combinari nõ poſſint? quoniam diſsimilem disiunctãq; inter ſe prorſus habent naturam, ac ſub prædicamentis quãdoq; cenſentur diuerſis: nec ad naturam unam efficiendam ipſa miſceri inuicem queunt. Quod ſi ita ſe habeant hæc, patet recte à nobis dictum antea, nihil aliud apprædicari in propoſitionibus præter ipſum eſt poſſe: ut ambulare. Nanq; in hoc homo iuſtus ambulat ſi nomen iuſtus prædicari, uerbum ambulat apprædicari dixeris, non eſt id genus oppoſitio una: ſiquidem per accidens ambo de homine prædicata ad prædicationem unam faciendam mutuo temperari natura non poſſunt. At uerbum eſt ceu quod non per ſe etiam ſolum B de ſubiecto, ut ambulat uerbumq; aliud quodlibet prædicetur: ſed eius rei gratia tantum aſſumatur, ut prædicatum ſubiecto deuinciat, ſolum ex uerbis tum coagmentari prædicato natura comparatum eſt: apprædicariq; ipſum dicitur: tum unam prædicationem, integramq; ob id propoſitionẽ præſtare. Vtrum ergo (quidam aiunt) nec qui Hippocrates bonus medicus eſt dicit, aut Zeuxis bonus eſt pictor prædicationem unam protulit: quoniam utrunque bonum atque ars in quam ſubiecto accidit? An aliud in his eſt quod ſeiunctim prædicatur bonum: aliud uero quod mechanicæ arti copulatur: Nã quod per ſe prędicatur, id quod antea quoq; commemorauimus, ipſos indicat mores animi. quod autem arti coniunctum eſt non item. ſed uelut genus quoddam artis, aut artes exercentium capi uidetur. Spectatur enim in prędicamentis omnibus bonum: uerum ꝙ in qualitate comprænhenditur, cum illis diuiditur quibus impertiri ipſum natura uoluit. Ergo & quoddam circa animum ſit bonum neceſſe eſt uiſendum: quod uel penes animi mores ſumitur, uel cognitionem: eamq; uel ſcientialem uerbi gratia, uel artificia-

C lem. Itaq; quo pacto quale ipſum dicimus genus eſſe artificis, ita bonum quoq; in quali poſitum neceſſe eſt eius boni quo præditus artifex eſt genus eſſe. Quod igitur hoc loco de Medico & pictore ac demum Artifice per ſe prædicatur bonum, merito prædicationem unam facit, perinde atq; ſi diceremus idest color albus quod cernitur. poteſt enim & accidens per ſe prædicari cum de ſuiipſius aliqua ſpecie dicitur & ſubſtantia per accidens cum eam de accidente prædicabimus, uelut cum dixerimus quod album eſt id lignum eſſe. de hiſce uero fuſius explicatum eſt in priore libro de demonſtratione. Neq; hoc erit præterea bonum ex iis quæ de ſubiecto in primis appellantur. ſed ſi modo dicatur, per accidens prædicabitur propter Artem quæ de eo prædicatur potiſsimum. Quo fit ut nec ſi ſumptum ſolum ſit, prædicari queat: quo modo nec per ſe etiam prædicatum bonum de ſubiecto. præcipue de arte prædicabitur, uerum per accidẽs ut in exemplo ſutor bonus. quapropter nec prædicationem totam unam efficere poteſt illi coniunctum. Sed quomodo ex homine & albo prædicationem unam fieri arbitramur, ſi

D neq; ambo per ſe prædicantur de Socrate, ſed per accidens quoq; alterum de altero? An quoniam non ſunt ambo ſubiecto accidentia quando utrunque etiam contingit illorũ prædicari de altero præter naturam, planeq; per accidens, ea autem quæ ſolo hoc modo prædicantur reprobabat Ariſto. ut quæ coaleſcere inter ſe nequeant. At album homini ſociari natura aptum: eiuſq; qualitatem ſignificans, non ſubſtantialem, ſed illam uelut ſuperficiariam in eo quod ſimpliciter quale dicitur prouenientem, iure cum illo prædicationem unam facit, quæ unam ſignificat, non ſimplicem, ſed quandã uocatam ſubſtantiam Hæc cum de iis diſſeruerit quæ prædicantur per accidens, nec cõſociari natura ualent, dixeritq; ob id non ſimpliciter uerum eſſe illud {Sutor bonus,} hoc eſt non ſemper uerum eſſe, quoniam concurrere interdum ea nequaquam mirum eſt, ſubdit, {Sed animal bipes. haud enim per accidens. quorumuis eſt uerborum, Quæ uero non pee accidens, ſed per ſe prædicantur, componi inuicem,

atq;

atq; unam prædicationem poſſe efficere. uerum neq; hæc ſi quouis capiantur modo, nec quouis inter ſe ordine complicentur. haud enim ſanè quæ in altero prædicato iam ſunt uel actu, uel poteſtate compræhenſa capiemus iterum: ne ſimus nugaces, aut prolixa quædam dicere cogamur: quod rurſum eſt nugari. uerbi gratia ſi hominem bipes eſſe animal dixerimus, nõ per ſe iterum capiemus bipes: propterea quod actu in proprio prædicato ſit ſumpum. Cumq; Socratem hominem eſſe pronunciauerimus, non aſciſcemus aliud prædicatum, ut quod priori copulari debeat, bipedem aut animal eſſe, quandoquidem horum utrunq; ante eſt in priore prædicato facultate compræhenſum.

XIIII.

Verum eſt autem ſimpliciter quoque de aliquo, ut quendam hominem, hominem, uel album quendam hominem, hominem album eſſe dicere, non tamen perpetuo, ſed quando in adiuncto oppoſitũ ineſt, quodpiam, quod contradictio comitatur, non uerum, ſed falſum eſt, ut mortuum hominem, hominem uocare: uerum autem cũ non ineſt. aut cum ineſt, ſemper non uerum eſt: quando non ineſt, non ſemper uerum. ut Homerus quiddam eſt, uelut Poeta. Vtrum ergo etiam eſt? An nequaquam prædicatur enim p accidens uerbũ, eſt, de Homero. Poetam namque illum eſſe, ſed per ſe de Homero non prædicatur, eſt, uerbum. Quamobrem in quibus prædicationibus neque eſt contrarietas, ſi loco nominum rationes dicantur, prædicenturq; per ſe nec per accidens quæ prædicantur, in iis ipſum aliquid ſimpliciter quoque uerum dictu erit. At id quod non eſt, quoniam eſt opinabile, uerum non eſt eſſe quidpiam dicere. nam de illo non quod ſit, ſed quod non ſit opinio eſt.

Quæritur hic proxime tradito oppoſitum præceptum. Supra enim quærebatur quando quæ priuatim prædicantur ſimul prædicari etiam poſſint. in his, quando ſimul prædicata, ſeparatim quoq; prædicari queant. Prædicationem autem quandam eam uocat, quæ ex ſimul prædicatis compoſita eſt. ſimpliciter uero illam quæ ſimplex eſt, ac ſine additione ulla profertur: propterea quoniam arctant ubiq; additiones, magiſq; ea reddunt particularia quæ ab additiones ipſas ſuſtinentibus declarantur: uelut cum prolato animali rationale addiderimus: deinde mortale: poſtea grammaticũ, dehinc aliud quid atq; aliud. Clarũ eſt enim ſingulis nos additionibus inuenturos magis particulare ſignificatum fieri. Quapropter {Verum eſt autem, (inquit,) Simpliciter quoq; de aliquo} ideſt de quo compoſitam facimus prædicationẽ, de eo quoq; ſine additione uerum eſt prædicatum pronunciare: ut Ariſtarchum non grammaticum hominem duntaxat: ſed & ſimpliciter hominem: ſimpliciterq; grammaticũ: nec Galatam album duntaxat hominem, ſed & album ſimpliciter, & ſimpliciter hominem. Quoniam uero non ita perpetuo res habet (quippe hominem mortuum totum hoc mortuum hominem uocamus, haud uero etiam hominem poſſumus ſine additione appellare. quoniam eſt homo animal rationale mortale: animal autem ſubſtantia animæ compos & ſenſus: at mortuus nec animatus, nec ſentiendi ui præditus eſt, ſed oppoſitis continetur. adulterinum quoq; denarium, ac lapideam nauem hoc totum utrunq; dixeris: neque tamen denarium, neque nauẽ appellabis) patet diſtinctione nobis quadam opus fore quando liceat ac quando non liceat docente quæ ſimul prædicantur, diſcrete prædicari. Hanc itaq; Ariſtoteles rudius primum tradit regulam: deinde exactius. Atq; initio quidem Quando inquit in eo quod ſimplici prædicationi additum eſt, oppoſitio inſit aliqua quæ illi cui facta eſt additio repugnet, ſiue ex ſeſe in illorũ appareat nominibus, ceu cum Eunuchum uirum ſimul & non uirum dicimus, & ueſpertilionem auem & non auem ſimul, ſimiliter pumicem quoq; lapidẽ & non lapidem, & iudicem principem atq; non principem, ſiue in ipſorum finitionibus depræhendatur, ut in homine & mortuo, tunc ut ſimul prædicata, diſiunctim quoq; prædicentur fieri nequaquam poſſe. quando autem nulla in iis mutua ſit oppoſitio, tunc poſſe

A fieri. Poſtea uero expoſitam regulam, nempe quando coniuncte prædicata diſtingui non poſſint, affirmat recte traditam: cum ait, {Aut cum ineſt, ſemper non uerum eſt} diſtinguere nobis poſt uerbum ineſt debentibus, oppoſitio uidelicet illi inſita quod priori prædicato adiectũ eſt. (hoc enim iam dictum, hic quoq; ſubaudiemus:) ut autem huic conſequens aduerbium ſemper ſubiungere: hoc eſt, ex neceſſitate non uerum, ſed falſum eſt compoſitam prædicationem diſiugi. Alteram autem quæ niſi in ſimul prædicatis oppoſitio ſit admini ipſorum inquit diſcretionem poſſe, ueram non ſemper eſſe confirmat: ſed cautionẽ aliam poſtulare: affertq; illico probationem. Nanq; Homerum, totum hoc, Poetam eſſe dicimus quoniam opus extat illius ſimpliciter eſſe non dicimus: quoniam eſt uerbum quod de Homero prædicatur nullo medio, non ad Homerum illum qui eſt in poeſi, ſed ad ipſum ultum exauditur. is autem non eſt. Cum uero prædicatur eſt uerbum de Homero nomini Poeta coniunctum, Poeta de ipſo potiſſimum, ac per ſe prædicabitur (per

B ſe autem non per eſſentiam, ſed per naturam intelligi uolo,) eſt autem uerbum de Poeta per ſe de Homero per accidẽs. Itaque ſi quod per ſe prædicatum eſt exemeris, nihil ſanum præterea ſonat quod per accidens prædicatur. tametſi nullã queas Poetæ oppoſitionem ad uerbum eſt inuenire, neq; ex ſeſe in nominibus, ut in uiro & non uiro: neque in eorum definitionibus, ut in homine mortuo. Quamobrem recte dicebamus non ſemper uerum eſſe, cum in ſimul prædicatis nõ ineſt oppoſitio, poſſe etiam per ſeſe prædicari quodlibet, Iccirco repetito ſermonis principio percenſet Ariſto. diſcretæ prædicationis regulas: ac quando neq; illorum inquit definitionibus quæ ſimul prædicantur ſubeſt contrarietas, neq; per accidens, uerum per ſe de eodem prædicata ſubiecto fuerint, poteſt tunc planè fieri, ut quod prædicatum eſt coniunctim, ſine complexu quoq; prædicetur. Porrò illud minime obſcurum eſt, ſiquis eſt uerbum in hoc Homerus Poeta eſt exemplo poſitum pro fuit dicat acceptum, quemadmodũ fuit pro eſt Græci ſæpenumero capiunt ueteres, ut in illo

C quid fuit pro quid eſt: & in definitione ipſum quid fuit eſſe pro ipſum quid eſt rei eſſe, hunc ipſum quoq; per ſe eſt de Homero præter Ariſto. ſententiam prædicari conceſſurum. Quod autem ad uerba attinet, illud, {Oppoſitum ineſt quodpiam quod contradictio committatur} non ea ratione dictum eſt, ut oppoſita quædam ſequatur, quædam non ſequatur contradictio: ſed pro eo quod eſt, ex quibus omnibus contradictoria inter ſe oppoſitio ſequitur: ut quæ eſt cõmuniſſima. Nam oppoſitorum neutrum id quod alterum eſt. Poſt hæc uero ceu refellens eos qui uerbum eſt ſi cum opinabili prædicetur de non ente, nobis non ens opinabile eſt dicentibus, iam per ſe quoq; de hoc prædicatum iri poſſe arbitrantur, recteq; à nobis non ens eſt dictum id perinde atq; in aliis in quibus quæ compoſita eſt, diſcreta etiam fieri poteſt prædicatio, ſubiungit, {At quod non eſt, quoniam eſt opinabile, uerum non eſt eſſe quidpiam dicere.} cauſamq; propter quam uerum non ſit adiicit: cum ait, {Nam de illo non quod ſit, ſed quod non ſit opinio eſt. Quoniam enim ipſum hoc quod non ſit de non ente opinabantur, patet nos

D opinabile ipſum dicturos merito: non ob id tamen ipſum eſſe conſeſſuros. Atq; inuchi quidem uidetur in ea quæ tum in Sophiſta, tum ad finem quinti de Rep. Plato diſſeruit, ac ipſum non ens inquit eſſe opinabile. Sciendum tamen cum plures gradus nobis ille tradat non entis, tum eius quod ſupra entia, idem eſt autem ac ſi ſupra omnem ſpeciem dixeris (haud enim aliter & formas omnes à materia ſeparabiles inſeparabileſq; & ipſam in poſtremis informẽ prorſus materiã produxiſſet) tum eius quod in diuerſitate ſpectatur, eſtq; in rebus omnibus, atq; ob id non minus quàm ipſum ens eſſe perhibetur: tum illius quod obnoxium ſignificat generationi, per diminutionem ab illo planè ente ac ſupra mutationem omnem locato, tum illius etiam quod de materia prædicatur, propter delapſum formarum omnium ſecundũ diſſimilem eius ad primum celebratam ſimilitudinem: cumque & unum quoddam eſſe ex ſignificatis dicat. non entis in aliorum extremis repoſitum, id nimirũ quod de nulla ex parte

nulloq́; modo ente appellatur, hoc & ineffabile eſſe & inopi A
nabile aſſeuerat: at quoniam quod numerabile eſt id effari
aut opinari licet: id quod ſupra quoq; prodidimus effabi-
leq́, eſſe aut opinabile dictione uel opinione iudicatur: eſtq́;
no aliquid per reſpectum ad dictionem opinionem'ue eſſe
eiuſmodi dicitur. Quandoquidem igitur ſi alterum ſit relati
uorum, eſſe & alterum neceſſe eſt, ea uero eſt dictio atq; opi-
nio ſecundum quam dictile, uel opinabile eſſe dicitur, hac ra
tione & quod nullo eſt modo in ipſa de ſe dictione atq; opi
nione erit. Itaq; & hæc Plato pronunciat, quæ confutari nõ
poſſunt: & cre ueritus Ariſto. ne quidam, ut par eſt, Plato-
nis ſententiæ profunditatem minime aſſecuti, dici ab illo exi
ſtimarint, quod nullo eſt modo, ſi effabile aut opinabile uo-
cetur, ex eorum quæ ſunt fieri numero, non eo pacto quo
recenſuimus, ſed quaſi obtineat ex ſe ſubſiſtentiam, iccirco
uerum inquit non eſſe, id quod non eſt, cum opinabile eſſe B
dicatur, ſic ens fieri affirmare, ut uel ſine reſpectu illo ad nos
eelato ſubſiſtentiam habeat: cuiuſmodi non ens eſſe incen-
ſet quod in diuerſitate poſitum eſt, quodq́, in omnibus iis
quę ſunt inquit diſſipatum eſſe: neq; eo q̃ propriè eſt minus
exiſtere. Hactenus prouexit Ariſto. propoſitionum earum
contemplationem quæ ex tertio apprædicato componun-
tur: pulchraq; nobis complura de ipſis præcepta tradidit: ac
multis ſanè uiſus eſt ordinem iis nullum indidiſſe. quo factũ
eſt, ut librum nonnulli inter commentarios magis reponen-
dum putarint. Nobis uero per ſingula capita præcipua cura
incubuit, ut ſequelæ continuitatem oſtenderemus. Sed ad
propoſitiones cum modo coniunctas accedamus.

DE PROPOSITIONIBVS CVM MODO CONIVNCTIS, SECTIO IIII.

I.

HAEC Cum explicauerimus, conſiderandum eſt quonam pacto affirmationes ac negationes inter ſeſe id genus habeant, poßibile eſſe ac non poßibile, & contingens ac non contingens: præterea de impoßibiliq́; ac neceſſario. ſunt enim quædã in iis dubitationes.

CVM ad abſolutam numeris omnibus
eorum contemplationem quæ hoc no-
bis opere propoſita ſunt, adhuc ſuperſit
propoſitionum illarum cõſideratio quæ
cum modo proferuntur, tradit eam hoc
capite Libri Ariſto. duoq́, hæc ſola no-
bis de ipſis exponit præcepta negationũ
modum affirmationibus opponendarũ:
præditarumq́, item diuerſis modis propoſitionum ſeque-
lam. Nobis uero ſi exacta traditarum nunc propoſitionum
habenda notitia ſit, eaq́, facilius aſſequenda, quæ de ipſis diſ D
ſerunt Philoſopho, ante uerborum explanationem, & quid
modus ſit, percipiendum eſt: & utrum finitus ſit illorum nu
merus, nobiſq́, cognitus: ac quot qualeſq́, eligat modos
Ariſto. ad propoſitionum harum præceptionem: & quam-
obrem hos, & non alios: & qua ratione differant à uocatis
materiis qui aſſumuntur modi, cum illarum appelletur no
minibus: item an omiſſus modus ex iis nullus ſit qui in pro-
poſita propoſitionum contemplatione aſciſci debuerit: præ
terea negationes ex affirmationibus quo pacto faciamus in
hoc genere propoſitionũ, id quod de ipſis conſiderari pri-
mum Ariſto. dicebamus: his accedit omnibus, quonam pa-
cto harum quoq; numerum propoſitionum omnium ex di
uiſione comprehenderimus. Modus itaq; uox eſt, quæ, quo
pacto inſit in ſubiecto prædicatum ſignificat: ut cito cum Lu
na, dicimus cito reſtituitur: uel bene ut Socrates, bene diſpu-
tat, uel admodum ut Dionem admodum diligit Plato: uel
ſemper ut in illo Sol ſemper mouetur. Numerus non eſt il-

A lorum natura infinitus: neq; nobis tamen compræhenſibilis:
quemadmodum neq; uniuerſalium ſubiectorum aut prædi-
catorum: quę nec ipſa colligi numero poſſunt. Solos autem
quatuor aſſumit Ariſto. ad propoſitionum quæ modũ obti-
net contemplationem neceſſarium, poſſibilem, contingen-
tem & ad hos impoſſibilẽ: ut qui uniuerſales maxime ſunt,
& ipſi rerum naturæ familiariſſimi. Quamnam igitur poſ-
ſibile habere uult ad contingens differentiam? An quod ſolo
nomine id quod propriè eſt poſſibile differt à contingente
poſſibile uero ſimpliciter propriè contingente latius dici-
tur: id quod poſt hæc ipſo nos docente Ariſto. intelligemus.
Verum nunc quaſi idem ſint inſpiciamus quo pacto diffe-
rant à materiis modi: quandoquidem has quoq; diuideba-
mus in neceſſariam, impoſſibilem, & contingentem. Itaque
dicendum eſt, cenſeri à nobis materias in ipſa rerum earum
B quæ ſunt in propoſitionibus ſumptæ natura ſpectari. Quip-
pe neceſſe planè eſt, uel ſemper ineſſe ſubiecto prædicatum,
uel nunquam: aut ineſſe interdum, alias ſecus. qua etiam ra-
tione materias uocari eas diximus: quaſi ſine his ne ſubſiſte-
re quidem propoſitiones ualeant. Modos uero in eo ipſo
q̃ à nobis pronuncientur ſubſiſtentiam habere: quodq́, cõ-
plentibus propoſitionem terminis extrinſecus addantur.
Quo fit ut, quod ad materiam attinet, ueram eſſe propoſitio
nem ſæpius accidat: ob additum modum mentiatur. Nam
quæ ſol mouetur propoſitio inquit, uera eſt. quæ aduerbio
contingenter apponendo, contingenter hunc dicit moueri,
propter modum ſolum mendax depræhenditur, ſic & So-
crates ualet aut albus eſt. propoſitionem ueram quandoq;
modus adiunctus neceſſitatis falſam reddidit: cum Socratem
dicimus neceſſario ualere, aut album eſſe neceſſario. Ne uer
eo exiſtimaueris ſolos affines materiis modos accomodari
oportere propoſitionibus. Nam quemadmodum de ſubie-
cto quolibet quod cuiquam libeat prædicare eſt integrum,
C fiunt autem ueræ aliæ propoſitiones, quædam emẽtitæ: ſic
& propoſitioni quæ caret modo quemcunque adaptare
quis modum uelit, licet adiicere. Hæc cum ſint manifeſta, con
ſideremus deinceps utrum & alius præter hos modos co-
gnatus iis, alibiq́, in propoſitionum contemplatione acce-
ptus Ariſtote. in hac uero cui nunc incumbimus tractatione
omiſſus, an nequaquam ſit, hunc enim inexiſtentem, hoc eſt
qui ineſſe dicatur Interpres plurimi Ariſto. eſſe arbitrantur,
& ante neceſſarium contingentemq́, in Reſolutoriis enume
ratum. Mihi uero hi planè à ueritate aberrare, atque Ariſto.
ſententia uidentur. haud enim modus omnino eſt ipſum in
eſſe. ſed cum diuiſæ propoſitiones in modo carentes ſint ac
præditas modo, propoſitiones modi expertes ab ipſo in-
eſſe informari aio, nimirum ad ea reſpiciens quæ ſuperius
de oppoſitione inficiationum modo carentium ad affirma-
tiones præcepta ſunt, ubi dicebat: Quoniam autem & quod
ineſt licet, tanquã non inſit, & quæ ab his ſequuntur: peneſq́;
ipſum ineſſe ac non ineſſe oppoſitiones fieri propoſitionũ
illarum decernebat: quod idem penes ipſum eſſe dixeris ac
non eſſe. ſecundum quod uel hic contradictoria propoſitio
num omnium quibus modus non adhibetur oppoſitio fieri
D planè cenſetur. ſiue ipſum eſt actu ſiue etiam poteſtate obti-
neant: cum quæ modo aſciſcunt, id genus non ſuſtineant op
poſitionis, ſed ipſis modis inter ſe opponantur. Quamobrẽ
Ariſto. quoque cum propoſitiones cum modo coniunctas
tradere hoc capite propoſuerit, primum hoc de iis quæren-
dum cenſuit, quiſnam contradictoriæ ſit illarum oppoſitio-
nis modus, quaſi nec prius quidquam fuerit de modis locu-
tus, nec ipſum ineſſe ac non ineſſe commune quid cum mo-
dis habeant. Itaque tum his de cauſis ipſum ineſſe modus eſ-
ſe aliquis haud quaquã cum mihi uidetur, tum quoniam ip-
ſum hoc modũ eſſe arbitramur cum qui quo pacto in ſubie
cto inſit prædicatum indicat. qui ergo rationi ſit conſenta-
neum ipſum ineſſe modum appellare qui exiſtendi qualita-
tem declaret? tum etiam quia propoſitam de propoſitioni-
bus commentationem, & de ſyllogiſmis in Reſolutoriis de-
ſcriptam imperfectã eſſe cõfitebimur, cum neq; oẽs hic uni
uerſales neceſſarioſq́, tractans modos aſſumptos dicamus,
neque illic confectiones ſyllogiſmorum ex propoſitionibus
traditas

tas omnibus: ſed ex ſolis modum habentibus: tametſi ex propoſitionis abſolutæ omnibus Ariſto diuiſionem illic faciat: cum ait, Quandoquidem uero propoſitio eſt omnis uel eius quod eſt ineſſe, uel ex neceſsitate ineſſe, uel ineſſe contingere. Hoc igitur & ex iis quæ prodidimus euidenter demonſtratū arbitror: & pluribus colligi adhuc poteſt rationibus. At uero neq; ipſum ſolum, cum ſolum animal ſenſus eſſe capax dicimus, aut ſolum greſſile, modus, eſſe quis ualet: ut quidam autumant (neq; enim copularetur ſubiecto,) ſed aſcititia magis eſt præfinitio non ſimplex tamen, affirmatiua quædam inquam aut negatiua: nec quæ ſubiecto cuiquam ſiue finito, ſiue infinito, ut quæuoe quælibet illarum præfinitionū quæ ad propoſitionum ſunt cōtemplationem ſuſceptæ, accōmodari poſsit: ſed quæ actu de uno quod in propoſitione dicitur, poteſtate uero de aliis quoq; & quæ ſunt, & quæ non ſunt enunciationem facit. Quare & ex affirmatiuarum altera præfinitionum, ſolaq́, negatiuarum eſt uniuerſali commiſta. Nā qui ſolum animal ſentiens, uel ſolum animal greſſile dixerit, is aliud nihil ſignificat, quàm ineſſe animali quod de eo prædicatur, uel omni ut ſentiens: uel alicui, uelut greſſile: alii uero præter animal nulli competere. Quapropter ne una quidē proprie id genus eſt propoſitio: ut quæ pluribus aperte ſubiectis animali & nō animali utatur: idemq́, affirmet de horum altero uniuerſaliter, uel ex parte: de altero uniuerſaliter neget. At neceſſe propterea non eſt quod de prædicato uniuerſaliter appellatur, ut animatum, cum omne, dicimus, ſenſu præditum, uel gradiens omne animatum eſt, de ſubiecto eo rurſus prædicari quod in prima propoſitione fuit acceptum. Nam ipſum quidem de animali per primum tertium'ue primę modum figuræ prædicari eſt neceſſe: haud uero etiam de ſolo. neque enim de iis præterea quæ præter animal ſunt, quaſi negatiua minor fiat propoſitio, neceſſe eſt negari. Itaq; ſi ipſum proprie capiatur ſolum (hoc eſt autē ut nomen) quocunq; dicatue trium generum, modus non eſt: ſed aſcititia præfinitio, uti prodidimus: ſubiectoq́, annectitur: cuius diſcretionem à cæteris omnibus præter ipſum declarat. Etenim ſi prædicato quoq; iunctum quandoq; uideatur, ut in hoc Socrates ueſtem ſolam attritam indutus eſt, ſimile, & hoc ſimplicibus habebit præfinitionibus: ut in illo omnis homo omnis eſt capax ſcientiæ. Quod ſi aduerbialiter dicatur, idemq́, aduerbio duntaxat ualeat: tunc modus eſt, qui non ſubiecto, ſed prædicato coniungitur: ſignificatq́, illo ſubiectum ſyncere, non cum oppoſito impertiri. Proinde Deum immortalem ſolummodo, rationalem uero Animam, corpusq́, illud quod in orbem circum agitue, & immortalia & non immortalia eſſe dicimus: quibus alterum ratione ſubſtantiæ, alterum propter actionem tribuimus: uel ambo etiam propter ſubſtantiam, alio immortalis alioq́, ſignificatu. Nam Timæus quoq; rationalem noſtri ſubſtantiam immortalibus æquiuocam appellat: cœleſtia uero corpora nō omnino immortalia. Verum ne tunc uox quidem hæc ſolū ſiue quod eius uice capitur aduerbium duntaxat pluribus illis, atq; innumerabilibus modis, ut bene & perſpicue quidquam plus obtinebit, ut ad propoſitam nunc ad propoſitionum contemplationem aſciſcatur. Quonam autem pacto negationes ex propoſitis conficiamus affirmationibus, ea perſequendo quæ de illis produntur Ariſto. latius inſpectabimus. Nunc eliciendi numeri gratia propoſitionum illarum quæ modū ſibi uendicant, breuibus ſubmonendo, in iis quoque parti propoſitionum præſtantiſsimæ negatiuam particulam dicimus iunctam eſſe oportere, ut ſublata affirmatione fiat negatio. Porrò pars præſtantiſsima propoſitarum nobis in præſentia propoſitionum modus ipſe eſt: à quo etiā uelut ab informante nomen ſortiuntur. Quapropter huiuſce Socratem poſsibile eſt ambulare non hæc erit negatio, Socratem poſsibile eſt non ambulare (ita nanq; ſimul contradictio uerum profitebitur: quoniam euenire ſimul & nō euenire poteſt contingens) ſed illa non poſsibile eſt ambulare Socratem. & illius poſsibile eſt eſſe Socratem muſicum non illa Socratem non muſicum eſſe, neq; illa Socratem muſicum non eſſe poſsibile eſt, uerum hæc non poſsibile eſt muſicum Socratem eſſe. idq́, merito, quandoquidem nanq; mo-

A dus eſt ipſum poſsibile, ſignificat autem modus exiſtentiæ qualitatem quandam, oportet exiſtentia eadem manente, quæ in ſubiectis prædicatis apprædicatisq́. terminis uiſitatue, qualitatem ſit ne an non ſit iudicari. fieriq́, ab ea ſi ponendo proferatur, affirmationem: ſin inficiando, negationem. Eadem & in cæteris modis ratio eſt, neceſſario atq́, impoſsibili. quippe unam conuenit eandemq́, omnium eiuſdem ſpeciei propoſitionum eſſe oppoſitionis regulam. Hæc cū ita ſint, neceſſe dicimus eſſe modum quemlibet propoſitionibus adiici uel ex ſubiecto & prædicato, uel ex tertio apprædicato conſtitutis. Sed ex ſubiecto & prædicato conſiſtentiū quatuor neceſſe eſt fieri differentias. nam aut terminos ambos finitos habebunt: ut poſsibile eſt ambulare Socratem, uel infinitos ambos, ut non Socratem poſsibile eſt non ambulare. uel finitum ſubiectum. prædicatum infinitum: ut non ambulare Socratem poſsibile eſt. aut contra non Socratem poſsibile eſt ambulare. Octo uero earum quæ ex tertio conſtat

B apprædicato. Aut enim terminum utrunq;, & apprædicatum finite capiemus, aut infinite omnia: uel finite duo, reliquum infinite: uel e contrario, unū finite, & duo infinite. Verum ſiue finita duo ſint, unum infinitum, tribus modis complicari propoſitiones accidet. Nam aut finita capiemus duo prima: ſubiectum prædicatumq́, inquam, uel extrema, ſubiectum & apprædicatum, uel poſteriora, ſubiectum apprædicatumq́. At ſi unum ſolum finite ſumatur, tres rurſus propoſitiones fieri contingit, finito uel ſubiecto, uel prædicato, uel apprædicato exiſtente. atque octo illarum propoſitionum patent exempla. Per ſingulos igitur duodecim, ut explicuimus, modos ſingulares contradictiones fieri accidit. totidem uero & impræfinitas uidelicet. præterea & uniuerſales, particularesq;. ſimul omnes autem octo & quadraginta. Itaque triplicatis his propter prædicatorum differentiam à temporibus, triplicatisq́, iis rurſus quæ ſiunt propter materias, inueniemus in quouis modo duas & triginta ſupra quadringentas contradictiones fieri. Ergo cum tres ſint maxime princi-

C pes modi, propterea quoniā poſsibile uel ſoli concurrit contingenti, uel uſq; etiam ad neceſſarium extenditur, non tamē extra ſumptos tres cadit modos, uiſu uenit ut contradictiones omnes cum modo copulatas numero mille ducentæ ac nonaginta ſex ſiant. Prius autem eas quæ ex ſubiecto & prædicato cōponuntur, duas & ſeptuaginta eſſe monſtrauimus: quæ ex tertio apprædicato formantur, quatuor & quadraginta ſupra centū eſſe. Quamobrem ſimul omnes quæ in libro de Interpretatione contradictiones traduntur, mille erūt quingentæ ac duodecim. Propoſitiones autem duplo his uidelicet plures, nempe tria millia & quatuor ac uiginti. Cum igitur omnia quæ propoſuimus perſeruti fuerimus, ipſam deinceps inſpiciamus Ariſto. dictionem.

II.

Nam ſi ex iis quæ complicantur eæ inter ſe ſint oppoſitæ contradictiones quæ per ipſum eſſe conſtituūtur ac nō eſſe, ut huius, eſſe hominem, hoc negatio, ſit, hominem non eſſe, non autem, eſſe

D *non hominem, & huius, hominem eſſe album, hoc, hominem album non eſſe, ſed non eſſe non album hominem. Si enim de omni affirmatio eſt uel negatio, uerum erit lignum non album hominem dicere. Quod ſi ita eſt, quibus etiam ipſum, eſſe, non additur, idem efficiet id quod ipſum, eſſe, loco dicitur: uerbi gratia huius, homo ambulat, non hoc, ambulat, non homo negatio erit, ſed hoc, homo non ambulat. nihil enim refert ambulare hominem dixeris, an hominem eſſe ambulantem. Quare ſi ubiq; hoc pacto, huius quoque, poßibile eſſe, non illud, non poßibile eſſe, uerum hoc, poßibile non eſſe, erit negatio. Sed poſſe idem uidetur & eſſe, & non eſſe. quod enim ſecari aut ambulare eſt poſsibile, id omne & non ſecari poſſibile eſt, & non ambulare. Ratio eſt, quoniam quidquid poßibile ita eſt, non perpetuo agit: qua de re negatio quoque illi competet. poteſt enim & non ambulare id quod ambulandi facultate præditum eſt & non cerni uiſibile. At uero fieri nequit*

ut oppoſitæ ueræ de eodem fiant affirmationes negationesq́;. Huius ergo, poſsibile eſſe, non illa negatio eſt, poſsibile non eſſe, quippe ex his accidit uel idem ſimul de eodem affirmare ac negare, uel non per ipſum, eſſe, ac non eſſe, ea quæ adduntur affirmationes negationesq́; fieri. Quod ſi illud nequaquam conceditur, erit hoc utique eligendum. Eſt igitur huius poſsibile eſſe, negatio hoc, non poſsibile eſſe, uerum non illud, poſsibile non eſſe. Eadem uero & de eo quod, contingens eſſe, dicimus ratio eſt: ſiquidem illius quoq; negatio eſt hoc, non contingens eſſe. ſimili modo & in aliis, ut impoſsibili ac neceſſario. Nam quemadmodum ipſum, eſſe, ac, non eſſe, additiones fiunt in illis, res autem ſubiectæ tum album, tum homo, ſic in his, eſſe, & non eſſe, uelut ſubiectum efficiuntur: additiones uero ipſum, poſſe, atque, contingere quæ perinde atque in illis ipſum, eſſe, atque non eſſe, uerum falſumq́; determinunt. Porrò huius, poſsibile non eſſe, non illud, non poſsibile eſſe, negatio eſt, ſed hoc, non poſsibile non eſſe, & huius poſsibile eſſe, non illud, poſsibile non eſſe, uerum hoc, non poſsibile eſſe. Quapropter ſe mutuo ſequi propoſitiones hæ, poſsibile eſſe, & poſsibile non eſſe, uideri etiam poſſunt. idem nanque eſſe poteſt ac non eſſe. haud enim contradictiones inter ſe ſunt hæ, poſsibile eſſe: &, poſsibile non eſſe, ſed, eſſe poſsibile, & non poſsibile eſſe, uerum nunquam ſimul in eodem profitentur: cum ſint oppoſitæ, neque hæ, poſsibile non eſſe, &, non eſſe non poſsibile, in eodem ſimul ueraces aliquando ſunt. Similiter huius quoque, neceſſe eſt eſſe, non illud, neceſſe eſt non eſſe: uerum hoc, non neceſſe eſt eſſe, negatio eſt. huius uero, neceſſe non eſſe, hoc, non neceſſe non eſſe, & huius, impoſsibile eſſe, non illud, impoſsibile non eſſe, ſed hoc non impoſsibile eſſe, huius autem, impoſsibile non eſſe, hoc, non impoſsibile non eſſe. Atque in uniuerſum, uti productum eſt, ipſum, eſſe, &, non eſſe, ceu ſubiecta ponenda ſunt: hæc autem affirmationem ac negationem facientia, ipſi, eſſe, atque, non eſſe, coniungenda. Exiſtimareq́; hæc oportet oppoſitas eſſe dictiones, poſsibile, non poſsibile: contingens non, contingens: impoſsibile, non impoſsibile: neceſſarium, non neceſſarium: uerum, non uerum.

Vult per hæc, quemadmodum diximus, ſcrutari quonam pacto ex affirmationibus cum modo compoſitis negationes fieri oporteat. Quod autem probabile de ipſis quiſquam eſſe exiſtimaſſet, cum tamen non ſit, in his inquam propoſitionibus perinde atq; in modo carentibus fieri negationes, hoc anticipatum prius refellit, quam quo modo ſeſe uerum habeat exponat. fiebant autem ngationes affirmationum quæ ſine modo ac præfinitione proferuntur, negatiua particula uerbo, eſt. in propoſitionibus uel actu, uel omnino poteſtate accepto præponenda. Hoc igitur progredi in propoſitionibus modum aſſumentibus non poſſe oſtendit. tentatq; pluribus ueriſimile planè eſſe ante aſſerere: nequis poſteriorem hiſce auditis rationibus recte, ſeſe habere eas ratu, fieri & in his propoſitionibus illo modo contradictiones putent. Itaque {Nam ſi ex iis (inquit) quæ inuicem complicantur} uocibus propoſitionibusq;. {Eæ inter ſe ſunt oppoſitæ contradictiones, quæ per ipſum eſſe conſtituuntur ac non eſſe,} id quod per defectum magis ob ſermonis breuitatem protulit: cum dicere uelit. Nam ſi ex contextis inter ſe uocibus, atq; in propoſitiones euadentibus eæ ſibi mutuo ſunt oppoſitæ ad contradictiones faciendas quæ oppoſitionem per ipſum eſſe habent ac non eſſe: uel magis hoc pacto, ne plura ſubaudire extrinſecus cogamur, Si ex iis quæ complicantur, hoc eſt ad contradictiones conſtituendas combinantur propoſitiones, eæ mutuo ſunt oppoſitæ quæ per ipſum eſſe atque non eſſe diſcernuntur, Ac prius quam conſequens inferat, nempe hoc ita ſeſe & in iis habere propoſitionibus opus fore quas modus metitur, ſubiectis illi ſtatim propoſitionum earum exemplis quæ modo uacant, priusq; earum quæ ip-

A ſum eſt, actu ab his uero quæ facultate habent, atq; inter eas quæ uerbum, eſt, actu poſsident præpoſita illa quæ ex ſubiecto & prædicato conficitur, hoc eſt illi quæ ex tertio apprædicato conſtat præmiſſa, oſtendit in omnibus non alio pacto fieri negationem, niſi coniuncta fuerit, eſt, uerbo negatiua particula. In iis uero quæ ex tertio apprædicato conſtant, illos etiam redarguit qui negatiua particula non ante uerbum, eſt, ſed ante prædicatum ponenda negationem fieri putant: ut huius homo albus eſt, illa homo eſt non albus, negatio dicatur. Nam ſi poſtulatum dabimus, inquit, contradictionis, ac de omni quodcunq; quis acceperit confitebimur ueram affirmationem, aut negationem eſſe oportere opus ſanè erit & hiſce propoſitionibus albus eſt homo, &, homo eſt non albus, in ligno ſumendis, altera uerum explicet: ceu quæ contradictione oppoſitæ eſſe perhibeantur: nec ſimul mentiri unquam poſsint. Quapropter quoniam falſa dubio procul affirmatio eſt quæ lignum dicit hominē eſſe album,
B neceſſe eſt uerum prædicet negatio quæ lignum hominem non album eſſe pronunciat. Hoc ergo ſi planè eſt abſurdū, patet huiuſce, homo albus eſt, hanc, homo albus non eſt quæ negatiuam particulam ipſi eſt uerbo copulat, negationem futuram. Itaque cum, & in iis quæ ipſum, eſt, facultate obtinent rem ita ſe habere commonſtrauerit, ut in hac homo ambulat, uerbo ambulare, in participium & uerbum, eſt, roſoluendo nobiſq; peemittendo, ut ſi in reſoluta popoſitione ac uerbum eſt, actu obtineme negatiuam ipſi eſt, particulam coniungentes negationem facimus opus fore ratiocinemur, & in ea quæ facultate ipſum habet, continenti id propoſitionis parti negatiuam particulam annectere. Hæc igitur cum ita ſeſe habere in omnibus propoſitionibus oſtenderit modo carentibus. ſubiicit, {Quare ſi ubiq; hoc pacto, huius quoq;, poſsibile eſſe, non illud, non poſsibile eſſe uerū hoc, poſsibile non eſſe erit negatio.} planeq; propoſitionū aliarum ſimilitudine ratiocinandum cenſet in modum quoq; ſi-
C bi uendicantibus factum iri nobis inficiationem negatiua particula uerbo eſt, ſed non modo anteponenda. confutationem autem infert ſic opinantium ex aperienda modo prædicatarum carentiumq; propoſitionum differentia: ea eſt, in iis quæ ſine modo ſunt propoſitiones ad uerbum eſt, & non eſt mutuo depugnantes ſecundum traditas antea diſtinctiones ſimul aut ueras inuicem, aut falſas eſſe non poſſe. in modum uero aſſumentibus quæ hoc pacto impoſsibili & contingente oppoſitæ ſunt, eas non ſibi inuicem contradicere, ſed ſimul ueras eſſe deprehendi, quæ autem negatiuas particulas modis præmittunt, contradictionis effatum ſeruare, cum nec ſimul ueræ, nec ſimul mendaces unquam fiant. Porrò cur in poſsibile & contingente diuerſæ penès ipſum eſſe & non eſſe ſimul ueræ ſint propoſitiones, cauſam à rebus ipſis depromit: quàm appellat rationem: ut Plato quoque in Gorgia, ego uero artem, inquit, eam rem quaquam nomino quæcunque ratione uacat. illam autem dico, {Quoniam quidquid poſsibile ita eſt.} hoc eſt, quod non haud neceſſario, ut poſt explicabitur, ſed in ſolo dicitur con-
D tingente. {Non perpetuo agit:} neque eſt ſemper: quoniam non præterea contingens eſſet: uerum ſimul ut & ſit & non ſit, & fiat ac non fiat, ſicut præfinitum ante eſt, poteſtatem obtinet. quare & enunciationum quæ de ipſis dicuntur uera utraque erit, & quæ eſſe ipſum poſſe, & quæ poſſe non eſſe: & quæ poſſe fieri dicit, & quæ poſſe non fieri. Itaque repudiandum hunc cenſet, qui contradictionem non facit, oppoſitionis modum. Atque iccirco in omnibus modum arreſſentibus propoſitionibus negatiua particula modis præfigenda, fieri negationes inquit: ut artificioſæ una eademq; utentes in omnibus regula, negationes contradictionesq́; aſſequamur. Quandoquidem non uidetur prodita illa in poſsibili confutatio, non inquam penès ipſum eſſe ac non eſſe contradictiones fieri, in neceſſario modo etiam aut impoſsibili eſſe conſentanea. Haud enim huic præterea neceſſe eſſe uera ſimul illa eſt, neceſſe, non eſſe, uel huic, impoſsibile eſſe, illa, impoſsibile non eſſe. Sed licet uel in utroque modo ratiocinari neque has mutuo ſibi contradicere: ſiquidem in contingentibus ambæ

ambæ falſæ eſſe depræhenduntur. Neq; enim eſſe neceſſe eſt, neq; etiam neceſſe non eſſe id quod poteſt eſſe ac non eſſe: neq; eſſe impoſſibile, neq; impoſſibile non eſſe. Quapropter affirmationes negationesq; penès modos & in his fieri conuenit. Verum illud oportet intelligas ſi in modum ſumēte propoſitione ſolum, eſſe, infinitiuum fuerit poſitum uerbum, negationem penès modum ſolum procul dubio fieri: ſed perfectam non eſſe id genus propoſitionem: propterea quoniam ad orationem perfectam enunciatiuam opus eſt uerbo quod per indicatiuum modum, ut Grammatici uocant, proferatur. Quocirca uel ipſum uerbū eſt, hic quod actu pronuncietur poſtulabimus: ſi enunciationem uelut in tertia quadam faciamus perſona, uel quodpiam aliud quod ipſum, eſt, in ſeipſo facultate comprǣhendat. Sed in uniuerſum hoc de abſolutis per ſe enunciationibus dictum eſt omnibus In iis uero quæ cum modo dicuntur ipſo ſolo, eſt, uerbo egemus quod uel efferatur actu, uel extrinſecus propoſitioni ſubaudiatur. Aut enim uerbo, eſt, actu exprimendo poſſibile eſt ambulare Socratem dicimus: poſſibileq; eſt eſſe Socratem muſicum, aut licet ſine, eſt, propoſitiones efferamus, dicamusq;, Socratem poſſibile ambulare & poſſibile muſicum Socratem eſſe: tamen ipſum, eſt, in utraq; ſubaudiendū putamus. Cum igitur in ſuſcipiente modum propoſitione non fuerit, eſt, uerbum actu proditum, negationem conſenſu omnium faciet negatiua particula ſoli modo, ſed non ipſi, eſſe, infinitiuo uerbo, multoq; minus etiam, ſubiecto termino uel prædicato adiuncta. quando uero & ipſum, eſt, in propoſitionibus actu pronunciamus, negationem faciemus non magis modo, quàm uerbo, eſt, copulanda particula. Huius nanq; cras pugnam committi naualem poſſibile eſt, affirmationis, non magis negationem, eſſe hanc dixeris non poſſibile eſt committi cras naualem pugnam committi. neq; enim hæc, tametſi uerbo eſt, negatiuam iungat particulam, ſimul unquam proditæ erit affirmationi. Vtrum ergo dicendum eſt in omnibus propoſitionibus tum modo præfinitis, tum carentibus, una ratione ac uia negatiua particula uerbo, eſt, applicanda negationem nobis fieri: ac quemadmodum in iis eueniebat affirmationibus quæ ſine modo cum aſcititia præfinitione enunciantur, eſt, in ipſis uerbo actu poſito, fieri duobus modis negationes, alias præfinitione alias ipſo, eſt, ſiue actu: ſiue poteſtate dicatur, negatiuam particulam aſſumente: ſi uero abſq;, eſt, omnino efferentur propoſitiones, in ſola præfinitione confici negationem: ut in his, omnis homo animal, non omnis homo animal, ſic in propoſitionibus quoque modum capeſſentibus, uerbumq;, eſt, actu habentibus fieri: duobus modis negationem affirmabimus nonnunquam modo quandoq;, eſt, uerbo negatiuam ſibi particulam uendicante, ſin non habeant penes modum, ſolum, ut Ariſto. quoque nos docuit? An neque in præfinitis modo uacantibus propoſitionibus quæ penès uerbum, eſt, fiunt negationes contradicere affirmationibus dicebamus e uerum contrariam fieri in uniuerſalibus: in particularibus ſubcontrariam. neque ſi hoc ita ſeſe in modo carentibus habebat, iam & in modo præditis negationes neceſſe fuit uti prædiximus bifariam effici. Omnino nanq; ne differentiam quidem in ui ullam hæc obtinet, Affirmatio Socratem poſſibile ambulare, ab hac, poſſibile eſt ambulare Socratem: uel hæc Socratem muſicum eſſe poſſibile, ab hac, poſſibile eſt Socratem muſicum eſſe. eodem modo neq; hæc, negatio, nō poſſibile Socratem ambulare, ab hac, ambulare non eſt poſſibile Socratem, neque hæc, non poſſibile eſſe Socratem muſicum, ab illa poſſibile non eſt muſicum Socratem eſſe. quandoquidem nec ſi, poſſibile per ſeipſum dicamus, uelut quid aliud præter quàm hoc quod dico, poſſibile eſt nos, proferre arbitramur: neq; ipſa planè ut duo diuerſaq; pronunciamus: ſed quaſi totum quodpiam unum hoc ipſum, poſſibile eſt dicimus ipſumq; hoc enunciamus, ſubeſſe in rebus iis talis exiſtendi modus quæ propoſitione explicantur. idcirco neq; hoc, non poſſibile, ab hoc, poſſibile nō eſſe aliud quodpiam erit. quamobrem nihil eſt quod illis quæ de his Ariſt. tradidit quidquam addamus: eadem & in iis ratio habetur propoſitionibus quæ uerbum, eſt, poteſtate comprǣ-

A hendunt. Nanq; huius affirmationis bene ambulat Socrates uerbum, ambulat, indicatiuum obtinentis, in quo nō eſſe, ſed eſt, continetur, non hanc magis, non bene ambulat Socrates, eſſe negationem putes quam hanc, Socrates bene non ambulat. Quod ſi non ambulante omnino Socrate, is mentiatur qui bene ambulare illum dixit, utrum etiam tunc negationē faciemus negatiua particula modo, an magis prædicato adiecta? An ipſam dicendum eſt ſemper modo, non ſemper tamen eodem ſenſu applicandam? Nam quo pacto affirmationem duobus modis mentiri accidit, tum non ambulante omnino Socrate, tum ambulante quidem, uerum non recte ambulante, ita uidelicet res ſeſe & in negatione habebit, Socrates nequaquam bene ambulat, dicente. Siquis uero de præfinitis cum modo quærat affirmationibus, qua ratione faciendæ in iis negationes ſint utrum negatiua præfinitioni, an modo nectenda particula: ſiquidem in impræfinitis omnem de ipſis commentationem tractauit Ariſto. facile eſt reſpondere,

B neque in his ipſam alii cuiquam præter quam modo conſtruendam, propoſitiones.n. non terminos priuatiuos eſſe oportet. Sin minus, accidet rurſus ueram ſimul eſſe contradictionem in proprie poſſibili & contingente, ubi contrarias quoq; in æqualiter contingente concurrere uſu uenit. nam quod omni contingit, hoc prorſus & non omni in ſignificatione omni contingentis: quandoquidem non etiam contingenter omni ineſſet. quandoq; uero, & nulli. Conſtatq; nequaquam fore, ut hæc ab illis diſcrepent quæ inter initia prodidimus, præfinitionem omnis, &, nullus, cum, aliquis præfinitione ac non omnis in materia contingente, uel ſi in futuro capiantur tempore, perpetuo drpugnare. nam illic cum propoſitiones uelut exiſtentes inſpiceremus hæc de ipſis decernebamus. Et uero illud quoque omnis, & nullus, in materia contingente ſimul mentiri: propterea: quoniam ſimul falſas eſſe ambas ſic uniuerſales hac in materia neceſſe eſt: ut quæ ipſum contingens, q; ineſſe nonnullis, quibuſdā uero non ineſſe natura eſt aptum, omni uel nulli pronunciat dubio procul competiturum: non ſecus atq; in prædictioni-

C bus ſit de iis quæ eueniunt neceſſario, uel non eueniunt: in quibus, non erit, aut non erit, dicere conſueuimus: id q; neq; in ampliore: neq; in anguſtiore contingente locum obtinet: dicentibus nobis, omnis homo caneſcet in ſenectute: nullus erit ſedigitus. Particulares autem ueraces eſſe ambas: qua de re contradicere eas uniuerſalibus merito accidit. Nunc uero de iis agitur propoſitionibus, quæ cum contingenti modo proferuntur: uniuerſaliterq; aſſeueramus in indiuiduis omnibus, aut nullo prædicatum fore: quandoquidem nec particulatum cuiquam inerit. Sed uerum quoque aſſerimus, non eo quod natura eſt uniuerſali capiendo (haud n. hoc poteſt omne quopiam ex iis quæ contingenter de ipſo prædicantur aut impertiri, aut priuari) ſed quod diſtinctionibus adiectis quibuſdam eo deductum eſt ut per ſeipſum uniuerſum capax fiat accidentis: ceu cum dicimus, contingit ut omnes futuri hac tempeſtate Athenienſes in ſenectute caneſcāt, ſed & non omnes, & contingit ſedigitum fieri & neminem:

D ſed poteſt & aliquis fieri. & contingit hoc anno atque in hac regione nullo canicularium die imbrem inceſſere, ſed inceſſere & quodam poteſt imbre, & omni brumali uerbi gratia, uel huius menſis: uerum poteſt & non omni. Quapropter cum uniuerſales dicimus particularibus in huiuſmodi contradicere propoſitionibus in quibus prædicatum aut iam exiſtit, aut extitit, aut prorſus fore ut exiſtat in ſubiecto perhibemus, ita pronunciamus, quo nobis etiam modo Ariſto. in primæ huiuſce libri Sectionis concluſione tradidit, cum uim deſcriberet contradictionis. Cæterum ſi quærat quiſpiam utrum hæc contingit nullum eſſe iuſtum hominē affirmatio ſit, an negatio nuncupanda? affirmationem omniū conſenſu reſpondebimus: propterea quoniam abſq; negatiua particula aſſumptus eſt modus. præterq; proditam in rebus ipſis demonſtrationē, teſtē huiuſce rei citabimus Ariſto. qui propoſitiones has contingit nulli uel non omni & nulli neceſſe, uel non omni negationes quidem appellat in Reſolutoriorū tractatu: ob eam quā poſt cauſam exponemus, docet autem in illis ipſis, nō planè negationes, uerū affirma-

tiones eſſe. Itaq; Nunc uero tantum inquit, præter ſupradicta A compertum nobis ſit, hoc contingere nulli uel cuiquam non ineſſe, affirmatiuam figuram obtinere: cum non aduerbium cuiquam nomini, non uerbo ineſſe in oratione illa, cuiquam non ineſſe coniungatur: perindeq; ſignificet propoſitio atq; non omni competere, infertq; huius illico probationẽ: cum an, quippe uerbum contingit non ſecus atq; eſt, ipſum ſtatuitur. & quæ hæc ſequuntur. Cũ igitur in opere propoſito de Interpretatione oppoſitiones Philoſophus, omniſq; generis differentias tradere nobis inſtituerit propoſitionum, iure negationum modum expoſuit nobis præcipuum. in Reſolutoriis uero in quibus compoſitiones docere nos propoſuit ſyllogiſmorum, propoſitiones de quibus & ex quibus conſtituuntur ſyllogiſmi in affirmatiua, quam ipſe appellat, figura omnes acceſſit: quoniam finitum quid uolumus in ſyllogiſmis certumq; colligere: quod autẽ finitum eſt, id ex infinitis conſtat propoſitionibus: magiſq; finitæ affirmationes eſſe quam negationes uidentur: ut quæ formis proportione reB ſpondeant: faciliusq; in iis hac de cauſa ad ratiocinandum aptos ineptoſ'ue alloquimur propoſitionũ complexus. Vocat autem ex iis alias affirmationes, negationes alias: non ſolum à præfinitionibus diuiſione eiuſmodi ipſarum facienda, ſed eo etiam quoniã accidit, ut quę ſunt in libris illis ceu negationes acceptæ, idem quibuſdam plane negationibus ſonent, iis inquam, quæ & modum ſimul & affirmatiuam præfinitionem tollunt: perinde quaſi ſint, quod de ipſis Iamblichus inquit Philoſophus, uoce affirmatiuæ, negatiuæ uero facultate. Quandoquidem nanq; oppoſitiones propoſitionum penes uel modos, uel quantitatem, uel qualitatem capimus: obiacent uero ſecundum modos neceſſariæ propoſitiones contingentibus, quoniã rem illę de qua pronunciant, eodem pacto perpetuo ſeſe habere indicant, hæ modo eſſe modo non eſſe, nimirum impoſſibilis cum neceſſariis numeratis hac in re propoſitionibus. quare & idem eas poſſe dicentem audiemus Ariſto. in quanto uniuerſales particularibus: affirmatiuæ negatiuis in quali, in contingente & neceſC ſario, ſi modum modo, quantum quanto, quale quali opponentes affirmationi quæ tanquã negatio capta eſt, capiamus oppoſitam ut huic, contingit nulli illam neceſſe cuiquam huiusq; negationem quę proprie, hoc eſt penès modum ſit, ſumpſerimus, nempe illam non neceſſe alicui conſonã huic illam quæ in Reſolutoriis uelut negatio aſſumpta eſt inueniemus. nam quod alicui neceſſe non eſt, id nulli contingit: & contra. Eadẽ & in reliquis propoſitionibus quæ penes hos modos ſunt non ſolum præfinitis, ſed etiam impræfinitis ratio eſt, ſiquis harum quoq; illas quæ particulã uerbo eſſe negatiuam copulant eadem atq; in præfinitis intelligentia negationes cenſet uocandas. Nanq; huic contingit non eſſe, cõtradicit illa penès modum qualitatemq; neceſſe eſt eſſe, conſentit uero illa non neceſſe eſt eſſe, quæ proprie negatio eſt. huic uero neceſſe non eſſe illa contradicit contingit eſſe, concurrit illa non contingit eſſe. An uero & concurrentes ſecundum modum quem diximus inter ſe propoſitiones mutuã quandam habeant differentiam, tempeſtiuum non eſt in præſentia curioſius diſputare, ſed eius eſt quæ de mixtionibus in D Priorũ Reſolutoriorũ priore habetur cõtemplationis. Neq; .n. breuis, neq; in confeſſo perſpicacioribus eſt ea ratio quæ diſcernere illas conatur. ut quæ ex falſa ſuppoſitione prodeat: quæ ſuppoſitio in omni pariter contingente cum uniuerſali negatione reciprocare uniuerſalem affirmationẽ putat: nihilq;, quod ad hoc attinet, æqualiter contingente plus quam ut plurimum uocato: obtinet: uerum cogitur ut contingere quinis digitis naſci omnes, ita nullum etiam confiteri. In eo autem quod ineſſe dicitur, quoniam ſpecies huic nulla oppoſita eſt propoſitionis, ſin in quanto ſolum & quali oppoſitam ſumpſerimus, ut huic ineſt nulli hanc cuiquã ineſt, huius negationem quæ eſt non ineſt cuiquam illi nulli ineſt idem ſonare inueniemus. Quapropter nihil eſt quod in utrouis tractatu deſideretur: id quod ſuſpicari quis potuiſſet: cum eas in neutro opere quæ tanquam negationes in altero acceptæ ſunt, tradi uideat: ſed genus cõueniẽs docendi Ariſt. utriq; ſeruauit. Quod ſi propoſitio illa quæ contingit udenA .i. nullum eſſe, inquit pennatum hominem proprie eſſe uidetur negatio, nihil eſt quod mireris, nam hic negatiua particula ad ipſum quoq; modum uelut illi adiuncta exauditur: atq; hoc pacto proprie negationem facit. Sed eſt hoc apud Græcos magis conſpicuum quippe ſi Græce pro undena medena .i. nullum grammaticum eſſe contingit hominem dixerimus, non negationem amplius proferre, ſed tranſpoſititiã dubio procul affirmationem uidebimur: quoniam me Græcum aduerbiũ negandi non quemadmodum u generis eiuſdem aduerbium modis in negationibus præponi natura eſt aptum. haud enim quo modo uc endechetæ .i. non contingit, poſſunt ita & me endechetæ dicere. Sed ad ea redeamus exponenda quę d. inceps tradita ſunt Ariſto. Dicamusq; uelle eum proportionem quandam in modo præditis uacantibusq; propoſitionibus à nobis capi geometricã: cum quę inquit in modo carentibus habent ordinem ſubiectæ res ac prædicatæ ad ipſum eſſe & non eſſe eundem in modo uten B tibus hoc eſſe & non eſſe ad modos obtinere. utq; in modũ non habentibus negatiuam particulam neq; ſubiecto neque prædicato ad negationem facienda copulari: ſed ſoli uerbo eſſe oportebat: eodem pacto & in his ſi non uerbo eſſe, ſed modo coniungatur, negationẽ eſſe facturam. Hæc ergo propoſitio Socratem poſſibile eſt iuſtum non eſſe, non erit negatio: ſed infinitis atq; ex tranſpoſitione uocatis affirmationibus proportione reſpondebit. eritq; ſecundum proditam methodum hæc illius negatio, non poſſibile eſt Socratem iuſtum non eſſe. nam & has in propoſitionibus modum accipientibus tranſpoſititias nominant. ſimplices autẽ eas quæ uerbum eſſe abſq; negatiua aſſumunt particula, non poſſibile eſt eſſe Socratem iuſtum. At Ariſto. uel hoc loco breuitati ſtudens affirmationem ſimplicem per hoc poſſibile eſſe, tantum ſignificat: tranſpoſititiam per hoc, poſſibile non eſſe, nobis nimirum relinquens quaſcunq; iis uelimus res ſubiectas prædicataſq; ſubiicere. Differentiam autem hanc contradictionum, ſimplicis inquam ac tranſpoſititię uel in cęteris mo C dis cenſet, contingente & neceſſario & impoſſibili ſpectandã. ſuntq; manifeſta ea quæ de illis produntur: præter illud, {Eaq; affirmationem ac negationem facientia.} quod de modis dicitur. Hos .n. inquit conuenit uel affirmatiue ac ſine particula negatiua acceptos, ut poſſibile, non neceſſarium, uel negatiue & cũ negatiua particula, ut, nõ poſſibile, nõ neceſſarium, cũ uerbo, eſſe, ac non eſſe, conſtruere atq; connectere. Cõſtatq; ſumptos affirmatiuos, ſi uerbo, eſſe, cõplicentur, ſimplices affirmationes: ſin, nõ eſſe, tranſpoſititias eſſe facturos. negatiuos uero ſi ipſi, eſſe, adhibeantur. ſimplices negationes: ſin, nõ eſſe, tranſpoſititias reddituros. Tũ igitur .i. hoc pacto attendendũ, tũ quod poſtea quã oppoſitiões penès dictos enumerauit modos, adiicit, {Verũ, nõ uerũ.} nimirũ nos monitos uolens alios quoq; præter antedictos quatuor, poſſibilem cõtingentẽ, neceſſarium, impoſſibilẽ, eſſe innumerabiles modos: uerũ ſe ad præceptionem propoſitionum, ob cauſam quam ſupra reddidimus, his eſſe contentum.

III.

D *Et uero ratione fiunt conſequentiæ ſic ſtatuentibus. Poſſibili nanq; eſſe conſequens eſt eſſe contingere: idq; cum illo conuertitur. & non impoſſibile eſſe, & non neceſſe eſſe. poſſibili uero non eſſe, & contingenti non eſſe, non neceſſe non eſſe, & non impoſſibile non eſſe. Non poſſibili eſſe, & non contingenti eſſe, neceſſe nõ eſſe, & impoſſibile eſſe. Non poſſibili autem non eſſe, & non contingenti non eſſe, neceſſe eſſe, & impoſſibile non eſſe. Porrò id quod dicimus ex ſubſcriptione ſpectetur.*

PAGELLA.

PRIMA	SECVNDA
Poſſibile eſſe.	Non poſſibile eſſe.
Contingens eſſe.	Non contingens eſſe.
Non impoſſibile eſſe.	Impoſſibile eſſe.
Non neceſſe non eſſe.	Neceſſe non eſſe.

Poſſibile

Poſſibile non eſſe.	Non poſſibile non eſſe.
Contingens non eſſe.	Non contingens non eſſa.
Non impoſſibile uon eſſe.	Impoſſibile non eſſe
Non neceſſe non eſſe.	Neceſſe eſſe.

Ita impoßibile & non impoßibile contingenti & poßibili, & non contingenti & non poßibili conſequentia quidem contradictoriæ ſunt, uerum ordine obuerſo. Quippe hoc, poßibile eſſe, impoßibilis ipſius negatio, nimirum hæc, non impoßibile eſſe, comitatur: negationem uero affirmatio. non poßibili nanque eſſe conſequens eſt eſſe impoßibile ſiquidem affirmatio eſt, eſſe impoßibile: non impoßibile eße, negatio. At neceßarium quonam pacto ſeſe habeat uidendum. atque non ita ſe habere conſpicuum eſt. uerum ſequi contrarias. contradictiones uero eße ſepoſitas. Non enim huius, neceße non eße, illud non neceße eße, negatio eſt, cum ſimul poßint ambæ uerum in eodem ſateri. nam quod non eße eſt neceße, id non neceße eſt eße.

Conſtat in his de propoſitionum illarum agi conſaquentia quæ cum modo proferuntur. Cum autem ſint quatuor modi poſſibile, contingens, da quorum conuenientia diſcrimineq; poſt hac diſputabitur, & præter hos neceſſarium, & impoſſibile, cunq; ex quatuor ſingulis propoſitiones duæ ſimplices, duę ex trāſpoſitione ſpectētur, quatuor poſſibilis ꝓpoſitionibus ordine cōgruo in tabella expoſitis, inſpicit quo pacto aliorū cuiuslibet modorū propoſitiones ad has obtineant conſequentiā: hanc inquam uerbi gratia poſſibila eſſe poſſibilis affirmationem quæ propoſitio contingentis, quæ neceſſarii, quæ impoſſibilis conſequatur: aodem & in cæteris modo: Ponitq; primum propoſitiones omnes contingentis propoſitionibus poſſibilis conſequentes eſſe omnibus, eas quæ ſimiliter illis dicuntur, affirmatione ſimplici ſimplicem affirmationem: tranſpoſititiam tranſpoſititiæ. ſimili modo & in negationibus. Per hæc igitur à ſe idem nullo diſcrimine ſonare poſſibile & contingens poni: non ſolum declarat cum {Poſſibili eſſa (inquit) conſeqnens eſt eſſa contingere,} ſed etiam cum addit, {Idq; cum illo conuertitur.} Impoſſibilis uero propoſitiones rurſus ſimplices poſſibilis contingentisq; ſimplicibus conſequentas eſſe pronunciat: non ſimiles tamen ſimilibus: {Verum ordine, (ut ipſe loquitur,) obuerſo,} nempe ſimplici primæ pagellæ affirmationi ſimplicem negationem ſecundæ. negationi ſimiit poſſibilis & contingentis quæ in eadem eſt pagella ſimplicem quæ in prima pagella eſt impoſſibilis affirmationem: eadem ratione & in tranſpoſitis. pateтq; id iure optimo fieri. Nam quod eſſe poſſibile eſt, contingitq; eſſe, id impoſſibile eſse, ridiculum. uerum eſt autem non impoſſibile aſse dicere: quod autam non poſſibile eſt eſse, neque eſse contingit impoſſibila id eſse manifeſtum eſt nobis falſum fri: ut non poſſibila, neque contingans eſt diametrum eſse commenſurabilem coſtæ. ergo impoſſibile commenſurabilem coſtæ eſse diametrum. eadem & in iis dicemus quæ ex tranſpoſitiona proferuntur. Simplicibus uero eſse poſſibilis ac contingentis affirmationibus, ſimpliciq; impoſsibilis comitem negationi, ſimplicem rurſus principio negationem ponit neceſsarii: ſitq; ut ſub his poſſibile eſse: contingens eſſa, non impoſſibila eſse, hæc non neceſse, aſsa ſtatuatur. Nanq; poſſibile & contingans cum inter neceſsarium & impoſſibile poſita uideantur, neutriq; eadem eſſe extremorum, merito negationem utranque ſequentem habere uiſa ſunt. Sub ſimplicibus autem poſſibilis ac contingentis negationibus, impoſſibilisq; affirmatione ſimplici, non etiam affirmationem ſimplicem neceſſarii, ſed tranſpoſititiam, ponit. Quod anim non poſſibile & non contingens & impoſſibile eſſe, id neceſſe eſſe, dici non poteſt: ſed neceſſe ut non ſit eſſe perſpicuum eſt. Nam ſi impoſſibila eſt coſtæ diametrum eſſe commenſurabilem, eam non eſſe commenſurabilem neceſſa eſt. Rurſum ſub tranſpoſititiis poſſibilis affirmationibus & contingentis tranſpoſitia locata impoſſibilis negatione, iure ſub illarum negationibus affirmationem reponit è regioua ſuæ ipſius inficiationi oppoſitam. Rurſus uero ſub affirmationibus quas diximus tranſpoſititiaq; negatione impoſſibilis, negationem ſimiliter ſeſe habentem conſtituit neceſſarii hoc eſt ſub illis poſſibile non eſſe, contingens non eſse, non impoſsibila non eſse hanc non neceſſa non eſse. ſub harum autem oppoſitis, hoc eſt ſub his non poſſibile non eſse, non contingens non eſse, impoſſibile nō eſſe nō tranſpoſititiā affirmationē præterea neceſsarii. (nā ſupra iam ſub ſimplici poſſibilis negatione deſita eſt, & eas quæ hauc ſequuntur) ſed affirmationem ſimplicem neceſse eſt eſse: quæ ſola etiam ex neceſsarii propoſitionibus illocata remanſerat: cum ab ipſo iam tres aliæ ſingulæ. quo modo expoſuimus, in ſua ſede ſint conſtitutæ. His in præſentia hūc in modum digeſtis, uuit in tabella quoq;, quam ſubſcriptionem uocauit, quaſi iis de quibus docuit ſubiecta, peoditam ab eo ceu pictura quadam ſpectemus propoſitionum ſeque B lam. atq; à ſimplici poſſibilis affirmatione ſumpto initio, deinceps ab aliis modis hac ratione conſequentes enumerat. Exinda docendo progreditur: aſſumptaq; in eadam delineamenti uelut pagella tranſpoſititia poſſibilis affirmatione, ab hac rurſus ordine reliquorum propoſitiones modorum conſequentes ſubiungit. tum deinde ad percenſendas tranſit propoſitiones in altera delineamenti pagella deſcriptas. Cæterum quoniam culpa non uacat proſcriptio prodita propoſitionum, tametſi probabilis minus perſpicacibus ob redditas cauſas uideri queat, per ſequentia quod ibi uitioſe expoſitum eſt corrigere inſtituit. Prius autem nos rogat animaduertamus, in edita propoſitionum tabella quonam ſe ordine impoſſibilis, quo neceſsarii propoſitiones habeant: ut liceat quidnam id ſit quod in illa perperam habetur contemplari. Quamobrem hæc quoq; ſubnectit, {Itaq; impoſſibile & nō impoſſibile contingenti & poſſibili, &c.} quibus uerbis affirmatiuas negatiuasq; impoſſibilis propoſitiones expoſitas C eſse ex conſequentia, ſubditasq; poſſibilis ac contingentis affirmatiuis negatiuasq; propoſitionibus dicit, negationibus aduerſus proprias affirmationes recta deſcriptis: totaq; ſimplici impoſſibilis cōtradictione ſub ſimplicibus cōſtituta illatū contradictionibus. totaq; tranſpoſititia ſub iis quæ ex tranſpoſitione uominātur, ſed ordine, quemadmodū inquit obuerſo: nimirū obuerſione illa circa ſolū qualitatis ordinā ſpectanda: propterea quoniā conſequentes illarum ſunt affirmationibus negationes impoſſibilis non impoſſibile, inquam, eſse ſimplex negatio, & tranſpoſititia negatio non impoſſibile non eſse, affirmationes negationibus, tum affirmatio ſimplex hęc impoſſibile, eſse, tum affirmatio illa ex tranſpoſitione impoſſibile non eſse. Quamuis.n. quibuſdam cum priuatiue enuncientur ad ſpeciem declinare uideantur negationum, tantum totum hoc eas eſse priuatiuas affirmationes confitemur. Ideoq; ſolum hoc noluit in iis Ariſtoteles annotaſse. Propoſitionas ergo impoſsibilis iuſto, id quod diximus, ordine axpoſita ait: minime uero illas neceſſarii. quippe contradictione facientes in eo propoſitiones, D ut neceſſe eſse ſimplicem affirmationem, & non neceſse eſse ſimplicem negationem, ſeparatim, neque recta inter ſe oppoſitione expoſitas eſse: cum ſimplex hæc affirmatio neceſſe eſse infra in ſacunda pagella ſub tranſpoſititia impoſsibilis affirmatione conſtituta ſit: eius uero negatio parte primæ pagellæ ſuperiore ſub ſimplici negatione impoſſibilis: rurſus hæc affirmatio neceſse non eſse, parte ſuperiore ſecundæ pagellæ, negatio illius in fine primæ exponatur: quæ autem recta ſibi obſtant inuicem, non ab iis contradictionem etiam fieri: id quod modorum omnium aliorum eodem inter ſe uerſu oppoſitæ propoſitiones habent. Nanq; hæ, non neceſſa eſse & neceſse non eſse quæ ſimplicibus poſſibilis propoſitionibus ſunt conſequentas, ſimul mutuo ſunt in materia neceſſaria mendaces. quæ uero tranſpoſititis, nempe hæ non neceſsa non eſse & neceſse eſse in impoſſibili. quo factum etiam eſt ut contrarias eas appellauerit: qua ratione modo carentes quoq; cum inter ſe comminantur, contrarias nuncupamus. Falſum igitur ex ſubinuicem in proditis nunciant materiis quæ è regione ſunt expoſitæ neceſsarii

propoſitiones. & contra, ueræ ſimul eſſe in aliis uidentur nō A nullis. Nam rurſus ex quæ ſimplices comitantur, uerum inter ſe produnt in impoſsibili materia: quod Ariſto. inquit, cum ait, { Quod non eſſe eſt neceſſe, id nō neceſſe eſt eſſe. } quæ uero tranſpoſititias, in neceſſaria.

IIII.

Enim uero in cauſa id eſt quo minus perinde, atque aliæ neceſſarium ſequatur, quod idem ualens impoßibile contra ac neceſſarium redditur. Nam quod eſſe eſt impoßibile, id neceſſe eſt non quidem eſſe, uerum non eſſe. quod autem non eſſe impoßibile eſt, neceſſe id eſſe. Quamobrem ſi illa ſimiliter poßibile ipſum & non poßibile, hæc econtrario ſequuntur. quandoquidem non idem ſignificat neceſſarium atque impoßibile: ſed obuerſo, uti dictum eſt, ordine.

B Conſequens ſanè erat ut propoſitionum proſcriptionis prius correctionem traderet poſt hac afferendam: perperamq; ſeſe in tabella ſupra expoſita habere demonſtraret negationes neceſſarii. Neque enim ſimplicem aliorum modorum ſimplicibus eſſe propoſitionibus, ſed tranſpoſititiis ex aduerſo ſuæ ipſius affirmationi iunctam oportuit, neque tranſpoſititiis illam quæ ex tranſpoſitione appellatur: uerum ſimplicibus hanc quoq; è directo ſuæ comitem affirmationis: utque ita quæ per hæc dicuntur, adiiceret contradictionem tranſpoſititiam neceſſarii iure ſub ſimplici poſsibilis atque impoſsibilis conſtitutam eſſe contradictione: ſub tranſpoſititia ſimplicem. Conuenit enim cum eſſe prius intelligas, quam cur illa ſit quæras. Verum forte Ariſtotel. poſt illegitimum factæ ab initio proſcriptionis indicatum ordinem neceſſarii propoſitionum, quaſi perſpicacioribus conſequentem illarum expoſitionem prouinus intelligētibus, cauſam per hæc reddere iuſtæ ipſarum conſequentiæ uoluit. Sed quam eſſe cauſam dicit, ut ſimplicibus poſsibilis impoſſibiliſq; propoſitionibus tranſpoſititiæ ſubiectæ ſint neceſſarii, tranſpoſititiis ſimplices? C { Quoniam idem (inquit) Valens impoſsibile contra ac neceſſarium redditur, } atque idem ea ualere quidem ait, quoniam eodem ſemper modo habet ſeſe utrunque illorum, neque eſt capax contrarii: cum alterum ſit ſemper, alterum ſemper non ſit, contra autē dici, propterea quod cum ipſum eſſe horum alteri adhibemus modorum, propoſitionemq; facimus ſimplicem, alteri [illegible] apponimus non eſſe ac tranſpoſititiam propoſitionē [illegible]imus. Nam quod eſſe neceſſe eſt, id non eſſe eſt impoſsibile: & quod eſſe impoſsibile eſt, id neceſſe eſt nō eſſe. Has igitur impoſsibilis propoſitiones ſi propoſitionibus, inquit, poſsibilis & contingentis conſequentes eſſe, ſimplicitate illis, uel tranſpoſitione ſimiles diximus, ſuccedere ipſis eas accidet neceſſarii quæ, ut ipſe ait, econtrario in his ſeſe habent, hoc eſt tranſpoſititias ſimplicibus, & tranſpoſititiis ſimplices. His hunc in modum enucleans, repetit ea quæ de neceſſarii atq; ue impoſsibilis communitate & differentia prodidit: eaq; nobis uult in depromptu haberi, nempe idem D inter ſe ordine obuerſo ualere. Nanq; ipſum neceſſe eſſe impoſsibile dixeris ad non eſſe: & eſſe impoſsibile, neceſſarium curſus ad non eſſe.

V.

An fieri nequit ut diſpoſitæ ſint hoc pacto neceſſarii contradictiones. Nam quod neceſſe eſt eſſe, id eſſe poſsibile eſt. Sin minus, negatio conſequetur. quippe cum aut affirmare neceſſe ſit, aut negare. quamobrem ſi poßibile eſſe nequaquam eſt, impoßibile eſt eſſe. ergo id eſſe eſt impoſsibile, quod neceſſe eſt eſſe. quod eſt abſurdum. At uero ex hoc, poßibile eſt eſſe, illud ſequitur, non impoſſibile eſſe, ex hoc uero illud, non neceſſe eſt eſſe, quo fit ut quod neceſſe eſt, id non ſit neceſſe: quod minime conuenit. Atqui neq; hoc: neceſſe eſt eſſe, neq; hoc, neceſſe non eſſe, illi, poßibile eſt eſſe, conſequentia ſunt. ambo nanque accidere illi poſſunt. horum utrūuis uerum fuerit, non uera etiam erunt illa. nam ſimul poßibile eſt eſſe & non eſſe. quod ſi eſſe uel non eſſe neceſſe ſit, non erit utrumque poßibile. Reliquum eſt igitur ut hoc, non neceſſe non eſſe, ex illo, poßibile eſt eſſe, proueniat. id enim uel de hoc, neceſſe eſt eſſe, uerum eſt. Etenim fit hæc contradictio ex hoc, non poßibile eſt eſſe, conſequenti. quippe hoc, impoßibile eſt eſſe, & neceſſe eſt non eſſe, illi conſequens eſt: cuius hæc eſt inficiatio, non neceſſe eſt non eſſe. Itaque & hæ quo modo diximus contradictiones ſequuntur: nihilq; accidit incommodi ſic collocantibus.

Proſcriptio ſupradicta per hæc confutatur neceſſarii negationum: exquiſitusq; adeo traditur ordo illarum in deſcripta modum admittentium propoſitionum tabella, ut nihil diſcrepet, nihil non ſuo loco poſitum ſit: ſed ordinem legitimum obtineat tota deſcriptio. Primum uero quæritur quænam ex quatuor neceſſarii propoſitionibus, duabus ſimpliB cibus, tranſpoſititiis reliquis ſimplicem ſequi dicenda ſit poſſibilis affirmationem. Atque nec, ut ante dicebamus, negationem ſimplicem, nempe hanc, non neceſſe eſſe, nec utrammuis affirmationum, ceu conſequentem demonſtrat illi ſubnecti oportere: ſed ſolam hanc, non neceſſe non eſſe, tranſpoſititiam negationem: quæ ad rectum ſuæ ipſius affirmationi obiacebit. Colligiturq; ex his conuenire ut ſimplex negatio ſub tranſpoſititia poſsibilis affirmatione ſtatuatur, recta quidem & ipſa propriæ affirmationi occurſura. quaſi tres aliæ ſint neceſſarii propoſitiones iam ſuis locis in tabella per ordinem deſitæ. Sic enim ſeſe his habentibus, non amplius quę ſibi mutuo contradicunt à ſe inuicem ſeorſum deſcriptas eſſe ut prius, accidit: competentemq; ſibi ipſis locum ſortientur contradictiones neceſſarii: quæ pariter cum impoſsibilis contradictionibus porriguntur: contra uero aſsignantur atq; illæ: id quod proxime proditum eſt. { Fieri nequit ut diſpoſitæ ſint hoc pacto neceſſarii contradictiones. } quod perinde eſt ac ſi dicat, fieri nequit ut eo modo diſpoſitæ integram C ad alias obtineant conſequentiam: Hanc porrò, non neceſſe eſſe ſimplicem negationem ſimplici illi affirmationi, poſſibile eſſe, non rectè à nobis, uelut ei conſequentem, fuiſſe ſubiunctam, prærepta uelut ſumptiuncula demonſtrat ea eſt huic ſimplici neceſſe eſt eſſe, conſequentem illam eſſe neceſſariò, poſsibile eſt eſſe, pro atq; id abductione utens ad impoſsibile hunc in modum. Nam ſi hæc inquit, poſsibile eſſe, ex illa, neceſſe eſſe, nequaquam ſequitur, hæc, non poſsibile eſſe, eius negatio conſequetur. quippe ueram eſſe in omnibus uel affirmationem, uel negationem neceſſe eſt. Verum ſi hæc, non poſsibile eſſe illam ſequeretur, neceſſe eſt eſſe, quoniam tum ei tantundem ualenti quę eſt, non contingens eſſe, conſequentem illam, impoſsibile eſſe dicebamus, fieret ut hæ, neceſſe eſſe, & impoſsibile eſſe, uerum inter ſe conferrent: quod à ratione planè abhorret. hæc igitur poſsibile eſſe, illam, neceſſe eſſe, oportet ſequatur. Itaq; hoc præſumpto facile oſtenditur non rectè à nobis proditum, hanc, non neceſſe eſſe, ſequi ex illa, poſsibile eſſe. Nam ſi huic, neceſſe D eſſe, conſequens illa eſt poſsibile eſſe, ut ſumptiuncula demonſtrauit: huius autem: poſsibile eſſe, illam non neceſſe eſſe conſectatricem eſſe arbitraremur, ut initio in tabella deſcripſimus. ex hac igitur neceſſe eſſe proueniret eius negatio nō neceſſe eſſe, quod fieri nequit. Non ergo ſub hoc, poſsibile eſſe, collocanda hæc eſt, non neceſſe eſſe ſimplex negatio neceſſarii. Verum neq; utrauis illius affirmationum uel hæc, neceſſe eſſe, uel illa, neceſſe non eſſe. ſiquidem ex iis utraq; naturam quandam finitam declarat: altera. nimirum ſimplex, illā quæ ſemper ſit altera. hoc eſt tranſpoſititia, illam quæ ſemper non ſit. At eſſe poſsibile ancipitem obtinet naturam, atque in ipſum non eſſe cadit nonnunquam. quod enim poſſibile eſt eſſe, poteſt id quandoq; & non eſſe. quocirca neque harum utralibet cum illa, poſsibile eſſe, ſimul erit. Itaque tribus exploſis neceſſarii propoſitionibus, uelut illam ſequi, poſsibile eſſe, nequeuntibus, hæc, non neceſſe non eſſe, tranſpoſititia negatio ſola relinquitur. quamobrem hæc illi comes adiudicanda eſt: quemadmodum ſimplici illi negationi, non poſsibile eſſe, conſequentem eſſe illam dicebamus,

mus,neceſſe nõ eſſe, tranſpoſititiam affirmationem. Patetq́; ſimplicem hanc negationem, nõ neceſſe eſſe, in eum locum quem in ſuperiore tabella hæc, non neceſſe non eſſe, obtinebat à nobis trãſpoſitum iri, quo fit ut propoſitiones omnes omnibus conſonas reddamus. Cæterum nequis quo pacto illam, non neceſſe eſſe ſequi non poſſe ex hac, poſſibile eſſe hoc præſumpto oſtẽdebamus, poſſibile eſſe, illi nereſſe eſſe ſucredere, eodem modo neque illam, non neceſſe non eſſe ex ea progredi demonſtrari poſſe arbitretur, illud addit. {Id enim uel de hoc, neceſſe eſt eſſe, uerum eſt.} Haud enim amplius abſurditas continget, ſi ex hoc neceſſe eſſe, illud, poſſibile eſſe ſequi dicamus: ex hoc uero poſſibile eſſe, illud, nõ nereſſe non eſſe. quippe has ob res uſu ueniet, ut hoc non nereſſe non eſſe, illi, neceſſe eſſe, conſequens fit: qood non ſolum abſurdum non eſt, ſed etiam uernm. Nam quod exiſtentiam habet neceſſariam, nequit hoc neceſſariam quoque priuationem habere exiſtendi.

PROSCRIPTIO VERIOR MODVM ADHIBENTIVM PROPOSITIONVM CONSEQVENTIÆ.

PAGELLA.

PRIMA	SECVNDA
Poſſibile eſſe.	Non poſſibile eſſe.
Contingens eſſe.	Non contingens eſſe.
Non impoſſibile eſſe.	Impoſſibile eſſe.
Non neceſſe non eſſe.	Neceſſe non eſſe.
Poſſibile non eſſe.	Non poſſibile non eſſe.
Contingens non eſſe.	Non rontingens non eſſe.
Non impoſſibile non eſſe.	Impoſſibile non eſſe.
Non neceſſe eſſe.	Neceſſe eſſe.

Verum his ita proditis, iure per ea quæ ſequuntur quęrit Ariſto. utrum hæc, poſſibile eſſe, ſequi illam, neceſſe eſſe, an non ſequi dici conueniat: propterea quoniã hæc ambo uera eſſe non poſſunt. Horum autem uidetur utrũq; cõmunire: alterum abductione ad impoſſibile: alterum recta: dicitq́.

Cæterum quæſiuerit quiſpiam an huic, neceſſe eſſe, conſequens illud ſit, poſſibile eſſe: niſi enim ſequatur, contradictio, non poſſibile eſſe, conſequetur. Ac ſiquis non hanc eſſe contradictionem putet, illud neceſſe eſt fateatur, poſſibile non eſſe, quorum utrunque de hoc, neceſſe eſt eſſe, falſum pronunciat. At uero contra poſſibile eſſe idem ſecari uidetur, & non ſecari: & eſſe, & non eſſe. quapropter quod neceſſe eſt eſſe, id continget non eſſe: quod falſum eſt. Conſtat igitur non quicquid poſſibile eſt uel eſſe, uel ambulare oppoſita etiam poſſe: ſed eſſe in quibus uerum non ſit: primum quidem in ijs quæ non per rationem poſſunt. at ignis calefactorius eſt: poteſtatem obtinet rationis expertem. Compotes igitur rationis facultates eædem plurium, atque contrariorum ſunt. ratione carentes, non omnes: ſed, quemadmodum diximus, calefacere non poteſt ignis, & non calefacere: nec quæcunque alia ſemper agunt. Poſſunt tamen nonnulla quoque irrationalibus prædita facultatibus oppoſita ſimul ſuſcipere. Verum hoc illius gratia prodidimus, quod oppoſitarum non omnis capax uis eſt: nec quæ ſub eadem ſpecie dicuntur. Sunt uero quædam æquiuocæ poteſtates. Nam poſſibile, non ſimpliciter appellatur: ſed alterum quia uerum eſt, ceu quod actu exiſtat: ut poſſibile eſt quenquam ambulare, quoniam ambelat: ac demum poſſibile eſt eſſe, quoniam id actu am eſt quod poſſibile eſſe perhibetur. alterum uero propterea quoniam ageret. ut ambulare poſſibile hunc eſſe, quoniam ambu-

A *leret Atque hæc quidem in ſolis mobilibus uis ineſt: illa uel in ijs*
quæ nequaquam mouentur. Vtrunque autem potens ambulare aut
eſſe, tum quod ambulat iam atque agit, tum quod greſſile eſt uere dixeris. Itaque quod poſſibile eſt hoc modo, minime uerum id
de neceſſario ſimpliciter nominare: uerum autem eſt alterum.
Quã obrem quoniam particulari conſequens uniuerſale eſt ipſum
eſſe poſſe ex eo quod ex neceſſitate eſt ſequetur, uerum nõ omne.

Cum enim ex quatuoc neceſſarii propoſitionibus hanc
ſolam, non neceſſe non eſſe, poſſe ex hac ſequi probaret,
poſſibile eſſe ex aliis nullam primum quidem hanc, non ne-
ceſſe eſſe, non ſequi ex ea poſſe demonſtrabat: aſſumebatq́;
huic, neceſſe eſſe, cõſequens eſſe illud, poſſibile eſſe: idq́; per
abductionem ad impoſſibile aſſerebat, quam nũc etiam no-
bis tentat ad memoriam reuocare, adducitq́; illam maiore
ſtudio, cum ex cautione abundante adiiciat, tametſi quis hu-
B ius, poſſibile eſſe non hanc, non poſſibile eſſe uerum illam,
poſſibile non eſſe, negationem eſſe, arbitretur, nihil tamen
ob id plus illi acceſſurum: fateri enim cogetur is, quod ne-
ceſſe dicimus eſſe hoc, ut poſſibile ſit non eſſe fore nonnun
quam, quod à ratione planiſſime abeſt. Tum deinde cum ad
affirmationes tranſiret neceſſarii confutandas, quaſi illi con-
ſonans eſſe neq; harum utralibet poſſit, contrarium proxi-
me dictis pronunciabat: quod ipſum quoq; per hęc repetit,
nimirum quod neceſſe eſt eſſe, id ut quandoque non ſit, eſſe
impoſſibile: quo modo quod neceſſe eſt non eſſe impoſſi-
bile eſſe, ut aliquãdo ſit. quod uero poſſibile eſt eſſe, ex eo-
rum quæ alias ſunt, alias non ſunt numero cenſeri. eoq́; fieri
ut rurſus nõ hoc etiam, poſſibile eſſe, ex illo, neceſſe eſſe, has
ob res conſequatur. Quęſtione igitur ſoluenda, in cauſa eſſe
affirmat poſſibilis æquiuocationem, ut rationum appareat
contrarietas, qua ſequi poſſibile ex neceſſario, rurſusq́; alio
ſenſu, atque alio non ſequi contingit. Nanque poſſibile par
tim eſſe inquit quod actu iam eſt, ut cum ambulare dicimus
poſſe ambulantem, Solemq́; illuſtrare poſſe, uel moueri par
C tim per facultatem atq; aptitudinem duntaxat, ceu cum am-
bulare ſedentem poſſe, & ambulantem poſſe dicimus non
ambulare. Sed eius quod actu conſtat alterum cognatũ eſſe,
ac natura inſitum rei quæ ipſum poſſe perhibetur, eiuſq́; ſpe
cificum, alterum aduentitium, nec ſemper præſens ſubiecto.
Atq; natura quidem inſiti formamq́; ſubiectis uti diximus,
largientis, æternum hoc eſſe atq; in cæteris rebus ſubſiſtere:
ut cœlum in orbem moueri, uel terram in medio ſitam eſſe
uniuerſi, uel Deum bonum eſſe. Illud non quidem æternum
neque in ſubiectis æternis cõſpectabile, quod tamen donec
fuerint ſubiecta cum illis exiſtit, uelut cum hunc ignem poſ-
ſe dicimus calefacere, & niuem hanc refrigerare, cum reli-
quum uidelicet eius quod actu eſt ſignificatũ, nempe in ſub-
iectis non natura conditi, in iis conſideretur quæ ex poteſta
te in actum tranſire, quo modo ſedentem ambulare poſſe
dicebamus. Rurſus eius quod in ſempiternis dicitur rebus,
alterum in ſubſtãtiis à materia prorſus abſtractis inquit ſpe-
ctari, ut deorum bonitatem intellectionemq́;, alterum proxi
me ab illo pendere, atque exiſtere in corporibus quidem, ue
D rum ſimplicibus, & quæ nihil habent cõtrariũ, ſemperq́; ſo-
lo circulari motu agitantur, ſuntq́; ab omni moleſtia morta-
lium rerum excepta. Eius uero rurſus quod à facultate ema
nat, alterum id eſſe affirmat quod mutari poteſt in actum: ſi-
cut cum puerum in Imperatorem dicimus poſſe euadere:
niſi externa re aliqua impediatur. alterum quod nunquam
ad actum promouebitur: ſed ipſum eſſe in hoc ſolum obti-
net quod facultate ſit, uelut in magnitudinũ omniumq́; ab-
ſolute continuorum ſectione in infinitum: progreſſuq́; nu-
merorum in ampliorem multitudinem. Cum igitur tot ua
riet differentiis poſſibile, ſignificata ſequi eius ex neceſſario
quædam ait: alia non ſequi. Nam quæ prædicata de actu exi
ſtentibus poſſibilia in iis quæ ſubiectis ſiue ſempiternis, ſiue
corruptibilibus ex ſui natura inſunt, dicuntur, hæc in iis etiã
quæ ex neceſſitate ſunt uerum fateri: propterea quoniam
ſunt, & ipſa ex neceſſitate, quaſi non ancipiti illa conſtent na
tura, ut eſſe, ac non eſſe poſſint. haud enim poteſt ignis cali-

dus non eſſe: nec cœlum non in ambitum moueri. Quod autem à poteſtate in actū migrauit, ut in, ambulare, uerbo dicebamus. quodq; in aptitudine uel natura cōparata in actū mutari, uel neq; idonea, ſed ipſum eſſe in eo duntaxat quod ſemper poſſit obtinente ſpectatur, non etiam conuenire neceſſario. Quapropter. & ſequi ex neceſſario poſſibile, & non ſequi aſſerentes, rectè dicimus, alio nimirum, ut ante de ipſo prodidimus, alioq; mentis conceptu. Quāquam enim non diſtinctè huiuſmodi poſſibile, ut unica ſpeciea illa actu exiſtentis, uerū ſimpliciter poſſibile ex neceſſario ſequi pronunciabamus, nihil tamen cōmemorabamus abſurdi. Nam quo modo terreſtrē canem ſimpliciter etiam canē nominamus, & Aiacē Telamonis abſolute quoq; Aiacē, ſic & id genus poſſibile ſimpliciter etiā poſſibile appellamus. ſiquidē neceſſe quoq; eſt cuiq; conſequentes eorū quæ ab ipſis indicantur eſſe ęquiuocas, uoces: ut genera ſpeciebus. Sed tradit nobis hæc poſt Ariſto. ſolutionēq; promit dubitationis abſolutiſſimā. In primis uero omnium aduerſus eam rationē uerba facit quæ conſequens eſſe negat poſſibile propterea neceſſariò, quod idem eſſe poſſe atq; non eſſe uideatur. ac {Planum eſt itaq; Nō quidquid poſſibile eſt, uel eſſe, uel ambulare, oppoſita etiam poſſe:} hoc eſt non eſſe, & nō ambulare: nō quod in ambobus his ipſis quæ ſunt exempli loco accepta, id quod dicitur intelligendū exiſtimet (nam contrarium ipſum manifeſtum planè eſt ambulādi facultatem non huiuſce duntaxat, uerum oppoſiti quoq; eſſe) ſed oſtendere nobis uelit unicam eſſe in quibuſdā quę poſſibilia dicuntur facultatem, minimeq; ancipitem. in quibus non etiam res illi ſuccedet qui hoc poſſibile eſſe ex illo, neceſſe eſſe, conſequi negat. additq; qualia ſint ea quæ hoc pacto ſeſe habēt nempe ex iis nonnulla quæ rationali carent eſſentia: uelut inanima, quę ſuis effectricibus agunt facultatibus. Itaq; cum calefaciat ignis, non poteſt, & non calefacere: & gleba cū in præceps feratur, non ferri etiam nequit: niſi quis eam per uim extrinſecus uetet. Quod autem dictū hoc uelit nō in omnia rationalis expertia facultatis extendi, ut brutis etiam competat animantibus, declarat cum deinceps addit, { Poſſunt tamen nonnulla quoq; irrationalibus prædita facultatibus oppoſita ſimul ſuſcipere.} Nam & paſſiuæ inanimatorū facultates aperte ambigua natura præditæ ſunt, ut ueſtis, & ſecari & non ſecari ſimiliter poteſt. & effectrices rationis expertiū animalium non unicæ coactæq; ſunt: ut in igne, ac niue dicebamus. Nam canis uerbi gratia cum ambulare queat, poteſt & non ambulare, cum obuenientes ſibi uiſiones ſequatur. Quoniam uero ea ratio quę poſſibile non ſequi ex neceſſario aſtruebat, ab iis promouebatur facultatibus quę in generatione atq; interitu ſunt, quaſi minus aptum ex ſui natura neceſſarium ſit, ut utroq; peruneat: hæ uero nō ſolum eſſe, ſed non eſſe etiam poſſint, ob id occurrendi principium ab his ipſis ſumens { Primum quidem (inquit) in iis quæ non per rationem poſſunt.} Quæ enim in ſempiternis uis ineſt, ea potiſſimum ambiguitatem effugit, conſonaq; eſt neceſſariò, de qua deinceps diſputat, atq; ea qua conuenit diligentia difficultatem ſoluit. Sunt uerò & generaſcētium corruptibiliūq; facultates nonnullæ quæ, ſi ſubiecta ſeruentur, non utroque uergant, ſed exiſtant cum iis, & non exiſtāt. Quo fit ut is qui poſſe quod poſſibile eſt eſſe, id omne etiam nō eſſe pronunciat, uel ex his ſolis, ut ait, quæ ſemper agunt cōfutetur ſemper, nunc intelligendo aduerbio non ad temporis infinitudinem, ſed quoad fuerit ſubiectum. Itaq; ſermonem illum qui poſſe quod eſſe poſſibile eſt, id omne etiam non eſſe dicit, non in ſolis uerum eſſe facultatibus ratione carentibus, quę eiuſdem eſſe inter ſe ſpeciei hoc ipſo quod eſt irrationale eſſe, perhibētur, ex ante dictis conſpicuum eſt. Quoniam uerò contrariorum eſſe facultates eas inquit uniuerſas quæ rationis compotes habentur, compertū in hominibus id quidem eſt ſiue artis capias, ſiue uoluntatis rationē. nam qui poteſt ſanare, is non ſanare etiam poteſt. planiuſq; in iis etiam num quæ ex præelectrice uoluntate fiunt, inter quas locus etiam conſiliis datur. Ergo qui lauari poteſt, uel ambulare poteſt, is quoq; nō lauari, nec ambulare. quippe præelectio noſtra, ut pluribus ante aſſertū eſt rationibus, noſtræ eſt do-

A minationis: & quæ fiunt conſulto, quælibet agere, atq; non agere nobis eſt. integrum: In diis autem quidnam dicemus? quam Alexander quoq; difficultatem proponit. Aut enim participes rationis eſſe illorum facultates negabimus, ſi definitæ ſint, ſemperq; eodem pacto ſeſe habeant ab omni mutatione exceptæ: aut niſi ratione uacent, eas quoque oppoſitorum eſſe confitebimur. Rectè igitur illæ nodum ſoluit, cogitatricemq; hoc loco acceptam rationem eſſe ait, quæ ab imperfecto ad perfectum, à propoſitionibusq; ad cōcluſionem progreditur, qualis noſtra eſt, uerum non intellectualē, quæq; actu uno ſimplici cuncta ſemperq; ſtāte intuetur, qualem ipſe eſſe affirmat Deorū mentem quæ ab omni prorſus exempta materia eſt, actumq; obtinet ipſi ſubſtantiæ concurrentem. An uero nec ferre in illis conuenit huiuſce rationis nomen nam mentē Ariſto ipſe cenſet uocādam. oſtēditurq; quodam loco digniorē, uel ipſa mēte naturā obtinere. Sed hæc in prima reſponſione, ut ſæpe commemorauimus, qua B iis occurritur, qui contingens non ſequi ex neceſſario arbitrantur. quaſi dicat Philoſophus ne in iis quidē facultatibus, quæ cognatæ maxime inter ſe ſunt, ſub unaq; ratione, quam ſpeciem appellauit, ſpectantur (ratione carētibus intelligo) rectè affirmari quidquid eſſe poteſt, poſſe & non eſſe His uerò ſubiungit deinceps exactiſſimam correctionem theoremans: oſtēditq; quonam pacto uere utrūq; & conſequēs eſſe & non eſſe neceſſariò poſſibile, alio nimirum atq; alio ipſius ſignificatu dicebatur: atq; {Sunt uero quędam æquiuocę} inquit {Poteſtates,} perinde ac ſi dixiſſet, ne ſi eiuſdē quidem eſſe inuicem ſpeciei maxime facultates omnes conceſſerimus rationis expertes, poteſt citata difficultas procedere. Illud tamen ignorandum haud quaquā eſt, quæ ſunt in rebus uniuerſis facultates, quo minus ſub genus unū quodpiam referantur, non parum ab eſſe. conueniunt enim ſolo nomine: natura quam maxime differunt. Deinde diuiſionē quoque facit illarum, quam nos anticipando tradidimus: ac qualr prædicetur ſignificatum poſſibilis de neceſſario, quale uero non prædicetur oſtendit. Hæc ergo cum ex iis pa- C teant quæ ante diximus, ordine ſingula diſcutientes quæ in ſerie lectionis conſiderationē poſtulant, illic primum, {Atq; hæc quidem in ſolis mobilibus uis ineſt, illa uel in iis quæ nequaquam mouentur} mobilia dicta eſſe arbitramur, quæ quidem moueri natura idonea ſunt, nec iam tamen mouentur, ſolaq; id genus ea ſunt quæ generationi ac corruptioni debentur. Vim autem eam acceptā eſſe, non quæ in ſola eſt aptitudine, ſed quæ ab actu ſeparari ex ſui poteſt natura: ut in ſolis quoq; generationē, atq; in teſtium ſubſiſtentibus uiſitetur. Proinde huic Philoſophus ea qui penes actum intelligitur facultate opponenda, ſubiunxit, illa uel in iis quæ nequaquā mouētur, nimirum coniunctione indicans illa, in his quoq; ſpectari forſitan poſſe aliquādo huiuſmodi poteſtatem, cum ſuam ipſorū perfectionē receperint: ad quàm properantem habebant uim aptitudinis, ante hæc tamen in iis quæ perpetuo mouentur, hoc eſt in cœleſtibus, & prius his in immobilibua, ideſt intelligibilibus cauſis ac diuinis cum aptitudinis facultati nullus patere in intelligibilibus queat locus, in cœleſtibus relinquatur quidem, ut localis illorum D mutatio declarat, ſemper tamē ſit actu coniuncta. nam quod de ipſis appoſite effatus eſt in Meteoris, abſolutus eſt ſemper illorum motus. Illud præterea, {Vtrunq; autem potens ſeu poſſibile ambulare autem eſſe} bifariam ſcribi admonemus. aut enim quo modo expoſuimus, aut pro poſſibili nō impoſſibile. Ergo ſi poſſibile ſcribatur, hic ſermo erit de eo quod propoſitum initio fuerat, nimirum poſſibilis nomen de utraq; prædicari facultate, tum quæ ad actum, tum quæ ad aptitudinem pertinet. iccirco ut prędicatum de actuaria non de aptitudinem ſignificante, conſequens erit neceſſario, ut appellatum de ea quoque quæ pee aptitudinem dicitur, ob idq; ſeſe ambiguam præbente, non etiam ex illo ſequetur: atq; huic illud conſentaneū eſt quod deinceps addit, Quam obrem quoniā particulari conſequens uniuerſale eſt, ipſum eſſe poſſe ex eo quod ex neceſſitate eſt ſequitur: uerum nō omne.} Sin pro poſſibili legatur non impoſſibile, uelut excuſationem eius hanc ab illo poni dixerim, quod propoſi-

tionem

tionem, non impoſſibile eſſe in primæ tabellæ deſcriptione ſub hac, poſſibile eſſe, locatam permiſerit, illã uero transpoſuerit, non neceſſe eſſe, eiuſq; loco hanc non neceſſe nõ esſe conſtituerit. Vtiq; enim dixerit, hoc, non impoſſibile esſe, utriq; ſignificato poſſibilis, uelut hoc quoq;, nõ neceſſe non eſſe, concordat. ea propter hæc ambo illi, poſſibile eſſe, in ſecunda tabella ſubiunximus. illud uero non neceſſe eſſe, cũ poſſibili cõueniat aptitudinem indicanti ab actum uero exprimente ſubiectisq; cognato diſerepet, iure ſepoſuimus: ne ſimpliciter poſſibili conſequens eſſet. Sed impoſſibilis quidem neceſſariiq; propoſitiones, ut poſſibilis conſentirent propoſitionibus per hæc forſitan uidemur curaſſe, uerum poſitis in tabella cõtingentis propoſitionibus, ab initio propoſita adhuc quæſtio fuerit. Nam pro poſſibili rurſus acce pto contingente percontabimur utrũ huic, neceſſe eſſe, conſequens illud ſit, contingens esſa: an ſecus. Si enim ſequatur quandoquidẽ inter neceſſarium, & impoſſibile poſitum cõtingens, poteſt quandoq; nõ eſſe, quod neceſſe eſt esſe, contingens erit non eſſe. Sin minus conſequens ſit, incidemus in maius incõmodum: cum fateri cogamur fore, ut non cõtingens ſit quod neceſſe eſt eſſe. Itaque ad hæc reſpondẽdum primũ à poſſibili cõtingẽs differri ſolo nomine ab Ariſto. uideri propterea traditam hoc libro diuiſionem poſſibilis, inter initia Reſolutoriorũ, ubi de conuerſionibus tractatur, planè & in contingente dici inueniemus: ubi in contingente uero inquit, quoniam uerbum, contingere, pluribus appellatur modis (nanque & neceſſarium, & non neceſſarium, & poſſibile contingere dicimus) ponitq; illic pro eo poſſibile quod ad utrunq; propenſum eſt necdum euenit: ut hic ſe ſe habere contingens arbitramur. Quod ſi uel definitione promenda contingentis, neq; neceſſarium eſſe ipſum pronunciet, neq; impoſſibile, rationem nõ eſſe ſimpliciter contingẽtis dicemus: uerum eius quod proprie appellatur: mediumq; inter id quod ſemper eſt, & ſemper non eſt, locum obtinet. atque hanc pariter poſſibili quoque proprie dicto congruere. Deinde ſi ſolum proprie contingens capiamus, ipſum quidem uidelicet non fore cõſequens neceſſario: ſed ex eo, non contingens esſe, conſecuturum: non quaſi ſubſiſtentiam rei funditus tollat: ſed contingentem ſolum ſubſiſtendi modum quo pacto, & quod contingens eſt, id nõ neceſſarium esſe exiſtimamus. ſignificatuq; hoc tamen contingentis recte affirmauit Ariſtote. ex hoc, contingens esſe illud ſequi non neceſſe non esſe. Quoniam enim diſtat uniuerſo ſui ſignificatu contingens ab impoſſibili, esſe uero impoſſibile idem illi, neceſſe non esſe indicat, uſu ueniet ut hoc, contingens esſe, ab illo neceſſe non esſe diſſentiat: illi cõſonet, non neceſſe nõ esſe. ſic uero, & ex hoc, non neceſſe esſe, cõuenientius conſequi illud dicemus non contingens nõ esſe. Verum ſi ſupponamus à poſſibili, & contingente id ſolum ſignificari quod his proprie uocatur nominibus, ſinuitq; ipſe in Reſolutoriis cum dixit. Cõtingẽs autem id omnino quo cum neceſſarium minime ſit esſe poſito, non quidquã accidit impoſſibile, quas pone iunctas iis esſe impoſſibilis neceſſariiq; propoſitiones putabimus? Itaque quod ad cõſequentiam illam attinet quæ ab his poſſibile esſe, & contingens esſe, deducitur, recte ſeſe habere inquam uidebitur initio deſcripta propoſitionum tabella. Nam proprie poſſibile, atque cõtingens, neque esſe impoſſibile, neq; neceſſe eſt esſe. uerum ſi curandum eſt, ut omnes congeſtæ in ordinem propoſitiones mutuo conſentiant, haud etiam hæc non neceſſe esſe, poteſt illi, non impoſſibile esſe, ſubiugari. propterea quoniam hoc non impoſſibile cum unum tollat impoſſibile, in duobus ab ipſo reliquis, tum contingente, tum neceſſario uerum explicat. nõ neceſſarium autem uno abolendo neceſſario, uerum in cæteris duobus profatur, contingente, atque impoſſibili. Hæc igitur, non impoſſibile inquã ac non neceſſarium, cum inferendo cõmunicent contingente, habeant uero & quiddam inter ſe contrarii, quatenus ab horum altero neceſſarium, impoſſibile ab altero inuehitur, conuenire inter ſe nequeunt. At hoc non neceſſe non esſe illi nõ impoſſibile esſe uniuerſum conſentit: ſiquidẽ eorum quoque affirmationes impoſſibile esſe, & neceſſe non esſe,

A idem inter ſe ualent. Quod ſiquis hac difficultate urgeat, quam ob cauſam igitur non hanc nõ neceſſa esſe, in primæ tabellæ deſcriptione ſub hac poſſibile esſe conſtitutam reliquit, illam uero non impoſſibile esſe alio tranſtulit: eiuſq; loco illam non impoſſibile non esſe quæ cõſonare huic poteſt non neceſſe esſe repoſuit? Primum hæc (dicimus) non impoſſibile esſe prior quàm illa non neceſſe esſe in tabellæ collocata diſpoſitione fuerat: ridiculumq; erat, cum accidere eidem debuiſſet, non poſterioris cum prioribus conſonãtiam curare: ſed quonã modo prius poſteriori uideri poſſet conſentaneum. Deinde quoniã hæc poſſibile esſe, & cõtingens esſe, tum res ineſſe de quibus appellantur, tum hoc pacto ineſſe pronunciant. Itaque has ob res illa impoſſibile esſe, & neceſſe esſe ab his, alio tamen, alioq; intellectu diſcrepabunt. nempe hoc impoſſibile esſe quaſi rei ſubſiſtentiam deſtruat: illud uero neceſſe esſe non ita, ſed uelut ſolo exiſtendi modo à poſſibili, & contingente euariet. Ergo ex
B iis hæc magis impoſſibile esſe quàm illa neceſſe esſe expũgetur: quamobrem magis quoq; hæc ipſis non impoſſibile esſe iuncta erit. quàm illa non neceſſe esſe. Itaq; iure hac nõ impoſſibile esſe relicta Ariſto. uelut ipſis cõſequente, ſolam illam non neceſſe esſe, alio loco tranſpoſuit.

VII.

Ideoque neceſſarium & non neceſſarium eſſe, uel non eſſe, omnium fortaſſis principium eſt. inſpiciendaq; alia ſunt, uelut his conſequentia, Itaque ex iis conſtat quæ pronunciauimus, quod ex neceſſitate eſt, actu id eſſe. quapropter ſi priora ſunt ſempiterna, prior quoque facultate eſt actus. Ac ſunt quidem actus alia ſine poteſtate: ut primæ ſubſtantiæ. nonnulla cum poteſtate: quæ priora natura, poſteriora ſunt tempore. quædam uero nec actus unquam ſunt, ſed facultates tantummodo.

Exquiſitiore hic conſequentia contemplationeq; neceſſarii propoſitiones cenſet in tabella deſcripta cæterorũ mo
C dorũ propoſitionibus anteire, comiteſq; his esſe illas, non eo ſolum quod cõmunius eſſe poſſibile affirmabatur neceſſario, de earumq; differentem conſequentia ſubiicere ante oportebat, ac uelut antecedẽs quod peculiarius eſt ſumere, quonam autem pacto ſequi ex hoc cõmunius posſet, non contra: ſed etiam quoniam neceſſarium ſempiternum diuiniſq; competit rebus. poſſibile autem quod à neceſſariò differt atque contigens à materia expullulant. in hac ſiquidem propterq; hanc ea conſtat facultas quæ in aptidudine ſpectatur: ceu poteſtate omnia, nihil actu obtinentem, impoſſibile uero uel extra ea quæ ſunt planè excidit. neq; enim impoſſibile eſſe diceretur ſi quoquo modo in ea quę ſunt haberet acceſſum uel in materia, uel quæ hac obſcurior eſt, priuatione. quippe priuatio eſt ad generationem neceſſaria: quandoquidem ex illa eorum quæ fiunt in ipſum eſſe mutatio emanat. at impoſſibile mutari in poſſibile nunquam poteſt. Quocirca ex hac opus erit neceſſe esſe quæ æternã ſubſiſtentiam notat, ex ſequantur aliorum modorum quæ ipſum non esſe uti deſcriptum eſt, tollunt, nimirum hæ non
D poſſibile non esſe, non cõtingens non esſe, impoſſibile non esſe. ex hac uero neceſſe non esſe illæ non poſſibile esſe. nõ contingens esſe: impoſſibile esſe. ex his autem manifeſta eſt & oppoſitarum ipſis conſequentia.

EXQVISITISSIMA CONSEQVENTIA MODVM PROferentium Propoſitionum.

Neceſſe esſe.	Non neceſſe esſe.
Non poſſibile non esſe.	Poſſibile non esſe.
Non contingens non esſe.	Contingens non esſe.
Impoſſibile non esſe.	Non impoſſibile non esſe.
Neceſſe non esſe.	Non neceſſe non esſe.
Non poſſibile esſe.	Poſſibile esſe.
Non contingens esſe.	Contingens esſe.
Impoſſibile esſe.	Non impoſſibile esſe.

Ab his uero deinceps oſtendere cum uelit naturalem ſe digeſtionē rerum perſequendo neceſſarii propoſitiones antecedere aliis cenſere, exponere eorum inſtituit ordines quomodo propoſitæ conuenit contemplationi. Ante hoc autē uelut ſumptiunculam quandā aſciſcit, priorem actum facultate aptitudinem referente natura eſſe, probatq́ hoc, quodḋam uelut corollarium Geometrarum more ex antedictis colligens ad hoc aſſerendum utile, nempe in eo ſolo quod actu eſt neceſſariū ſpectari, idq́ non iniuria. Nam cum poſſibile de ambobus, uti proditum eſt, aptitudine actuq; prædicetur, alterū ea ſignificatis quod de actu fertur, ſolum poſſe uiſum eſt neceſſario conſonare. quamobrem proprie quoque neceſſariū, quale eſt id quod non modo eſt, modo non eſt, ſed eadem perpetuo ratione ſe habet, in iis quæ ſemper actu ſunt ſolis dicetur. Ergo ſi proprie neceſſariū rebus conuenit ſempiternis, proprie autē poſſibile, quod conſtat aptitudine, ſolis competit generationem interitumq́; agnoſcentibus, erit, ut ſempiterna ad generationem corruptionemq; ſubeuntia, ſic actus ad poteſtatem, at natura ſempiterna ſunt iis quæ gignuntur priora. natura igitur actus quoq; poteſtate prior eſt, His ratione hunc in modum collectis, philoſophice deinceps admodū atq; acrius contemplando de ordinata decentiq́ rerum progreſſione ac declinatione decernit iis conſentanea quæ ratiocinādo comprobauit, nempe prima omnium ſummaq́ planè entia, qualia ſunt intelligibilia diuinaq́, ſyncerum eſſe actum, uerum non actum talem eſſe dictum iri, hoc nanq; entibus iiſce cōueniet quæ ipſum eſſe acceptum materiæ referunt, eaq́ de re, tum compoſita ſunt, tum aptitudinis poteſtate impertiuntur, quatenus forma, uel ſemper, uel quandoque communicari iis poteſt. quādoquidem ſemper quoque actu forma eſt, poteſtate materia: actu uero quod ex utraq; conſtant, quaſi forma, ſeu, quod idem dictu eſt, actu impertitum. At in illis, uelut à materia, tum ſubſtantia, tum recta minimeq́ de ipſis peruerſa notione prorſus exemptis, nullus aptitudini locus relinquetur. ideo neq; mutationi cuiquam, neque tempori, neq; formæ, uel aliquatenus, uel in perpetuum uendicandæ, quapropter nec talis actus ſunt, nec dicuntur. Porrò formas ipſas à materia ſeparabiles actuum ſyncerorū nomine appellamus: cum actum, quomodo in compoſitis, nequaquam ſecernamus à ſubſtātia: ſed eas in hoc ſubſtātiatas dicamus. Proinde ueros Deos actus eſſe ſubſtantia in duodecimo Metaphyſices uolumine affirmat. Etenim in mutationi accommodatis in quibus hoc quod eſt poteſtate, & habitu, & actu eſſe ſpectatur, poteſtatem ad habitum, habitum ad actū, ut ad peculiarem finem, properantem cernimus. neq; enim ſi actus ipſius expers maneat, quidquam emolumenti præſtabit. Has ob res uero Sapiens Agrigentinus cum Poetas fabuloſa de Diis, ut humana ſpecie præditis fingentes increparet, de Apolline in primis, de quo proxime uerba fecerat, eodēq́ modo de omni numine abſolute differendo ſubiunxit.

Humanam neq; enim caput eſt in membra redactum,
Non equidem gemina erumpunt ramalia dorſo,
Non pes, non agile eſtq́ genu, non hicta pudenda:
Verum ſacra atq; Immenſa is tantummodo Mens eſt,
Curis exagitans totum pernicibus orbem.

Atque per uerbum ſacra cauſam quoque latenter innuit mente excelſiorem: Quanquam nec fabularum auctores iis qui illas audirent, tradere occaſiones neglexerunt, quibus ei quod dici uidetur fidem non eſſent habituri, niſi autem ſtolide ſint affecto animo, uerum quæ ſituri ſenſum eſſent, quia quouis fabularum figmento clanculum, ac tanquā ænigmate indicatur. Nam quonam pacto humanā ſpeciem referant quæ ex cœlo, & Terra, ſiue iis quæ ſunt in propatulo, ſiue ut uere traditur * atque hos tranſcendentibus abditis cauſis dicuntur genita? quis uero Cœli pudenda, ut uerba ſonant exciſionesq́ illorum capere ſuſtinebit? atque ex ipſis in mare proiectis natam Venerem? deuorationes quoque, ac rurſus uomitus liberorum? & quæcunq; fingunt ſimplicioribus opitulantes fabulæ præ ſe ita ferentia? quo modo autem in Diis concubitus dicimus? nonne ſimiles illi intelligemus quem Cœli, & Terræ fuiſſe fabulantur? Sed redeamus unde in hæc ſumus egreſſi, miſeratione nimirum commoti in adoleſcentulos qui fabulas ipſas hiſtoriam eſſe autumant: neque intelligunt * *

Sunt igitur huiuſmodi ſimplices formæ atque intelligibiles. Quæ uero compoſitæ, atq; ab illis progreſſum ſortitæ, materiæ ſunt participes quæ formæ, uel perpetuo retinendæ idonea ſit, ut cœleſtia, ſi in iis quoq; materiæ nomen communius oportet appellare, uel ipſam per uices ſuſcipere atq; amittere, uelut quæ Lunæ ſubiacent, has actu, uerum non actus eſſe affirmabimus. Atque in quibus ipſum poteſtate eſſe tempore ab eo quod eſt eſſe actu diſtinguitur, in iis tempore prius erit poteſtate eſſe: actu eſſe prius natura. prius nanque ad hoc apte ſeſe quidquam habeat oportet, quo etiam ad illud poſtea queat deduci ad quod ſeſe commode habuit. Verum quoniam perfectum, id eſt quod actu cōſtat, imperfectum quod facultate habetur, prius autem natura perfectum eſt imperfecto, (nanque à ſuperioribus ſecundū naturam ad inferiora procedit decēti ordine ſucceſſiua rerum generatio) perſpicuum eſt fore, ut quod actu cenſetur, ei quod poteſtate conſiſtit natura antecedat. niſi enim prius homo actu extiterit, quomodo procreari queat embryum, quem dicimus hominem eſſe poteſtate? Multum uero latitudinis, ſeu magis profunditatis facultate, & actu ſeſe habentis complexus obtinebit: cum ab actu in aliquibus ualenter adeo poſſideatur facultas, ut per ſolam rationem cogitationemq́ ab eo diuellatur, uelut in cœleſtium habetur ſubſtantia. neq; enim fuit aliquando Sol poteſtate: deinde actu euaſit, ſi fieri nequit ut, cum Deus ſit, ordinē in rebus uniuerſis præcedat temeritas, indecensq́ rerum digeſtio decentem: conditorq́; uniuerſi nonnunquam facultate, & imperfectus opifex, alias actu perfectusq́ ſit: demumq́ prælectionis, atque ex hac prouenientis ab eo quod primū nolit in id quod poſtea fabricari mundum uelit mutationis, ac temporis cōſors Deus ille ſit, qui uniuerſam in ordine mutationem quæ perpetuo ſit, ipſamq́; eſſentiam mutabilium, atq; eſſe ipſum temporis in rerum naturam producit. In quibuſdam ipſa tempore quidem ſeiungatur, ita tamen, ut ſequentem ex neceſſitate actum habeat, quemadmodum circulari ipſorum motu deprehenditur. erat enim Sol prius poteſtate, uerbi cauſa in Ariete, poſt actu in ipſo eſt. ſed non poteſt non eſſe, propter continuitatem inquietudinemq́; circularis motionis. Sunt tamen nonnulla in quibus etiam diſcerni ab actu tempore queat facultas: quæq́ non omnino properantem ipſam habeant: uelut in iis quæ ſub generationem cadunt. Haud enim embryum ipſum quoniam facultate homo eſt, iam neceſſe eſt quoque ut uſque ad abſolutum tempus utero geſtatum homo actu fiat. declarant id fœtus qui abortu eliduntur. Extremum obtinent ordinē in rerum natura quæ ſola facultate conſiſtunt, neque ad actum perduci unquam poſſunt, ut in infinitum ſectio continuorum, & auctio numeri. nunquam enim ex iis quidquam actu fiet infinitum. nec tamen deficit in ipſis uel diuidendi progreſſus, uel augendi, habentq́; ad hoc aptitudinem duntaxat. Rerum igitur decoro ordine conſtitutam degenerationem cerne: Aliæ ſynceri ſunt actus ab omni mutatione motuq́ inde proueniente abſolute. Aliæ cum ſemper moueantur, actum habent quatenus ſunt, facultati coniunctum. quod uero ad delationem pertinet, tempore quidem ab illa diſcretum: eius tamen neceſſario comitem. Nonnulla cum quodam obtineant tempore, ut & ſint, & motu aguntur, facultatem habent ad utrunque, quæ, uelut prodidimus, antegreditur actui, neque eius compos planè eſt. Alia quã poſtremo cum in ſola conſiſtant facultate, deduci in actum ex ſui nequeunt natura.

THEOREMA DE VI OPPOSITARVM PROPOSITIONVM, SECTIO QVINTA.

I.

*V*Trum autem affirmatio negationi, an affirmatio eſt affirmationi contraria, oratioq́; orationi quæ omnem iuſtum eſſe pronunciat hominē, nullum hominem iuſtū perhibenti: an quæ omnem hominem iuſtum inquit omnem hominem iniuſtum aſſerenti? uerbi gratia utra ex hiſce cōtraria eſt, Callias iuſtus eſt: non eſt iuſtus Callias: eſt Callias iniuſtus? Nam ſi quæ uoce explicantur, iis quæ mente uolutamus conſequentia ſunt, contrarij uero in illis contraria eſt opinio, ut quæ omnem iuſtum eſſe hominem putat, omnem hominem iniuſtum eſſe cenſenti, neceſſe eſt in iis quoque affirmationibus quæ uoce proferuntur res ſeſe perinde habeat. Quod ſi illic contrarij minus opinio contraria eſt, neque affirmatio affirmationi contraria, ſed prodita erit negatio. Qua de re conſiderandum eſt quænam falſa opinio ueræ contraria ſit opinioni, utrum illa negationis, an quæ cōtrarium eſſe opinatur. Id autem ita intelligo, uera de bono eſt opinio quædam bonum id eſſe: alia falſa non eſſe bonum: alia uero eſſe malum: utra ueræ contraria ſit harum. atque ſi una ſint, contrariam eſſe ad utram pertineat.

ABSOLVTA eſt quatuor libri capitum illorum præceptio, quæ inter initia enumerauimus: commentatioq́; de Interpretatione finē, ut mihi uidetur quem debuerat recepit. C Nam quæ ſequuntur, aut legitima nō eſſe Ariſto. ſuſpicor, ſed ab aliquo qui eo fuerit poſterior addita: cum illud animaduertam contraria ſentire in libris ſuis omnibus uideri Philoſophum iis quæ hoc loco diſſerūtur, aut ab eo quidem fuiſſe conſcripta, uerum ut qui lectorem modo exercere ad rationes eas diiudicandas quæ probabiliter quidem, non tamen uere dicerentur uoluerit: perindeq́; faciat atq; is qui non facile confutandas rationes tradidit quę abolere motum uidentur. id quod, uel in Prædicamētis, cum de ad aliquid ſeſe habentibus ageret, nouimus feciſſe: ubi non ſimul omnino natura eſſe quæ ſunt ad aliquid aſſerere cōtendebat: ſed ſenſibile prius ſenſu eſſe: & ſcientia ſcibile. cum tamen in ſecundo naturalis Auſcultationis Theorema de coniuncta Relatiuorū ſubſiſtentia dilucide, ſubtiliter, breuiq; ſimul oratione explicuerit. nobiſq; illorum ſoluendorum anſas præbuerit quæ in Prædicamētis prodidiſſet. quæ cauſa Porphyrio quoque fuit opinor Philoſopho, ut huiuſce theorematis expoſitionem recuſarit. Quod ſi uel nobis D gerendus eſt mos conſuetudini, dignaq́; hæc, uelut elaborata Ariſtoteli, ſunt habenda quibus nonnihil curæ impendamus, inſtitutum illi eſſe dicēdum eſt theorema quoddam inſpicere eius operis, quod in manibus eſt propoſito cōſentaneum. Nam cum uera ſit quædam affirmatio, ut iuſtus eſt Socrates duæq́; huic falſæ refragentur propoſitiones, tum ipſius negatio Socrates iuſtus non eſt, tum quæ illi contrarium quod ab initio prędicatum eſt, de eodem affirmat ſubiecto, ut quæ Socrates iniuſtus eſt inquit, utra ex falſis dicenda ſit inquirit fortius ueræ repugnare: utrum negatione an affirmatio contrarii. Atque acerbiorem negationis aduerſus affirmationem eſſe quàm affirmationis contrarii pugnam iudicat. Eodem pacto, uel ſi falſa principalis affirmatio ſit, quæ huic reluctantur uerum decernāt. Ideo factum quoque eſt, ut utrunque ipſe, perinde quaſi nihil referat, in problemate poſuerit, modoq́; qualis uera opinio falſæ opinioni aduerſetur, modo utra ex falſis ueræ contraria ſit. Idem de oppo A ſitione pronunciat uniuerſalium quoque propoſitionum, quas contrarias appellauimus. Proinde & neceſſario propoſitum uidetur theorema ſuſcitare: cum doceat non temere contrarias nos illas uocandas cenſuiſſe. Ac nunc quidem oppoſitionum duntaxat earum quas cōmemorauimus mētionem fecit. ad finem autem uniuerſalium quoque oppoſitionis ad particulares meminit. ut propoſitum ſit in demonſtrationem, inficiationis pugnam cum affirmatione, tum contrariæ, in quibus contraria eſſe negatio poteſt affirmationi, tum in omnibus etus quæ illi cōtradicit, maiore diſſidio laborare, ſi cæteris contrariarum affirmationū differentiis conferatur. Iure autem neque impræfinitas hoc loco, neq; ſubcontrarias ab eo fuiſſe acceptas, ſuo loco deinceps oſtendemus. Hæc igitur de iis ipſe hunc in modum ſtatuit: fortaſſe eo reſpiciens quod inficiationē abſolute in omnibus, & quę ſunt, & quæ non ſunt capere, affirmationiq́; opponere nobis liceat: non tamen in omnibus etiam contrarii ſit affirmatio. B Nam cum quod initio prædicatum eſt, à contrario nullo oppugnatur, ſiue ſubſtantia ſit id, ſiue quantum, ſiue ab aliis prædicamentis emanet, quæ non accipiant contrarietatem, ſiue contrariorum etiam quorundam medium ſit tunc, ut affirmationem inuenias contrarii fieri nequaquam poſſe compertum eſt. cum & oppoſitioni quæ neceſſaria ad propoſitionum cōmentationem uſa eſt, contradictoriæ inquā, dignitatē ante cæteras omnes compare aliòqui uelit. At Syrianus ille magnus optime ſubtiliſſimeq; de hac quæſtione arbitratus eſt, euidenterq́; admodum oſtendit quo naturæ pacto res ſeſe habeant, mutuiq́; diſcriminis. atque animi noſtri cōmunes conceptus, ac ſponte innatos conſentientes iis eſſe affirmat, quæ uoce proferimus. & ipſum per ſe quodlibet argumentum in quæſtionem uocat: docetq́; articulare quid recte in ipſis, quid probabiliter, nō tamen exquiſite tradatur: poſtremoq́; omnium planè diuinū Platonem teſtem adducit, qui negationem inquit in Sophiſta diuerſum quidem aliquid ſignificare ab affirmatione: non tamen illi contrarium: propterea quoniam contrarium unum eſt uni. neq; C enim iniuſtam naturam eſſe, ut uni plures hoſtes compareт. à magni uero negatione, id quod traditur in Sophiſta, qua non magnum dicimus, nihilo magis paruum quàm æquale indicari. Quamobrem in ſexto quoq́; de Repub. curam cenſet maiorem robuſtioribus naturis quàm exilioribus quo minus corrumpātur, deberi. cauſamq́; huiuſce afferi rei. Magis enim contrarium malum bono quàm non bono eſt inquit, ideſt reliquo eorum quæ à mali negatione ſignificantur: quāuis hoc tanquā euidens ommiſſum: ipſumq́; nō bonum ſit pro neque malo neq; bono acceptum. Et uero perfectiori ipſius Ariſto. traditioni parere nos iubet: qui in decimo Theologicæ tractationis diſtātiam affirmat contrarii plurimam eſſe à contrario: uerum non negationis ad affirmationem, cum ait. Quandoquidem uero plus ac minus differre inter ſe illa contingit quæ differunt, eſt & differentia quędam maxima. uocatq́; hanc cōtrarietatem: & quæ ab his deinceps addit, nō logica magis, ut hoc loco ꝓbatione utens, quo mentem, uti dictū eſt, noſtram exerceat, ſed in ipſis quę ſunt aſſerens rebus cęterarum maximam eſſe contrariorum D differētiam. proinde perfectā eſſe eam, nihilq́; habere quod cadere extra ipſius ambitū queat. Sic in prędicamentis quoque non iuſtum, & non iniuſtum, iuſti eſſe, atque iuſti quę cōtraria ſunt, ſpatioq́; inter ſe diſtant plurimo, medium dixit, id quod cæteris quoque contrariis ſubeſſe omnibus prodidit, ſi editam in Prædicamentorum tractatu definitionem illorum attendamus. In cōmentationibus item omnibus naturalibus contraria fieri ex contrariis cenſet, ut quæ mutuo plurimum diſtent, ac finita certaq́; ſint. Quod ſi ex iis quæ in medio ſunt, fiant nonnunquam, quæq́; ſimpliciter ab eius quod ſit negatione, partim uero ab huic cōtrarii affirmatione declarantur, ut album ex fuſco, quod ſimpliciter non album, partim autem eſt nigrum, ea fieri ex illis dicit, non quo ad illæ ſimpliciter ab eius quod ſit negatione indicentur, ſed quatenus contrario quadamtenus impertiantur, perinde quaſi inficiatio non perfectam omnino ab affirmatione differentiam comprehendat. Proinde minime ab iis diſſentiēs

quæ prodidit Plato in Sophiſta, contrarium id quod eſt, ei
quod non eſt pronunciat non eſſe, ubi de cõtrariis motibus
mutationibusq; in quinto decernit Naturalis Auſcultatio-
nis. Conſonum his quoque procemium eſt operis Topici,
in quo Subcontraria nominantur illa quæ inuicem oppoſi-
ta contradictoriè ſunt. quaſi non perfectam inter ſe contra-
rietatem obtineant. Satis igitur iis eſt qui poſſunt iudicandæ
horum ueritati incumbere, ſi ea legant quæ à diuino illo ui-
ro in hæc ſunt conſcripta. Verum quoniam cum ſolam ſcri-
bere de his perpenſionem ſtatuerit, nequaquam in ipſorum
uerborum declaratione uerſatur, quo gregarius quoq; ex-
pleatur auditor tentauimus nos huiuſce etiam theorema-
tis, qua forma ſuperiora quoque exegimus, explanationem
moliri. in diſcuſſionibus uero cum nihil excogitare præter
ea quæ contemplatus ipſe eſt nobis liceat, non recuſabimus,
uel ad uerbum ea ſcribere aliquando quæ uir ille memoriæ
prodidit. Primum itaque ipſo per ſe problemate inſpectan-
do, tametſi nonnulla ſit in non albo aduerſus album contra-
rietas, hanc tamen à nigro dicemus non per accidens, ut ab
amaro, uel calido, ſed pro ipſa oppoſitionis natura contine-
ri. quippe amarum nihilo magis albi quàm calidi, uel alte-
rius cuiuſuis genere diuerſi ſublationẽ indicat, nigrum per
ſe potiſſimumq; ſolum oppugnãs album, definite uidelicet
ac per ſe unius albi interitionem notat. haud uero ipſum
prorſus etiam non album controuerſiam illam obtinet quã
nigrum aduerſus album ſuſcepit. eſt enim non album prin-
cipium quo ab albo diſcedatur: ut in decimo diſputatũ eſt
Metaphyſices. Procedens uero atque in totum perueniens,
finemq; iam obtinens, fit nigrum. ac partim id quod eſt au-
fert duntaxat: partim ad hoc contrarium etiam ponit. Nam
ſi uel in ſimplicibus uocibus non album cõtrarium eſſe quis
albo dixerit, primum eodem priuationem, ac contrarietatẽ
aget. Deinde non unum etiam uni contrarium dicet: ſiquidẽ
quod eſt non album, id & fuſcum, & luteum, & flauum, atq;
nigrum eſt. Tertio loco oppoſitum erit indefinitum incer-
tumq; finito, ac certo. dicitur enim de omni uel album, uel
non albũ. quapropter contrariæ ſubſtantiæ erunt albo, quã-
titatesq; ac cætera genera. Sed quæ propriè cõtraria uocan-
tur, aut ſpecies ambo ſint oportet: facultatemq; utrunque &
actum habeat: alterumq; par uiribus alteri ſit. ut & confligere
re inter ſe ualeant: neque una ſpecies ab altera corrumpatur,
perfectionemq; labefactet uniuerſi: ut in albo res ſeſe habet,
ac nigro, calidoq; ac frigido, reliquisq; ſimilibus. Aut extre-
mus ab altero delapſus alterum ſit, ac finito ſignificetur no-
mine: ſiue priuatiue, quemadmodum in iniuſtitia atq; amen-
tia, dicatur: ſiue non etiam, ut in timiditate: aptumq; ſit ex ſui
natura in illud reuerti: ut in modeſtia, & petulantia, uirtuteq;
omni & uitio, demum bono, ac malo. malum nanq; non for-
ma finisq; eſt ueluti bonum, dicitur tamen ipſum quoq; ue-
lut extremus à bono elapſus: ac tunc finito ſignificatum no-
mine contrarium eſſe, cum natura idoneum eſt in ſpeciem,
ac bonum referri. Cum autem eiuſdẽ in ſubiecto formæ præ-
ſentiam abſentiamq; abſolute contemplamur, aliam quan-
dam facimus, nec contrariorum oppoſitionum. Vbi enim
priuationẽ habet abſentia, uel eius ipſius poteſtatis qua for-
mæ iteratur aduentus, fit priuatio illa de qua præceptum eſt
in Prædicamentis. Sin ſolius actus abſentia ſit, ſit ea priuatio
quæ ex ſui natura remeare in ſpeciem poteſt: quam hac de
cauſa, licet infinito declaretur nomine formæ contrariam in
Naturali auſcultatione appellandam cenſuit. Hæc igitur ue-
lut in digreſſu tranſegimus, nimirum cum apud ueteres cõ-
pertas contrariorum oppoſitorumq; per priuationem, &
habitum ſignificationes diuerſas, deq; boni, & mali oppoſi-
tione tradere articulate uoluerimus, quæ multis negocium
exhibere cõſueuerunt. Quod ſi ita res ſeſe in ſimplicibus ha-
bet uocibus, patet in enunciatiuis quoque orationibus quæ
contrarium affirmat contrarium affirmanti maxime repu-
gnare. Societas nanque diſſidiumq; propoſitionum ex com-
plectium ipſas uocum ſimplicium facultate ſpectatur. Enim
uero non ita ſolum à nobis exiſtimari, ſed per animi quoq;
conceptiones ex ſeſe ingenitas, neque à doctore traditas hu-
manam uitam ſeruari, hinc erit conſpicuum, Expetendum

A omnibus bonum eſt: fugiẽdum omnibus malum, quis ergo
niſi uirino uti liceat bono, duobus ipſi propoſitis in uſum
ſumendis, non bono, conſentire omnium malo, præ eo qui
non iuuet illum eligat, qui lædere conetur? Nam ſi idem ſi-
mul non bonus malusq; ſit fugiendus magis erit: non quo-
niam ſit inutilis, uerum quatenus præter id etiam nocuus. ea-
dem & in non iuſto ratio eſt, atq; iniuſto, cæterisq; ſimilibus.
Itaque cum aperta ea hiſce rerum natura enunciatiuarumq;
orationũ facultas de quibus agitur fuerit, conſideremus de-
inceps quæ de illis propoſita argumentatione aſſeruntur. Is
igitur qui uerborum omnium, ſeu theorematis eſt auctor,
quæſtionem in iis tractat propoſitionibus quæ pronuncia-
tiuæ ſunt orationis: duasq; affirmationes capit, uniuerſalem
alteram uniuerſaliter, alteram ſingularem. opponitq; ſingu-
lari, tum ueram eius negationem, tum affirmationem cõtra-
rii. uniuerſali autem, ut negationem non illam quæ ei cõtra-
dicit, ſed quæ ut contraria repugnat, hoc eſt uniuerſalem ne-
B gationem oppoſitam ſtatuit: & præter hanc, uniuerſalẽ con-
trariam affirmationem. inſtituitq; utrum negationes eæ ſint,
quæ magis aduerſentur affirmationibus, an contrariorũ affir-
mationes inuenire. Cauteq; admodum quæſtionem ad ſuũ
reuocat propoſitæ rei principium, internas inquam uocatas
orationes, opinionesq; de rebus animo inſitas, quibus foras
fluentes orationes proferimus: uultq; quo modo oppoſi-
tiones quas diximus propoſitionum in opinionibus uiſæ
fuerint, ſic in uocalibus quoq; ſeſe habere enunciationibus.
hoc ergo recte ab ipſo excogitatũ eſt, ſciteq; proditũ. Quod
ſi uniuerſales propoſitiones eas quas uocant cõtrarias, pro-
prie contrariorum ſimilitudine, hoc nomine, ceu ſimul quã-
doque mentientes appellamus, patet pugnam mutuamq; il-
larum controuerſiam leuiorem ea pugna ducẽdam eſſe qua
dicta præſertim potiſſimumq; contraria confligantur. hæ ue-
ro utiq; fuerint quæ audent contraria de eodem affirmarẽ.
Sed hoc uel examinandis particulatim argumentis exactius
conſiderabimus: & præterea quonam pacto contradictionis
oppoſitio ſeſe ad contrariarum affirmationum oppoſitio-
C nem habeat, quæ nobis in præſentia ſunt in contemplatio-
nem propoſita. Quod autem ad uerba attinet, illud, {Nam
ſi quæ uoce explicantur.} pro ſi ergo dictum eſt. neq; enim
cauſam alicuius reddit quod ſupradixerit, ut ob id locum
habeat cauſalis coniunctio: ſed rationem, ac uiam docet qua
confligentes maxime propoſitiones à cauſis ipſis proficiſ-
ſcendo æſtimemus. Quod autem ad finem proditum eſt di-
ctionis. {Atq; ſi una ſint, cõtrariam eſſe ad ueram pertineat,}
talem habet ſenſum, opinio eſt de aliquo bono uelut mode-
ſtia, quæ hoc ipſum dicit, nempe eſſe bonum: altera quæ bo-
num aſſerit non eſſe: tertia quæ malum eſſe ait. Viſu igitur ue-
nire inquit, ut & negatio, quæ modeſtiam bonum inquit nõ
eſſe, & affirmatio contrarii quæ modeſtiam eſſe malum pu-
tat, alias diſſentiant inuicem, alias uero concurrant. Quan-
doquidem enim alia medio prædita contraria ſunt, alia ca-
rent, ſi ex interceptorum medio contrariorum ea numero
ſunt quæ prædicantur, affirmatio contrarii conſequens non
erit negationi. neque enim quod non eſt album, id ut nigrũ
ſit neceſſe iam eſt. ſin ex iis cõſtant quæ uacant medio. idem
D ſignificant, tum negatio, tum affirmatio contrarii, cum de ali-
quo pronunciant quod capax eſſe ex ſui natura contrarieta-
tis queat. Nam quo modo quod eſt impar, id non par pro-
tinus eſt, ſic quod eſt non par, ut impar ſit eſt neceſſe. In qui-
bus igitur negatio contrariiq; affirmatio concurrunt, non
etiam fieri poteſt, ut utra ex iis, ceu diuerſis quæramus pri-
mæ magis affirmationi aduerſetur: una ſiquidem ambæ quo-
dam pacto ſunt facultate. Vult autem ſcrutari: qua in re hæc
quæ facultate una eſt, cum initio poſita affirmatione magis
dimicet: utrum quatenus id neget quod ineſt, an quod non
ineſt affirmet. refragãtur exempli cauſa propoſitioni terna-
rium eſſe parem dicenti, tum quæ ternarium parem inquit
non eſſe, tum quæ imparem eſſe confitetur: cum idem ſigni-
ficent ambæ. Itaq; non par hoc atq; impar: qua iis re magis
pari reluctetur, utrũ quatenus non par, an impar ſit, exquirit.

II.

Contrarias igitur eo definitas eſſe opiniones putare, quoniam
ſunt

ſunt cõtrariorũ, mendacium eſt. Quæ enim bonum eſſe bonum, & malum eſſe malũ arbitratur, eadem fortaſſe uera eſt ſiue plures ſint, ſiue una. At hæ ſunt contrariæ uerum non eo quod ſint contrariorum: ſed magis quod contrario ſeſe habeant modo.

Conceptum ipſum mentis unde promouentur ii qui in opinionibus quæ de contrariis habentur pugnam dicunt propoſitionum ſpectari uehementiſſimam, criminari uult primum ſermo is qui aduerſus hoc uelut aduerſarius litigator ſeſe opponere conatur: atq; non ſanum inquit contrariarum opinionum iudicium hoc eſſe, quod eſt de contrariis rebus pronunciare. Proinde illam quæ modeſtiam bonum, & quæ petulantiam malum eſſe opinatur, de contrariis quidem tum ſubiectis, tum prædicatis decernere non mutuo tamen eſſe contrarias, propterea quoniam hæ ſimul ueræ ſunt: cõtrariæ autem nunquam ſimul uerum commonſtrãt, omnino nanq; ut ſimul contraria ſint fieri nequit. ſed magis æſtimare contrarias opiniones oportere quatenus de rebus iiſdem contrario modo enunciantur: quo pacto ſeſe habent affirmatio negatioq;: ut ſequentibus aſſerere tentabit argumentis. Illud porrò { Siue plures ſint, ſiue una, } de iiſce proditum eſt quę bonum, bonum dicunt, & malum eſſe malum: quoniam plures quidem ſunt: ut quæ tum ſubiectis, tum prædicatis utuntur diuerſis: cæterum una uideri etiam poſſunt: non in eo ſolum quod uerum ſimul fateantur: ſed etiã quod ab uno ſenſu promantur animiq; affectu. Aduerſus hæc uero dicendum eſt, qui contrariarum pugnam affirmationum contradictoriæ præſtare arbitrantur, non eas opiniones quę de contrariis ſimpliciter rebus ſtatuunt contrarias eſſe affirmaturos. haud enim ſanè eas dicent quæ contraria de contrariis, ſed quæ contraria de eodem exiſtimant. hæ nanq; eæ ſunt quæ re uera contrario modo opinantur.

III.

Itaque ſi boni opinio eſt bonum id eſſe, alia non bonum, eſt uero aliud quid quod non ineſt, nec poteſt ineſſe, nulla ex aliis ponenda, nec quæ ineſſe quod non ineſt opinãtur, nec quæ quod ineſt non ineſſe. infinitæ enim utræq; ſunt, tum quæ ineſſe quod non ineſt, tum quæ quod ineſt non ineſſe arbitrantur. uerum eæ in quibus deceptio eſt. eſt at hæ ſunt illæ ex quibus generationes emanant. emanant autem ex oppoſitis generationes. quamobrem deceptiones quoque.

Secundum hoc argumentum ad propoſitionum nobis problema traditur, quod contradictionem deinceps affirmationum cõtrariarum oppoſitioni comparat, deducitur q; hunc in modum. Quandoquidem uolumus quæ ex falſis opinionibus maxime contraria ueræ ſit inuenire, poſtulato utens manifeſto, unum eſſe uni contrarium, colligit ratiocinando negationẽ maxime eſſe affirmationi infenſam. Quoniam enim minuæ inquit ſunt, quæ cum illa depugnant falſæ affirmationes negationesq;, cenſetq; alteræ ineſſe ea quæ non inſunt, alteræ quæ inſunt non ineſſe, aduerſus eam uerbi cauſa affirmationem quæ bonũ quod bonum eſt putat, præſtantur affirmationes eæ quæ bonum fugiendum, bonum eſſe malum, bonum noxium eſſe arbitrantur, negationes uero illæ quæ bonum non eligendum exiſtimant, bonũ non utile, bonum non amandum, neq; aliam magis alia dicemus falſitatis teneri, harum nullam oportet illi contrariam eſſe dicere quæ bonum id eſſe quod bonum eſt opinatur. ambæ ſiquidem hæ infinitæ, incomprehenſibilesq; ſunt. unum autem uni, & finitum finito contrarium eſt. Quanam igitur utentes regula unam illam ac definite pugnantem inueniemus? nimirum deceptionis inquit principio ac uelut radice. hoc enim unum ex confeſſo eſt: ac finitum. Fallimur enim cũ id quod bonum eſt, & noxium uel malũ: & non utile, uel non exoptabile autumamus. ſed unum horum omnium principium id eſt, quod ipſum non eſſe bonum putetur. Porrò cum principium hoc deceptionis quodnã ſit oſtendere nobis uelit, eſſe id dixit ex quo emanat generatio. generationem uero cõſtaA re ex oppoſitis, hoc eſt ea propriis eorum quæ fiunt priuationibus negationibusq;. album nanq; ex non albo fit albũ: & homo ex non homine: ſimiliq; modo in iis abſolute quæ fiunt omnibus. quocirca fraus quoque in his eſt inquit: finitaq; contrarietas: præcipuaq; hanc ob rem pugna. Ad hæc igitur dicendum eſt, unum quidem unius omnium conſenſu hoſtem eſſe oportere: minime tamen cõuenire ut quæ quod bonũ eſt id malum eſſe ſuſpicatur uelut una ponatur ex multis, & quæ non ſuppetunt bono, ea illi ineſſe pronunciantibus. Nam quemadmodum inter negationes quæ non ineſſe illi ea quæ inſunt affirmant, una erat quæ definite cum illa certabat, nempe ea quæ quod eſt bonum id non bonũ eſſe, ſic inter infinitas affirmationes quę ipſi nõ ſuppetentia dicũt ſuppetere, una eſt finita quæ aduerſus eam prælium commiſceat, ac quod bonum eſt, id malum eſſe atteſtatur. Atq; infinita quidem eſſe hæc & incomprehenſibilia quæ negatione ſignificantur. eoq; fieri ut in omnibus & quæ ſunt & quæ nõ B ſunt, uerum cum affirmatione falſumq; diuidant. unum autem planeq; finitum ab affirmatione indicari. Tum hæc igitur ſunt hoc pacto aſſerenda: tum etiam principium re uera fallaciæ eſſe errorem illum qui in contradictione euenit. hoc ipſum uero certiſſimum eſſe argumentum, inter ea quæ per contradictionem ſunt oppoſita, ſpatii plurimum non intercedere. neq; enim decipi in iis contigiſſet. quandoquidem in ſimilibus atq; iis quæ natura proxima inter ſe ſunt nos magis decipi compertum eſt, quàm in iis quæ magno interuallo ſeiunguntur. palumbem quis exempli cauſa conſpicatus, columbam magis quàm coruum crediderit. lupumq; ſi conſpexerit, canem magis quàm leonem eſſe exiſtimarit. Quapropter imponere Iudicibus aggredi Oratores inquit in Phædro Socrates: imponendiq; aggreſſum non ab iis quæ multum diſtent, uerum à ſimilibus moliri. Quippe actis petitiores accuſando uirtutes ad proxima transferunt uitia: uocantq; ſi quis cautus eſt, non audacem, ſed timidum, & frugi C hominem auarum, non prodigum. defendendo, uitia ad proximas agunt uirtutes: nepotemq; liberalem: & audacem, fortem appellant. Ad hæc quoque rectè proditum affirmabimus generationes omnes abſolute uniuerſaliterq; ex priuationibus fieri, quas ipſæ negationes declarant. cum tamen id quod fit, contrarium habet, tunc, ut in Naturalibus commentationibus didicimus, id quod fit, ex contrario potiſſimum fieri, ex negatione non potiſſimum: ſed quatenus negatio tum contrarium ſignificat, tum quod intercedit mediam. media autem ex contrariis proficiſcuntur. Album nãq; ex non albo quidem fit, uerum non quouis non albo: ſed uel nigro uel mediis. ex mediis autem propterea quoniam eorum quodlibet aliquatenus nigro impertitur.

IIII.

Si igitur bonum, & bonum eſt, & non malum, alterumq; per ſe, per accidens alterum eſt (accidit nanq; illi eſſe non malo) magis autem de quolibet uera illa eſt quæ per ſe conſtat, erit & falſa: ſi etiam uera. Quæ ergo non bonum eſſe id D *retur quo bonum eſt, de eo quod per ſe ineſt mentitur. quæ autem quod bonum eſt, malum eſſe, de eo quod per accidens competit. qua de re magis falſa negationis, quàm contrarii fuerit opinio. Maxime uero is qui contraria opinione præditus eſt in quauis re mendax deprehendenditur. ſunt enim eorum contraria quæ in eadem re plurimum differunt. Itaque ſi contraria ex his altera eſt, magis uero contraria eſt opinio negationis, patet hanc fore contrariam.*

Cum in tertio hoc argumento de eodem prædicata contraria, ut de aliquo bono tum ipſum bonum rurſus, tum malum & affirmatiue & negatiue acceperit, ut quatuor propoſitiones ob id fiant, duæ ueræ: altera quæ bonum eſſe bonum, altera quæ bonum non malum eſſe ait, reliquæ falſæ, quas inter ſe quoque comparare propoſitum eſt, & quæ bonum non bonum & quæ bonum malum eſſe pronunciat, quod in falſis uſu uenit ratiocinari experitur ex eo quod in ueris conſpicitur. Quoniam enim ex ueris inquit altera

per ſe uera eſt, altera ex accidente per ſe quidem illa quæ A
bonum, bonum eſſe, illa per accidens quæ bonum non ma-
lum eſſe aſſentitur, propterea quod bonum non ipſa ponit
ea ſeſe, ſed oppoſitũ duntaxat tollit. (cum enim magis pro-
prie eſſet locutus, ſi ueram eſſe propter aliud dixiſſet, per ac-
cidens dixit,) ſiquidem non quouis perimendo quod præ-
ter bonum eſt, habet ut uerum perhibeat, ſed ex eo quod
cum certo illius hoſte dimicet. Pugnat uero cum ea quę per
ſe uera eſt, illa quæ bonum non eſſe bonum: cum uera au-
tem per accidens, ut ipſe ait, illa quæ quod bonum eſt id ma-
lum eſſe cõfitetur. quæ autem per ſe ueram tollit, per ſe men-
titur: & quæ per accidens adimit ueram, mentitur per acci-
dens. fallit enim per ſe ea quæ quod bonum eſt eſſe inquit
non bonum: fallit illa per accidens quæ quod bonum eſt id
malum eſſe ait. per ſe autem falſa mendacior eſt quàm falſa
ex accidente: quo pacto & per ſe uera, per accidens ueraci
uerior eſt: utpotè quæ ipſam rei prodat eſſentiam. quæ uero
mendacior eſt, à uera longius diſtat, quàm minus falſa. ma- B
giſq; ob id illi aduerſatur, magis ergo cum uera affirmatione
confligit eius negatio quàm falſa affirmatio: id quod pro-
poſitum erat demonſtrare. His igitur ſatis acute adductis, il-
lud attentione dignum ducimus, putari ab hoc auctore eam
quæ malum inquit eſſe quod bonum eſt, falli propterea
quod illam deleat quę quòd eſt bonum, id non malum eſſe
opinatur: eaq; de cauſa per accidens cõuincatur mendacii:
perinde quaſi propter eius abolitionem quæ per accidens
uera eſt, mentiatur. magis enim dicendũ eſt, propterea quo-
niam quod bonum eſt, id malum eſſe aſſerentem deſtruat,
ueram eſſe illam quæ id eſſe non malum iudicat: haud uero
quoniam illam interimat, quæ quod eſt bonũ id eſſe inquit
non malum, falſam eſſe hanc quæ ipſum malum uult eſſe:
uerum per ſe atque in primis. Nam ſi de aliquo medio indi-
ſcretoq; propoſitiones id genus decernerent, per ſe uera ne-
gatio illa eſſet quæ non malum eſſe idem ſtatuit: falleretur
autem affirmatio quæ eſſe id malum dicit: quoniam non ma-
lum ipſum eſſe dicentem ſubuertit. Nunc uero cum de bo-
no fiat enunciatio, per ſeipſam didicet, ac propter ſeipſam,
non propter aliam falſa eſt ea quæ ipſum eſſe malum fate- C
tur: ut quæ contrarium illi proferat. Ergo neque magis con-
traria eſt opinio negationis: neque is qui hac præditus eſt
opinione mendacior deprehenditur: ſed qui contrariæ affir-
mationi conſentit. Summouet enim id ſolum negatio quod
eſt in ſubiecto ſyncere prædicatum ineſſe. affirmatio præter
quàm quod id agat, inſuper & cõtrarium illi attribuit. pro-
inde ipſum neque pure neque impromiſcue quoquam mo-
do ineſſe ſubiecto concedit. Sic uero de quouis etiam loqui
conſueuimus, ſi à bono ſeiungere ipſum libeat, nempe non
bonum eſſe non ſolum illum, uel bonum non eſſe, ſed plane
etiam malum. Cęterum hæc quoque argumentatio cum aſ-
ſerere apertiſſime nitatur magis contrariæ primæ oppoſi-
tam affirmationi negationem eſſe, quàm affirmationem con-
trarii, finitionemq; contrariorum contradictionis oppoſi-
tioni magis quàm contrariis ipſis conuenire, conſtat ſtul-
tum omnino eſſe dicere propoſitum in his nequaquam eſſe
magis contrariam negationem affirmatione contraria, ſed
ſimpliciter oppoſitorum, non contrariorum ſenſu magis
oppoſitam eſſe demonſtrare: ipſumq; id quod eſt eſſe op- D
poſitum, magis negationi congruere, ceu tollere affirmatio-
nem uolenti, quàm affirmationi contrariæ: quæ non aufert,
uerum non ſecus ponit ac prima affirmatio: cum nec huiuſ-
modi quidquam præſeferant auctoris uerba: ſed quæ men-
tiatur magis, longiuſq; à principali affirmatione abſit: nec
ullius compos rationis quæſtio ſit. Neque enim quæſiuerit
quiſpiam utrum infitiatio magis quàm affirmatio neget cõ-
trarii: neque ubi quærimus quænam oppoſita magis ſit,
aliud quidquam indagamus quam quæ à prima ſit remo-
tior: ſi oppoſitorum ſignificatio ſeditionem quandam, &
pugnam eorum quæ oppoſita eſſe dicuntur, uel leuiorem
oſtendit, uel contentiorem. Enimuero maior inter ſpecies
contrarias quàm in ſpecie qualibet ab eo quod non eſt ad
id quod eſt patet dimenſio. eſt enim in finibus terminiſq;
ſpacium maximum: haud uero non termini eſt ad termi-

A num. Alioqui nanque genere diuerſa, id quod in Metaphy-
ſica traditur, neque comparari inter ſe ualent, ut album, uel
calidum homini: neque multo magis ei quod non eſt. Quo
fit ut album inter ea quæ à non albo ſignificantur ſolis ge-
nere confinibus comparari queat: ex iis uero quæ genere
conueniunt interuallum inter contraria proſpicue latiſſi-
mum ſit. Quod ſi quis ipſum nõ ens enti magis dicat quam
ens enti oppoſitum eſſe oportere, animaduertat is entium,
qua ſimpliciter entia ſunt, ne mutuam quidem oppoſitio-
nem quampiam eſſe: quemadmodum nec colorum, qua
ſunt colores: ut diſſeritur in Philebo. ſolumq; id repugna-
re, tametſi indefinite, non ens enti, non quod eſt nullo mo-
do: ſiquidem ineffabile atque inopinabile eſt illud: ſed, ut de-
monſtratum eſt in Sophiſta, quod per diuerſitatem eſt non
ens. quanquam ne hoc quidem ee uera cum illo contendit
(qui enim id contendat quod nec cum illo coeuſat coniun-
git) immo uero circa ipſum omnino ſpectatur: ceu cum ens
B ſimpliciter non id eſſe dicimus quod eſt motus: uel quies:
uel præter ipſum ſpecies alia: ſimiliter nec illarum quamli-
bet quod ſimpliciter ens eſt illud eſſe: cæterum illius com-
municatione in entium numero cẽſeri, ſed uim ſignificat di-
uerſitatis in rebus omnibus diſſipatam. Demum non de ea
diuerſitate in pręſentia nobis agitur qua ſimpliciter non ens
à ſimpliciter ente dirimitur: cui nec contrarium obſtat, nec
de quo præditum aliud quidpiam contrarietate prædicari
idoneum eſt: ſed de oppoſitione illa, tum contrariorum,
tum infinitorum nominum, aut uerborum ad finita, quæ in
particularibus ineſt entibus. Ex uocibus nanque ſimplicibus
eas quę cum negatiua particula proferuntur, infinitorũ no-
minum uerborumq; infinitorum uocabulo nuncupamus:
quoniam uere de quouis prædicantur, tum quod eſt, tum
quod nõ eſt, eo duntaxat excepto quod à finito indicatur:
quapropter in negatiuis quoq; orationibus ſimilia neceſſe
eſt contingant. Verum ne digna quidem memoratu forſitan
ſunt hæc friuola nugamenta: ſed ad ſequentia pergamus.

V

C *Ceterum compoſita eſt ea que malum id eſſe quod bonum eſt putat. etenim neceſſe eſt forſitan pariter ut idem ipſe non bonum eſſe arbitretur.*

Quartum breuibus expoſitum argumentum huiuſmodi
ſenſu obtinet, Simplex inquit opinio eſt illa in qua aliud
quidquam inſuper intelligere nequaquam cogimur. non
ſimplex in qua & aliud quid opinari eſt neceſſe. Eſt er-
go ſimplex opinio quæ quod bonum eſt, id eſſe bonum ſta-
tuit: quomodo & quæ ipſum non bonum eſſe ſuſpicatur:
haud enim aliam neceſſe eſt in earum utralibet opinionem
quapiam inuehi. non ſimplex uero illa eſt quæ malum id eſ-
ſe quod bonum eſt credit. nam & alia ſimul cum hac neceſ-
ſe eſt inferatur opinio, quæ ipſum non eſſe bonum putet.
Itaque ſi ſimplici opinio non compoſita, ſed ſimplex op-
ponenda eſt, negationem dicemus affirmationi oppoſitam:
non affirmationem contrarii. Hæc uero etiam ſolemus: di-
cemuſq; ob id ipſum opinionem illam, quæ, quod bonum
eſt eſſe malum dicit, plurimum ab ea receſſiſſe quæ ipſum
D bonum eſſe arbitratur: quoniam per non boni ſpacium con-
fecto itinere ad extremum peruenit. Eſt enim primus à bo-
no egreſſus, non bonum: extremus elapſus, malum: quam-
obrem quæ hoc affirmat, pugnantius oppoſita eſt: ceu quæ
negationem quoque boni contineat. An uero etiam nega-
tio compoſita eſt boni. quippe neceſſe planè eſt ipſum non
bonum, ſi inter ea quæ ſunt reponatur, aliud etiam quid ſit,
ſed infinitum. quocirca neque contrarium hac ratione fue-
rit. eſt enim unum uni contrarium: & finitum finito. Por-
rò ipſos aduerbium, uel pro pariter à Græcis adiectum eſt.
eadem nanque intelligentia quod bonum eſt, id & ma-
lum eſſe, & non bonum dicimus. uel pro forſitan: ut hoc
argumentum ueriſimile quidem, non tamen neceſſarium
eſſe oſtendatur: primum ſanè, quoniam utrunque contra-
rium, ipſum per ſe ſpectabile, ſpecies uult ſimplex eſſe.
deinde quoniam ſi hãc malum eſt, id quod eſt bonum pro-
pterea

pterea quod non bonum introducat, complicatam exiſtimet, erit hæc quoque compoſita quæ quod bonum eſt, id bonum eſſe inquit: quaſi non malum inferat. Quod ſi quæ non bonum eſſe ait, non una ex iis eſt propoſitionibus quæ inter ſe conferuntur, nihil refert. Nam ſimplex cõpoſitumq́, non relatione ad definitas quaſdam propoſitiones, ſed ad ſuam cuiusq; uim contemplamur.

V I.

Item ſimiliter uel in alijs res ſeſe habeat oportet, recte hac quoque ratione dictum uidebitur. nam aut ubique, aut nuſquam contradictionis repugnantiæ dabitur locus. Quibus autem non extant contraria, falſa de his eſt ea quæ uera aduerſatur. uerbi gratia falſus eſt qui non hominem illum, qui homo eſt eſſe exiſtimat. Itaque ſi contrariæ negationes hæ ſunt, aliæ quoque illæ quæ ſunt contradictionis.

Perſpicua quinti huiſce argumenti, tum ſententia, tum locutio eſt: quæ animaduertere nos iubet, utra ex collatis inuicem propoſitionibus utilis eſſe ad id queat, ut uniuerſali regula una propoſitionem quampiam inuenias cum propoſita quauis affirmatione decertantem: eſſeq; hanc illi proprie oppoſitam dicas: ob idq́. decernentem contradictionis pugnam præſtare. Facile eſt enim affirmationis omnis negationem inuenire, quodcunque in affirmatione prędicatum fuerit fieri uero non poteſt, ut affirmationem contrarii deprehendas, niſi quod prædicatum in affirmatione eſt cõtrarium habeat. nanq; huic Socrates eſt homo quænam contraria ſit affirmatio? at hæc Socrates homo nõ eſt falſa negatio illam oppugnat uerum aſſerẽtem. Quemadmodum igitur ſolam in his negationem affirmationi aduerſam eſſe cõfitemur, ſic in iis quoq; in quibus affirmationem inuenire contrarii licet, negationem eſſe illam cenſet quæ maxime obnitatur. Dicendum eſt autem ubi minus oppoſitio ſuppetit contrarii, nos uel ſola priuationis negationisq; oppoſitione eſſe contentos. in quibus autẽ contrarii copia ſuppeditari etiam C poteſt, in longius à ſeinuicem abeſſe contrarias affirmationes quàm negationem ab affirmatione arbitrari. Porrò ab initio nobis explicatum eſt, uideri ab ea quæ nunc proditur diſputatione, propter communicatem hanc quæ uel in omnia porrigitur, oppoſitionem extolli ſic contradictionis: ut quæ cæteras non cerum ſolum comprehenſarum numero, ſed oppoſitionis quoque exuperet uehementia.

V I I.

Præpterea ſimili modo ſeſe boni habet opinio bonum id eſſe: & non boni eſſe non bonum. ad has quoque boni non eſſe bonum: & bonum eſſe non boni. quænam igitur contrarius fuerit. quod bonum non eſt, id bonum non eſſe uere opinanti? haud enim ſanè quæ malum eſſe arbitratur: ſiquidem uera interdum eſſe. at uera eſt nunquam uera contraria. nam quoddam non bonum malum eſt. quare ſimul ueras eſſe contingit. Neque ea rurſus quæ non malum eſſe autumat. quandoquidem uera hæc quoque eſt ſimul namque eſſe, & hæc poſſunt. Reſtat igitur ut non boni opinio bonum id eſſe, contraria illi ſit quæ quod bonum non eſt, non bonum eſſe D *id cenſet. eſt enim hæc falſa. Quapropter & quod bonum eſt, id bonum credit non eſſe, bonum eſſe quod bonum eſt aſſentienti erit contraria.*

Poſtremum hoc allatum ad problema nec confutatũ facilius eſt argumentum: quod adducitur hunc in modum. Cõtradictiones has duas capit boni: alteram finito utentem ſubiecto, alteram infinito bonum eſt bonum: bonum nõ eſt bonum, non bonum, bonum eſt, non bonum, bonum non eſt, cenſetq́, non ſecus ueram affirmationem ad oppoſitam falſam negationem ſeſe habere, atque uera inficiatio ad oppoſitam falſam affirmationem, ideſt ut hæc non bonum nõ eſt bonum ad illam habetur non bonum, bonum eſt, ſic illam quoq; bonum eſt bonum illi bonum, bonum non eſt reſpondere. Deinde propoſitionibus ambabus eius contradictionis quæ malum de eodem prædicat ſubiecto, ideſt non bo- A no, nimirum illis non bonum malum eſt, & non bonum non eſt malum uera collata negatione, neutri ipſam illarum contrariam eſſe commonſtrat. ſiquidem in prauo habitu conſonans eſt illi quæ quod bonum non eſt, id malum eſſe affirmat. non malum autem eſſe quod non eſt bonum dicenti, tum in medio, tum in neutrius ex ſui natura extremorum participe: ut lapide, uel ligno. nanque in his & non bonum uerum eſt, & non malum. fieri autem nequit, ut contrariæ ſint quæ concordant: quemadmodum nec uerum ſimul aſſerant quæ ſunt contrariæ: ut partim ex euidentia compertum eſt: partim ab ipſo ad huiſce finem tractatus probabitur. Ergo ſi opinioni quę non eſſe bonum quod bonum nõ eſt uere fatetur; nec ea quæ quod bonum non eſt, malum eſſe inquit, contraria eſt, nec quæ non malum eſſe quod non bonum eſt dicit, uerum ſola contradicens illi quæ bonum eſſe ait, quod non eſt bonum, affirmationi quoque bonum eſſe quod bonum eſt proferenti. neq; ea repugnat quæ ma- B lum id eſſe quod eſt bonum perhibet, nec quę quod bonum eſt eſſe non malum: ſed ſoli huic quoque erit contraria quę ipſi contradicit, bonumq; iudicat bonum non eſſe. hoc autem fuit quod demõſtrare propoſuerat. Porrò ad hoc quoque argumentum dicendum eſt, facile eſſe, quod bonum nõ eſt, id non eſſe bonum pronuncianti, cum negatio ſit, prædicatumq́; ob id infinitum obtineat propoſitionem reperire quæ per contradictionem repugnet: comperire autem quæ contrarium aliquid affirmet, fieri nequaquam poſſe. nihil nanque eſt contrarium infinito. ſiquidem contraria quæ ſunt, ea ſpecies eſſe oportet maximo à ſe inuicem interuallo diſiunctas. non bonum autem, & non album priuationes quædam nec ſpecies ſunt. itaque cum deeſt illa quæ affirmare eius contrarium poteſt, opponere contradictione ipſi repugnantem ſolemus: At ei quæ bonum eſſe quod bonum eſt prodit, non ſolum eius negationem, ſed contrarii quoque affirmationem refragari, quandoquidem & cum ipſo bono & albo, non bonum, & non album, ut cum habitibus priuationes: malum autem & nigrum, ut contraria conflictantur. Non igitur hęc perinde ſeſe habet in omnibus quę quod bonum non eſt non eſſe bonum ad illam quę bonum eſſe quod eſt bonum declarat; atque ea quæ quod bonum eſt, bonum eſſe ad illam quæ non bonum eſſe quod eſt bonum decernit. ſiquidem huic non eſt bonum quod bonum non eſt ſola eius obluctatur affirmatio: reliquæ ſimul ueræ eſſe poſſunt. fieri uero nequaquã poteſt, ut huic eſt bonum quod bonum eſt uerum cum illa profiteatur malũ eſt quod eſt bonum. Cæterũ manifeſta ſunt auctoris uerba ex iis quæ prodidimus: prætecquam quod illud, {Eſt enim hæc falſa, (ſcribi etiam inquit Alexander) Hæc enim eſt uera.} quod ſi eſt enim hæc falſa ſcribatur, de illa dictum erit quæ bonum eſſe id memorat quod bonum non eſt. ſin hæc enim eſt uera de illa quæ bonum eſſe quod non bonum eſt retuc: quam ueram quoque eſſe ante commonuit: perinde atque ſi diceret, hęc enim falſa eſt nunquam. perſpicuum eſt autem priorem lectionem præſtare.

V I I I.

D *Conſtat autem nihil relatum iri, uel ſi uniuerſaliter affirmationem ponamus. nam contraria erit uniuerſalis negatio: ut opinioni omne quodcunque fuerit bonũ, id eſſe bonum putanti, ea quæ nullum ex bonis bonum eſſe exiſtimat. Nam quæ bonum eſſe, bonum ſentit, ſi uniuerſaliter intelligat bonum, eadem eſt illi quæ quodcunque bonum fuerit, id bonum eſſe opinatur. at hoc nihil differt ab eo quod inquit, omne quodcunque ſit bonum, id bonum eſſe. Similiter & in non bono.*

Cum in ſingularibus uniuerſalibusq́, propoſitionibus inſpectionem ſe propoſiti problematis facturum eſſe pollicitus ab initio fuiſſet, deinde in nullo argumento propoſitionem cõprehendiſſet quæ præfinitionem quápiam uniuerſalem, ſed horum loco articulos in græca oratione haberet, adeo ut rationem in ſolis imperfinitis propoſitionibus ob id meditari uideretur, per hæc addit, ſingulares articulos

qui ſubiectis uniuerſalibus in propoſitionibus iunguntur, uniuerſalis affirmatiuæ præfinitionis facultate eſſe præditos. Non enim, ut nonnulli autumant, ſermo in impręfinitis propoſitionibus ante eſt habitus. nunc uero ineptum nequaquam fore oſtendit ſi eadem, & in uniuerſalibus dicantur. Omnino nanque nec Ariſto. de impræfinitis propoſitionibus ſententiæ conſentaneum eſt, magis contrariam negationem in iis eſſe affirmationi, quàm affirmationem contrarii dicere: quo modo neque in particularibus, ſiquidem & impræfinitas perinde ac particulares cenſet inter ſe eſſe ſimul ueras. ueram autem ueræ, hoc nimirum quod ad libri finem abeo dicendum eſt, contrariam eſſe neque opinionem, neq; enunciationem licet. Proinde & in ſolis ſingularibus uniuerſalibusq; uniuerſaliter propoſitionibus ab initio uiſus eſt, conſiderationem theorematis propoſuiſſe: quarum aliæ ſibi contradicunt mutuo, aliæ cum falſum ſimul proferant, ob id ipſum contrariæ uocantur. paulopoſt autem contradictoriæ quoque uniuerſalium aduerſus particulares oppoſitionis meminerit. nuſquam uero mētionem, aut indefinitarum faciet, aut particularem, ceu contrarietatem quampiam inter ſe obtinentium. Hoc itaque eſſe quod dicere uelit in præſentia, nempe ſingulares articulos, ut explicatum eſt, omnis præfinitioni pares eſſe facultate, declarat ipſe probationis modus quo in uniuerſalibus quoque uniuerſaliter propoſitionibus eadem conuenire iis oſtendit, quæ in habentibus articulos prodita ſunt ſubiectis uniuerſalibus adiunctos. Idem enim eſſe inquit apud Grecos to agathon, ideſt bonum eſſe bonum, & quodcunque bonum fuerit, bonum eſſe. quod neque ab uniuerſali quidquam differre, quod eſt omne bonum eſſe bonum, ſuſpicari quis ualeat. Quocirca illorum quoque uſu receptum eſt, ut in quibus omni ſubiecto prędicatum ineſt, cum articulo ſubiectum proferant: idemq; ſe dicere uniuerſali exiſtiment: haud uero etiam in quibus non omni. dicūt enim ho anthropos, ideſt homo animal eſt, aut bipes. non tamen ho anthropos albus eſt, aut iuſtus. Cæterum meminiſſe ea conuenit, quæ nos de his antea diſſeruimus, à præfinitione inquā omnis repræſentari illorum multitudinem quæ ſub uniuerſale ſubiectum referuntur, à ſingulari autem articulo unam ipſius naturam à multitudine profectam. Ex dualibus autem articulis, pluralibusq;, ſiquid de iis quoque dicendum eſt, habent ab omnis præfinitione dualem perſpicuam differentiam. neq; enim de ſolis duobus prædicatur omnis, neque illi dici de pluribus ualēt. procœmiūq; tractationis de Cœlo huiuſce rei cauſam docebit. Quoniā uero plurales articuli poteſtate differre ab eo uidentur, ut mortalis eſt omnis homo, & mortales hœ anthropœ ſunt. ideſt homines diſcernere hos quoque fortaſſe poterimus, ſi in quibus omnis uerum eſt, in iis pluralem quoq; articulum planè uerum fore affirmemus. Nanque illi omnis mortalis, hoc uidelicet omnes mortales idem ſignificat, in hoc uero hœ Græcorum articulus neceſſe eſt, poteſtate comprehendatur, quo fit, ut omnes quoq; ommiſſa pręfinitione, uerum ſit is aſſerturus qui hœ anthropœ, hoc eſt homines dicit mortales. Non tamen reciprocabit ratio, ut uelimus ubi pluralibus articulis proferendis uerum nunciamus, ibi omnis quoque dicenda præfinitione protinus uerum fateri. Vult enim hæc prætermiſſum nihil ex iis facere quæ ſub uniuerſali continentur. ueri autem aſſertorem eſſe pluralem articulum arbitramur, uel ſi ſolum in plurimis prędicatum uerum ſit. Magis igitur uerum eum eſſe concedimus qui, quaſi hœ articulo ſubſtantiuis ſingulis addito, ſapiētes dicat ſunt Athenienſes: Lacædemonii tolerantes: calui Myconii, quàm ille qui omnes præfinitionem horum ſingulis apponit. Ac demum ſi præter articulum proferenda etiam præfinitione, enunciationem fieri ducimus planè communem, neque illam fruſtra addimus, non ſtatim ergo à pronunciato ſolo articulo, ſub communi concipi uniuerſa cenſemus. Quare nec apud Homerum Iuppiter ſimpliciter Græcos in prælium educere Agamemnoni per ſomnium iuſſit: ſed aduerbium illud paſſydie, hoc eſt cū omni exercitu adiecit. quod cum minus ille animaduertiſſet, ſibi ipſe auctor extitit, ut ſpe fruſtaretur. & Demoſthenes cum precibus petere ſe à Diis

A deabusq; dixiſſet omnibus ſubdidit: cum abſolutiorem omnis numinis comprehenſionem additione illa fieri poſſe exiſtimaret. Sed ad rem rdeamus: dicamusq; ſiue finitus, ſiue infinitus ſubiectus ſit uniuerſalis, iunctum illi ſingularem articulum uniuerſalis præfinitionis uim habiturum. idcirco ipſe quoque illud adiecit. {Similiter & in non bono.} Quibus uerbis, aut in his etiam inquit infinito ſubiecto prędítis propoſitionibus præcipua in contradicētibus propoſitionibus, quæ ſunt eſt bonum quod bonum non eſt, & bonum non eſt quod non eſt bonum pugna ſpectatur. Nam, ut ante proditum eſt, non poteſt affirmatio contrarii cum harum uera decertare. nihiloq; magis argumēta cætera quadrabunt omnia finitum ſubiectum quàm infinitum habentibus: ſiue præfinitiones uniuerſales ſubiecti, ſiue articulum harū loco obtineant, non enim nobis de ſubiectorum, ſed prædicatorum differētia tractatur. Aut ſi propius etiam ſpectes, poſſe argumētum ſextum ait: uel in iis proficere propoſitionibus quæ præfinitiones ibidē uniuerſales obtinent: ut ante in his oſtē-B debatur quæ articulos præfinitionum loco haberent, ratione colligere quidem ſtatuentibus nobis, hāc omne bonum, bonum eſt huic magis, nullum bonum eſt bonum quàm illi omne bonum malum eſt repugnare. ad huiuſce uero probationem ſumentibus, ut hæc ſeſe nullum non bonum, bonum eſt, uera negatio ad illam omne non bonum, bonum eſt, falſam affirmationem habet, ita quæ omne bonum eſſe bonum affirmatio prædicat uera, ad falſam illam habere negationem quæ nullum bonum eſſe bonum dicit. demonſtrantibusq; cum hac nullum non bonum, bonum eſt, neque illam quæ nullum non bonum eſſe malum pronunciat, totam præliari: neque eam quæ nullum non bonum, non malum eſſe conſentit. (falſa enim tota harum neutra, ſed quadamtenus utraq; eſt,) ſolam autem hanc ipſi eſſe contrariam omne non bonum, bonum eſt. quoniam & altera tota uera eſt: altera tota mentitur. atque ob id cenſentibus huic etiam omne bonum eſt bonum ſolam proprie contrariam illam nullum bonum, bonum eſt, negationem eſſe: uerum nō affirmationem contrarii, quæ malum eſſe, id quod bonum eſt, C uniuerſum ſtatuit. Enim uero quæ aduerſus hæc quoq; proferre oporteat dilucet. nanq; hæc omne bonum eſt malum, tum ex ſe tota mendax eſt: tum per ſeipſam totam cum illa omne bonum, bonum eſt, pugnat potiſſimum. Potior tamen habenda eſt prior expoſitio: ut quæ hanc quoque in ſe ipſa comprehendat.

XI.

Quocirca ſi ſic habet res in opinione, quæ autem uoce proferuntur affirmationes negationeſq; ſigna ſunt eorum quæ animo concipiuntur, patet affirmationi quoque negationem, quæ uniuerſaliter de eodem fertur, eſſe contrariam: ut hanc quæ omne bonum eſſe bonum, uel omnem hominem bonum eſſe, illam quæ nullum bonum eſſe dicit, uel nullum hominem. contradictoriè uero oppoſitam quæ non omne eſſe, uel non omnem.

Cum enunciationes quæ pronunciatiua oratione exprimuntur conferre inuicem, quo modo expoſitum eſt, ab ini-D tio conſtituiſſet, ſeſe ad opiniones recepit: cenſuitq; in his meditandum eſſe theorema: ceu quæ principii rationem ad prolatitias propoſitiones habeant. Itaq; cū quod ſe tanquā uerum pollicitus fuerat demōſtraturum, id in opinionibus ſubducta ratione collegerit, uult eadē & in propoſitionibus dictione conſiſtentibus conuenire: atq; contrariè uniuerſalē negationē uniuerſali affirmationi, particularē uniuerſali cōtradictoriè eſſe oppoſitā. harū autē utrāq; oppoſitionū pugna cōtrariarum inter ſe affirmationū uehementiorem eſſe.

X.

Illud uero etiam liquet, fieri nequaquam poſſe, ut uera ueræ contraria neque opinio, neque contradictio ſit. Nam contrariæ quidem eæ ſunt quæ circa oppoſita uerſantur. at eundem circa eandem uerum eſſe contingit. mutuas autem licet ſimul in eodem ineſſe contraria.

Cum

Cum hoc in ſexta argumentatione tanquam manifeſtum uſurpauerit, ſimul uerum aſſerentes opiniones propoſitioneſq́; non eſſe contrarias, ipſum hoc in præſentia, quanquam euidens ſit, per ſecundam figuram aſſerit, his aſcitis ſumptionibus, quæ ſimul uerum profitentur opiniones propoſitioneſq́; ſimul eodem eſſe ueras (hoc nanque eſt ſimul uerum profiteri) contraria uero ſimul in eodem uera eſſe nequaquam poſſe, colligitq́; ueri ſimul conſcias opiniones ac propoſitiones non eſſe contrarias. Negatiuam autem propoſitionem præparatoria ratiocinatione confirmat. (ſic enim proſyllogiſmum interpreter) quam in prima texit figura. medioq́; utitur termino, haud quaquam fieri poſſe ut oppoſitis contraria oppoſita uera ſimul in eodem ſint. itaq; concedi nullo pacto, ut uerum ſimul dicant contraria. Ipſe uero tum maiorem propoſitionem præparatoriæ ratiocinationis propter breuitatem omiſit, tum principalis problematis concluſionem. hæc igitur uis eſt probationis. Quod autem ad uerba attinet, illud { Neque contradictio, } perinde eſt ac ſi dixiſſet, neque propoſitio ex qua contradictio oritur: hoc eſt neutiquam fieri, ut quæ in uero conſentiunt, contradictionem uel in animo inditis, uel in uoce pronunciatis, ut uocant, orationibus pariant. Illud quoque, { Nam contrariæ quidem eæ ſunt quæ circa oppoſita uerſantur, } in

A Græca oratione ſic poſitè habente, ἐναντίαι μὲν γάρ αἱ περὶ τὰ ἀντικείμεναι minus congrue dictum uidetur. quippe ſubiecto id eſt contrarijs addito articulo conſentaneum erat αἱ ἐναντίαι μὲν γάρ περὶ τὰ ἀντικείμεναι dicere. Quod autem ſequitur, { At eundem circa eadem uerum eſſe contingit, } affirmatiua propoſitio eſt ſyllogiſmi, ſignificatq́; per hoc circa eadem uerum eſſe quomodo ſimul ueræ eſſe id genus propoſitiones dicantur, nimirum eo quod circa eadem concurrant. intelligit autem ſubiecta communia, propoſitionum earum quæ ſimul uerum perhibētur fateri. Per uerbum autem contingit modum declarat in his poſitæ ueritatis, hoc eſt uerum dicere & non dicere poſſe propoſitiones illas, quæ eodem utuntur ſubiecto. quæ uero non ex materia, ſed ex ipſa propoſitionum ui ſimul uerum exponunt, ut, impreſ finitæ particulareſq;, neceſſe planè eſſe ut eodem hę ſubiecto utantur, atque eodem tempore uerum decernant. Poſtremo illud, { Minime autem licet ſimul in eodem ineſſe contraria, } concluſio quidem præparatoriæ uult eſſe ratiocinationis: B re autem uera concluſionis continet cauſam. Nam concluſio uera hæc eſt, ut ſimul uera contraria ſint fieri nullo modo poſſe. quo autem minus apta ſint uero inter ſe enunciando, id eſſe in cauſa quod eidem ſimul ineſſe illa minime liceat.

FINIS.

VENETIIS *Apud Ioan. Griffium.*
M D LII.



INDEX MAXIME COPIOSVS

IN LIBROS PERIHERMENIAS.

ACCENTVS an mutet propoſitionis naturam. 64
Accentus ratio. 66
Accidens, idest ſymbama quid ſignificet Stoicis. 25
Accidentibus ex ſolis ſignificantis fieri non poteſt Oratio. 40
Accidentia cohæreſcunt Subſtantiis non Subſtantiæ ſubſtitiis: neque Accidentibus accidentia. 40
Accidentia naturam aduentitiam obtinent, eademque ineſſe apta ſunt ac non ineſſe. 50
Accidentia cur præſertim de indiuiduis prædicentur: de Speciebus uero non proprie. 50
Accidentia non adſunt Speciebus ob incorpoream immutabilemque ſuipſarum naturam. 50
Accidentia plura inuicem conſerta ſubiecta uel Prædicata Propoſitionem non faciunt unam. 111
Accidentia prædicantur de ſubſtantiis non quidem per eſſentiam: ſed per naturam. 115
Accidentia duo ſi de eodem prædicentur ſub eſto, de ſe mutuo prædicantur per accidens. 115
Accidens per naturam prædicatur de Subſtātia: Subſtantia de Accidente præter naturam. 115
Accidens quando per ſe ꝓdicetur, Subſtātia uero per accidens. 117
Actiones uel affectus à uerbis ſignificantur. 16
Actionibus paſſionibusque priores Subſtantiæ. 16
Actiones uel affectus primū ſignificatur Verbis, deinde tempus. 25
